ENCHIRIDION

THEOLOGIAE DOGMATICAE SPECIALIS

AUCTORE

FR. IOSEPHO SIEVERS, O. F. M.

TOMUS I.

Complectens Tractatus
De Deo Uno Et Trino Et De Creatore
Et De Christo Redemptore.

Pro manuscripto

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
Ex Typographia Collegii S. Bonaventurae
1904.

5045

REGINAE

SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAE

ANNO QUINQUAGESIMO

A DOGMATICA DEFINITIONE

HUIUS BEATAE VIRGINIS PRIVILEGII

SOLEMNITER PRONUNTIATA

HOC ENCHIRIDION

DEDICATUR.

TRACTATUS

DE DEO UNO SECUNDUM NATURAM

Divina concipientes ad modum creatorum distinguimus inter Dei exsistentiam et essentiam et attributa. Hinc:

PARS PRIMA.

DE DEI EXSISTENTIA.

Exsistentia Dei hic consideratur respectu cognitionis nostrae, quae potest esse duplex: naturalis et supernaturalis. Proinde:

CAPUT I.

De Cognitione Exsistentiae Dei Naturali.

Propositio Generalis. **Exsistentia Dei naturali rationis lumine ex mundo potest et certo ac facile cognosci et demonstrari.**

Explicatur. Deus hac propositione spectatur saltem, quatenus est ens supremum, intellectu et voluntate praeditum, ab hac rerum universitate distinctum eique dominans; non necessario spectatur, quatenus eandem ex nihilo fecit.

Determinatur et probatur thesibus specialibus.

THESIS I. **Exsistentia Dei naturali rationis lumine ex mundo potest certo cognosci.**

De fide ex Vatic. sess. 3. de revel. can. 1: Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis lumine certo cognosci non posse, a. s.

Vaticanum Deum vocando Creatorem noluit definire Deum ratione certo cognosci posse *ut* Creatorem i. e. ut eum, qui mundum ex nihilo fecerit, seu ratione cum certitudine cognosci posse mundum ex nihilo esse factum.

Opponitur praesertim Traditionalistis (Bonald, Bautain, Bonnetty etc.) docentibus exsistentiam Dei cum certitudine non posse cognosci nisi ex positiva revelatione Dei.

Deinde opponitur iis, qui statuunt Deum humana ratione non tam cognosci quam potius obscuro quodam modo sentiri posse (Iacobi et Schleiermacher, ad quos ex catholicis accesserunt Staudenmaier et Klee); insuper iis Ontologistis, qui, ut Ubaghs, docent immediatam Dei intuitionem esse unicum modum eum cognoscendi.

Explicatur: 1. Dicitur: certo i. e. cum certitudine cognosci *potest;* non dicitur: cognoscitur. Nam thesi nullatenus affirmatur singulos homines Deum naturali rationis lumine revera cum certitudine cognoscere; multo minus eos omnes primam Dei notitiam ex rebus creatis haurire. Non igitur de facto agitur, sed de rationis potentia.

2. Assertum valet non solum de statu naturae purae, sed etiam de statu naturae lapsae.

Probatur: I. E Scriptura. Sap. 13, 1. 5: *Vani* (Μάταιοι φύσει) *autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona* (ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν), *non potuerunt intelligere eum, qui est* (τὸν ὄντα); *neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex* (τὸν τεχνίτην)... *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri* (ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται = ex magnitudine enim pulchritudinis creaturarum Creator earum analogice spectatur).

Rom. 1, 10: *Invisibilia enim ipsius a creatura* (ἀπὸ κτίσεως) *mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur* (τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται): *sempiterna quoque* (τε) *eius*

virtus (δύναμις) *et divinitas* (καὶ θειότης), *ita ut sint inexcusabiles.* — Sensus est: Invisibiles enim Dei proprietates inde a creatione mundi per ea, quae facta sunt, intellectualiter videntur, speciatim sempiterna eius virtus et maiestas, ita ut sint inexcusabiles ii, qui, ut dictum est v. 18., veritatem Dei in iniustitia detinent, i. e. ii, qui veram notitiam Dei et cultus Deo debiti ipsis se quasi sponte offerentem impietate sua opprimunt.

Secundum testimonia citata homines Deum seu Dei exsistentiam cognoscere possunt:

1. *Naturali rationis lumine.* Nam ii, qui Deum ignorant, Sap. vocantur natura vani seu stulti. Sed illud, quod absque naturali stultitia non potest ignorari, sane naturali rationis lumine potest cognosci.

2. *Ex mundo.* Dicitur enim Sap.: ex magnitudine pulchritudinis creaturarum; Rom.: per ea, quae facta sunt.

3. *Cum certitudine.* Nam: *a)* Si scientia illa non posset esse certa, ii, qui ea carent, non possent dici sive natura vani seu stulti (Sap.), sive inexscusabiles (Rom.). Nemo enim prudens eum vocat stultum vel inexcusabilem, qui illud ignorat, quod non cum certitudine, sed tantummodo cum probabilitate potest cognosci. — *b)* Iuxta Rom. invisibilia Dei intellectualiter videntur. Sed intellectualis visio non habetur sine certitudine.

II. E Traditione. Ss. Patres idem communiter docent.

Tertull.[1] e. g. dicit: « Nemo negat, quia nemo ignorat, quod ultro natura suggerit, Deum esse universitatis conditorem ». — *S. Cypr.*[2]: « Summa delicti est nolle agnoscere, quem ignorare non possis ». — *S. Greg. Naz.*[3]: « Ratio, quae ex Deo est et omnibus congenita..., ad Deum nos deducit ex visibilibus ».

THESIS II. **Exsistentia Dei naturali rationis lumine ex mundo potest facile cognosci.**

Probatur: I. E Scriptura. Sap. 13, 1. 5. et Rom. 1, 20. supra cit. ubi: 1. Affirmatur Creatorem posse videri (Sap.); invisibilia ipsius conspici (Rom.); sed videre et conspicere significant cognitionem planam et facilem. 2. Asseritur eos, qui

[1] De spectac. c. 2.
[2] De idol. vanit. n. 9.
[3] Or. 28, n. 16.

cognitione Dei careant, esse natura vanos seu stultos (Sap.) et inexcusabiles (Rom.); sed illi, qui carent cognitione difficili, natura stulti et inexcusabiles merito non possunt dici.

Sap. 13, 9: *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum* (στοχάσασθαι τὸν αἰῶνα), *quomodo huius Dominum non facilius* (τάχιον = citius) *invenerunt?* — Sed si homines Deum citius vel facilius invenire possunt, quam assequi possunt naturam, cursum, proprietates huius mundi (Tirinus), illius exsistentia procul dubio facile potest cognosci.

II. E Traditione. Multi ss. Patrum cognitionem Dei vocant nobis congenitam vel innatam, id quod non est cum Thomassino et Kuhn proprie intelligendum, sed improprie, sc. in quantum, ut ait s. Thomas, *per principia nobis innata* de facili percipere possumus Deum esse.

Scholion. De atheis.

1. Non sunt homines plenum usum rationis habentes, qui per longius tempus exsistentiam Dei invincibiliter ignorent (athei theoretici negativi). Iis enim certe venit in mentem coniecturalis saltem quaedam opinio Numen supremum exsistere, qua quidem habita tenentur amplius inquirere. Quod si negligunt, iam vincibiliter ignorant; si non negligunt, divina providentia haud dubie ad certam et magis distinctam ipsius cognitionem ducentur.

2. Nec sunt homines mentem prorsus sanam et notionem Dei claram habentes, quibus omnino persuasum sit Deum non exsistere. Hi igitur, si Deum exsistere negant (athei theoretici positivi), non negant, quin subtimeant, ne Deus revera sit.

Thesis III. **Exsistentia Dei ratione potest demonstrari.**

Probatur: I. Ex mente Ecclesiae, quae apparet:

1. Ex decreto S. C. Indicis a Pio IX. approbato, quo Bonnetty subscribenda proposita est haec thesis: Ratiocinatio Dei exsistentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest (D. 1506).

2. Ex eo, quod illud per multa saecula in scholis catholicis ut theologice certum est traditum.

II. Ratione theologica. Secundum Sap. 13, 1. 5. et Rom. 1, 20. Deum esse ex mundo legitime inferre possumus; ergo etiam cognoscere possumus illationem illam, quam fecimus.

esse legitimam; ergo etiam rationem reddere possumus, cur illatio illa sit legitima; sed hanc rationem reddere idem est ac demonstrare. Nos vero cognoscere posse illationem illam esse legitimam patet ex eo, quod, sin secus, nos eam commentantes possemus nobis persuadere eam non valere; consequenter nulla nostra culpa possemus negare Deum esse, id quod illis Scripturae locis adversatur.

Scholion. Argumenta, quae a scholasticis ad probandam Dei exsistentiam communiter afferuntur, valida sunt habenda. Opinio enim contraria in Brevi Gregorii XVI., quo opera Hermesiana prohibentur, a doctrina Ecclesiae aliena nuncupatur. (D. 1487).

CAPUT II.

De Cognitione Exsistentiae Dei Supernaturali.

1. Exsistentia Dei a nobis viatoribus supernaturaliter cognoscitur fide, qua eam pro vera habemus ob auctoritatem Dei eam revelantis et veritatem huius revelationis per facta supernaturalia comprobantis.

2. Exsistentia Dei etiam ab iis, a quibus naturali rationis lumine cum metaphysica certitudine cognoscitur, potest fide teneri seu credi.

Hoc, quod olim s. Thomas quidem et alii plurimi negaverunt, sed affirmarunt Alexander Hal., s. Bonaventura [1], b. Albertus M., theologi nunc satis communiter affirmant.

Ratio est, quia Dei exsistentia naturali illo lumine non perspicitur cum absoluta seu mathematica evidentia, non ita, ut omnis omnino excludatur obscuritas. Inde fit, ut relinquatur locus motivo diverso et altiori, sc. auctoritati divinae ad eam agnoscendam moventi.

THESIS. **Exsistentia Dei ab omnibus fide divina credi debet.**

Probatur: I. E Scriptura. Hebr. 11, 6: *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem*

[1] Tom. 3, pag. 523, Concl. 2.

tem (= accedere volentem) *ad Deum, quia est* (= eum esse. — Πιστεῦσαι γὰρ δεῖ τὸν προσερχόμενον τῷ θεῷ, ὅτι ἐστίν). — 1. *Credere* hoc loco non est cognoscere ratione, sed est assentiri Deo revelanti, id quod apparet: *a)* Ex contextu. Nam: α) in eodem capite proponuntur exemplaria eius fidei, cuius actus est credere exsistere Deum, in his Noe, Abraham, Sara, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses; sed hi omnes crediderunt Deo revelanti, ut ex ipsa Scriptura patet. — β) Initio capitis sequentis Iesus vocatur eiusdem fidei auctor et consummator (Hebr. 12, 2: ἀφορῶντες εἰς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν [= ducem, antesignanum] καὶ τελειωτὴν Ἰησοῦν). Sed Iesus est auctor vel antesignanus et consummator fidei supernaturalis. — *b)* Ex mente Ecclesiae, quae in Conc. Trid. sess. 6, cap. 6. eundem locum de fide divina exposuit dicendo: De hac dispositione (ad iustificationem requisita) scriptum est: Accedentem etc. — 2. Dicitur: Credere *oportet accedentem ad Deum* eum esse. Omnis igitur exsistentiam Dei credere debet, qui vult ad Deum accedere. Sed omnes debent velle ad Deum accedere; etiam ii, qui Deum esse ratione certo cognoscunt. Ergo et hi omnes exsistentiam Dei fide divina debent credere.

II. **Ratione theologica.** Omnes homines debent credere 1. totam revelationem divinam; atqui exsistentia Dei in hac continetur; 2. id omne, quod tota Ecclesia credit; sed tota Ecclesia credit Dei exsistentiam. Nam Conc. Vatic. dicit sess. 3, cap. 1: Sancta catholica apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum.

Conclusio. Itaque exsistentia Dei sub diverso respectu considerata est et praeambulum fidei et fidei obiectum.

PARS SECUNDA.

DE DEI ESSENTIA.

Praenotanda.

1. Essentia rei *intelligitur* illud, quo res est id, quod est. Essentia igitur Dei est id, quo Deus est Deus.

2. Essentia *dividitur* in physicam et metaphysicam. Illa est rei essentia, prout est in rerum natura; haec, prout subiacet operationi intellectus nostri.

3. Essentia *physica* complectitur totam rei realitatem, i. e. omnia illa et sola, quibus res constituitur ea, quae est.

Essentia physica nec potest a nobis in ulla re perfecte cognosci nec proprie definiri.

4. Essentia *metaphysica:*

a) In quavis re creata complectitur ea tantum, quae concipi debent, ut res illa concipiatur ut res certi generis vel praesertim certae speciei et eius quidem infimae. Hoc altero casu vocatur essentia specifica, vel simpliciter essentia.

Operatio enim intellectus nostri, de qua supra mentio facta est, consistit in eo, quod rem dividit in partem, quae ei cum aliis rebus est communis, et in partem, qua ab illis aliis distinguitur. Pars prior vocatur genus (proximum), altera differentia (specifica).

b) In Deo, qui proprie loquendo non est in ullo genere, consistit in aliqua perfectione, quae *pro intellectu nostro* perinde se habet, atque se habet essentia specifica alicuius rei creatae; qua sc. pro intellectu nostro Deus ab omnibus rebus creatis aeque distinctus est, atque res aliqua creata essentia sua specifica ab omnibus aliis rebus eiusdem generis proximi sed diversae speciei est distincta, et ex qua ab eodem intellectu ceterae perfectiones divinae similiter deducuntur atque attributa rei creatae deducuntur ex eius essentia specifica.

CAPUT I.

De Essentia Dei Physica.

Essentia Dei physica:

I. *Consistit* in complexione simplicissima et eminentissima omnium perfectionum. — Perfectio est quaevis realitas, quae ad complementum entis pertinet. Per hoc, quod dicitur « simplicissima », excluditur omnis compositio, et significatur omnem perfectionem esse Deum ipsum. Per hoc, quod dicitur « eminentissima », excluditur omnis imperfectio, et indicatur omnem perfectionem, quae in conceptu suo continet imperfectionem, i. e. cuius notio obiectiva et abstracta imperfectionem adiunctam habet, quaeque perfectio mixta solet vocari, in Deo formaliter non esse.

Nota. Est tamen perfectio mixta in Deo virtualiter seu eminenter: i. e.: ipsa secundum propriam formam in Deo non est, sed loco ipsius in eo est alia praestantior, quae idem atque illa potest praestare vel efficere, modo tamen infinito perfectiore. — Perfectio, quae nullam imperfectionem in se continet, quae proinde sola in Deo formaliter esse potest, vocatur perfectio simpliciter simplex vel etiam simplex. Haec in toto tractatu semper intelligitur.

II. A nobis *cognoscitur:* 1. *Ex duobus fontibus: a) Ex creaturis,* quarum imperfectiones a Deo abiudicantur (via negationis), et quarum perfectiones Deo adscribuntur (via affirmationis), ita tamen, ut ei inesse iudicentur modo seu ratione infinito excellentiore, quam insunt creaturis (via excellentiae seu excessus). — *b) Ex revelatione,* qua nobis impertitur cognitio perfectionum divinarum et plenior et clarior et certior.

2. *Conceptibus pluribus et analogicis,* consequenter valde imperfecte et aliter atque ipse est, non tamen falso, dummodo ne iudicemus Deum praecise talem esse, qualis a nobis apprehenditur.

Nam ex una parte veritas et falsitas plene ac perfecte non insunt nisi in *iudicio,* ex altera parte modus, quo rem cognoscimus, *semper* est alius ac modus, quo res in se ipsa est. Nam quidquid cognoscitur, ad modum cognoscentis cognoscitur. Sic ens materiale cognoscimus immaterialiter et tamen iuxta veritatem, cum non iudicemus illud esse immateriale.

Quod dictum est sub 2, non solum valet de cognitione essentiae divinae, quam haurimus ex creaturis, sed etiam de ea, quam accipimus *per revelationem*. Quaecumque enim nobis divinitus revelantur, ea nobis proponuntur terminis, quae ex rebus creatis desumuntur; alioquin enim illa non possemus apprehendere.

Ex eo, quod Deum cognoscimus conceptibus tantummodo analogicis, concludendum est eum a nobis non posse proprie *definiri*. Nam ut hoc posset fieri, requireretur, ut Deus esset in aliquo genere proprie dicto, i. e. eo, quod ipsi cum creaturis univoce conveniret. Sed omnino nihil est, ne ipsum quidem esse, quod Deo univoce (saltem rigorose et pure univoce [1]) cum creaturis conveniat, cum illud in creaturis sit essentialiter receptum, in Deo sit essentialiter irreceptum. Improprie tamen definiri potest. Nam ab intellectu humano constitui potest in aliquo genere improprie dicto, eo sc., quod ipsi cum creaturis analogice saltem conveniat, et id quidem est genus entis.

CAPUT II.

De Essentia Dei Metaphysica.

Essentia Dei metaphysica est perfectio Dei apta, quae mente concipiatur ut prima, radix aliarum, Dei a creaturis imprimis distinctiva. Aliis verbis: est perfectio divina, quae intellectui nostro praebet fundamentum ipsam concipiendi ut eam, quae ex nulla alia perfectione possit deduci, ex qua e contrario omnes aliae deduci possint, qua Deus ab omni alio ente maxime distinguatur. — Dicitur: apta, quae praebet fundamentum etc.; nam re vera seu a parte rei illa perfectio eiusmodi non est; sed a nobis ob limitationem intellectus nostri ut eiusmodi perfectio concipitur; concipitur tamen non ad arbitrium, sed cum fundamento in re.

Thesis. **Essentia Dei metaphysica consistit in aseitate.**

Est opinio nunc *satis communis*.

Explicatur: Aseitate (αὐτουσία) significatur Deum esse ipsum esse subsistens. Dicitur: *ipsum esse*, i. e. non hoc vel illud esse particulare; esse *subsistens*, i. e. non esse abstractum omnibus commune.

Probatur: I. E Scriptura. Exod. 3, 13. 14: *Ait Moyses ad Deum:... Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum, qui sum* (Ἐγώ

[1] Casanova, curs. phil. ad mentem s. Bonav. et Scoti, p. 325.

εἰμι ὁ ὤν hebr. Iahve = ego sum, qui est; seu ego sum is, cuius essentia est exsistentia). — Deus igitur hoc loco sibi imponit nomen sibi maxime proprium, quo ab omnibus aliis essentialiter distinguatur. Unde et hoc solum est Dei nomen incommunicabile.

II. **E Traditione.** Ss. Patres, in his ss. *Greg. Naz.*, *Hieron.*, Hilarius, Deo tribuunt aseitatem non ut quamvis aliam perfectionem, sed ut notam distinctivam.

Greg. Naz.[1]: « Deus dicitur ὁ ὤν, quia esse, et quidem totum esse essentialiter proprium est Dei ». — *Hieron.*[2]: « Commune substantiae (essendi) nomen proprium sibi vindicat Deus, quia cetera, ut sint, Dei sumpsere beneficio ». — *Hil.*[3]: « Admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem (Qui est), quae naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quam esse intelligitur ».

III. **Ratione.** 1. *Directe.* Aseitas apta est, quae mente concipiatur *a)* ut perfectio *prima*, i. e. a nulla alia derivata; nam neque ab intelligentia neque ab infinitate neque ab ulla alia perfectione rationabiliter derivari potest; — *b)* ut *radix* omnium aliarum perfectionum; nam si Deus concipitur ut ipsum esse, concipitur ut esse illimitatum, ergo ut continens omnem perfectionem; — *c)* ut ea, qua Deus ab omni alio ente *maxime distinguitur;* nam omne aliud ens est creatura; sed creaturae maxime essentiale est non esse ipsum esse, sed habere esse ab alio.

2. *Indirecte.* Nulla alia perfectio divina apta vel adeo apta est, quae essentia metaphysica possit haberi. Sic: *a)* Non est apta *intellectio vel intelligentia*, ut Thomistae volunt. Nam haec mente derivari potest ab infinitudine, unde non est apta, quae concipiatur ut perfectio prima; deinde ab ea nequeunt derivari omnes aliae perfectiones, v. g. immutabilitas, immensitas, aeternitas; denique ea non est distinctiva Dei ab omni alio ente; nam etiam angeli intelligentia sunt praediti. — *b)* Non adeo apta est *infinitas radicalis*, i. e. exigentia omnium perfectionum, ut Scotistae statuunt. Nam et ipsa aseitatem supponit. Quaerenti enim: Quare Deus omnem perfectionem necessario habet, nullam vero imperfectionem habere potest? recte respondetur: Quia est ipsum esse subsistens.

---

[1] Orat. 30, n. 18.
[2] In Ephes. 3, 14.
[3] De Trin. l. I, n. 5.

PARS TERTIA.

DE DEI ATTRIBUTIS.

Praenotanda de Dei attributis in communi.

I. Attributum divinum *definitur:* perfectio Dei apta, quae mente concipiatur ut proprietas ex essentia Dei metaphysica emanans.

Nota: A Scotistis et quibusdam aliis sola attributa positiva (i. e. ea, quae via affirmationis cognoscuntur, ut sapientia) attributa vocantur. Negativa vero (i. e. ea, quae via negationis cognoscuntur, ut infinitas) a Scotistis vocantur modi interni (intrinseci), ab aliis, ut Hurter, proprietates. Consequenter ab iis in definitione loco: ut proprietas etc. dicitur: ut forma essentiae Dei metaphysicae adiacens vel superaddita.

II. Attributa divina a metaphysica Dei essentia et ab invicem iuxta sententiam nunc ab omnibus praeter Scotistas receptam *distinguuntur* ratione ratiocinata seu virtualiter, i. e. neutiquam in re, in qua sunt unum idemque, sed solum in conceptu, tamen cum fundamento in re. Quod quidem fundamentum praebetur ab infinita Dei perfectione, quae omnes perfectiones in creaturis multipliciter ac divisim repertas simpliciter atque eminenter complectitur; quae eas ita complectitur, ut realiter quidem sint unum idemque, verumtamen totum valorem seu rationem sibi propriam (ihren spezifischen Wert) omnino retineant. Itaque intellectui nostro, a quo Deus non cognoscitur nisi conceptibus ex creaturis petitis, fundamentum praebetur ipsum concipiendi secundum quamlibet singularem perfectionem.

III. Inde haec *colliguntur:* 1. Nomina diversorum attributorum non sunt synonyma, quia unam eandemque essentiam divinam significant sub diverso respectu.

2. Attributa de attributis (et de essentia metaphysica et haec de attributis) sic praedicantur: concreta de concretis, ab-

stracta de concretis, concreta de abstractis simpliciter (e. g. Omnipotens est sapiens; omnipotens est sapientia; omnipotentia est sapiens); sed abstracta de abstractis solummodo in sensu identico, non in sensu formali, unde ad evitandam aequivocationem ne dicatur: Omnipotentia est sapientia; sed dicatur: Omnipotentia (realiter) est idem ac sapientia.

Nota: Scotistis attributa divina (positiva!) ab invicem et ab essentia divina distincta esse videntur distinctione ex natura rei formali; eadem distinctione, qua in creaturis distinctae sint formalitates seu realitates unius eiusdemque rei.

Eiusmodi realitates sunt gradus metaphysici eiusdem rei individuae seu singularis. Gradus autem metaphysici sunt rationes obiectivae et essentiales seu attributa essentialia alicuius rei, quibus haec res individua constituitur. Sunt e. g. in homine ea, quibus homo constituitur ens, ens substantiale seu substantia, substantia corporea seu corpus, corpus organicum seu vivum, vivum sensitivum seu animal, animal rationale seu homo. Eiusmodi realitas, v. g. rationalitas alicuius hominis, ex una parte non est res, quae ab alia realitate eiusdem hominis, v. g. ab eius animalitate, sit realiter distincta; ex altera vero parte a Scotistis nec habetur figmentum rationis, cuius fundamentum sit in re, sed putatur esse aliquid *obiectivum*, quod pertineat ad constitutionem eius rei, cuius est, quodque a re metaphysice dimanet. Aliquid vero a re metaphysice dimanare significat hoc: illud a re necessario postulatur, non producitur; illud exsistentia rei redditur exsistens, non gaudet exsistentia propria; illud cum re realiter identificatur, unde ab ea nullo modo potest separari. Definiri solet realitas illa: ratio obiectiva alicuius rei, quae intelligi potest conceptu adaequato et distincto ab eo conceptu, quo alia formalitas eiusdem rei concipitur.

Distinctio formalis inter realitates eiusdem rei a Scotistis propterea statuitur, quia, ut dicunt, uni realitati qua tali aliquid obiective convenit, quod alteri realitati qua tali obiective non convenit (v. g. animalitati, quod sit principium sentiendi, id quod non convenit rationalitati), quia exinde una realitas a formali sua quidditate alteram realitatem excludit (debet v. g. dici: animalitas non est formaliter rationalitas), quia ideirco una realitas habet definitionem diversam ab ea, quam altera realitas habet.

Iuxta omnes vero praeter Scotistas distinctio virtualis, ut supra exposita est, (cuius fundamentum consistit in perfectione entis, quae est ea, ut plures perfectiones in aliis dispersae in ipsa eminenter sint contentae, quae distinctio accuratius vocatur virtualis interna), omnino sufficit, ut illa verificentur, ad quae verificanda a Scotistis ponitur distinctio formalis. Nam, inquiunt, alicui, quod obiective est unum idemque, sub aliquo respectu aliquid potest convenire, quod eidem sub alio respectu non convenit. Una enim eademque realitas, v. g. humanitas, quae est principium et sentiendi et ratiocinandi, ab intellectu potest concipi, quatenus est principium sentiendi, non ratiocinandi, et ita concepta vocatur animalitas; potest quoque concipi, quatenus est principium ratiocinandi, non sentiendi, et sic concepta

vocatur rationalitas. Eadem autem realitas, quatenus est principium sentiendi, non est principium ratiocinandi et ideo merito dici potest: animalitas non est formaliter rationalitas (nam animalitas exprimit humanitatem ut principium sentiendi, non ut principium ratiocinandi). Consequenter animalitas, seu humanitas ut principium sentiendi, aliter definitur ac rationalitas, seu humanitas ut principium ratiocinandi. — Quaerenti autem si animalitas et rationalitas a parte rei sunt una tantum realitas, sc. humanitas, quare hanc semper et necessario concipimus per modum compositi metaphysici (ex animalitate sc. et rationalitate) et non potius per modum simplicis entitatis (humanitatis sc. animalitati et rationalitati aequivalentis), merito sic respondent: Id fit propter conditionem intellectus nostri, qui rerum essentias non percipit intuitive, sed solummodo abstractive, qui eas ex effectibus colligit, qui igitur, si ex una essentia plures diversi effectus procedunt, plures de ea format notiones, quas deinde cum invicem componit. — Ex quo intelligitur praeter fundamentum obiectivum haberi quoque fundamentum subiectivum distinctionis virtualis, situm in imperfectione cognitionis nostrae.

IV. Attributa *dividi solent:*

1. *Ratione modi, quo plus minusve prope ad essentiam divinam pertinere videntur:* in primario et secundario essentialia. Primario essentialia ad essentiam divinam proxime pertinere videntur et ipsum Dei conceptum ingrediuntur. Sunt haec quinque: infinitas, simplicitas; unitas, veritas, bonitas. Ab aliquibus non vocantur attributa, sed perfectiones. — Secundario essentialia ad essentiam divinam non tam prope videntur pertinere et ex conceptu Dei magis eruuntur. Sunt cetera omnia.

2. *Ratione modi, quo a nobis cognoscuntur:* in negativa et affirmativa seu positiva. Illa cognoscuntur via negationis, haec via affirmationis.

Attributa negativa plerumque praedicantur terminis negativis, ut immensitas, interdum vero positivis, ut aeternitas. Attributa positiva semper praedicantur terminis affirmativis, v. g. bonitas, iustitia.

3. *Ratione modi, quo Deum exhibent:* in quiescentia, operativa, moralia. Quiescentia, quae etiam immanentia vel metaphysica vocantur, Deum exhibent ut ens simpliciter dictum, e. g. immutabilitas. Operativa, etiam actuosa vel physica dicta, Deum exhibent ut ens vivum, e. g. voluntas. Moralia Deum exhibent ut ens morale, e. g. sanctitas.

V. De attributis divinis duae habentur definitiones Ecclesiae: altera Concilii Lateranensis IV, altera Concilii Vaticani.

Lat. cap. 1. haec habet: Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus, immen-

sus et incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens et ineffabilis (D. 355).

Vatic. sess. 3, cap. 1. haec dicit: Sancta catholica apostolica Romana ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus (D. 1631).

CAPUT I.

De Attributis Dei Quiescentibus.

ARTICULUS I.

DE ATTRIBUTIS QUIESCENTIBUS NEGATIVIS.

Attributa quiescentia negativa sunt potissimum haec septem: infinitas, simplicitas, immutabilitas; aeternitas, immensitas; invisibilitas atque incomprehensibilitas. — Tria prima attributa exhibent sublimitatem Dei super esse omnium creaturarum, duo media super tempus et spatium, duo postrema super creaturarum apprehensionem. — Omnia illa attributa in Deo inesse est de fide ex ordinario magisterio Ecclesiae et quoad omnia fere etiam ex Vatic. ac partim ex Lat. IV.

THESIS I. **Deus est infinitus seu infinite perfectus.**

Explicatur: Infinitas Dei:

1. Consistit in eo, quod Deus et is quidem solus complectitur omnes perfectiones atque eas modo tam perfecto, quo eas complecti potest, ita ut nulla perfectio possit concipi, quae in Deo vel formaliter vel eminenter non contineatur.

2. Vocatur quoque infinitudo vel infinita perfectio.

3. Ad aseitatem tam prope accedit, ut ipsa fere aseitas confuse percepta videatur esse, unde et ab aliquibus attributis non annumeratur.

Probatur: I. E Scriptura. Ps. 144, 3: *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis eius non est finis* (hebr. investigatio seu perscrutatio). — Si magnitudo Dei investigari non potest, est infinita.

II. Ratione. Deus est ipsum esse subsistens; ergo omnia complectitur, quae sunt de ratione entis; sed omnis perfectio est de ratione entis; ergo Deus omnem perfectionem complectitur. — Praeterea omnis perfectio in Deo infinita sit necesse est. Nam quidquid finitum est, non est ipsum esse, sed aliquid entis, cum per illud conceptus ipsius esse non exhauriatur.

Scholion. 1. Omnia, quae praeter Deum exsistunt, prae Deo vocantur non exsistentia, et quia ex se nihil sunt, et quia, quantumcumque augentur, ad illud esse, quod Deus est, numquam attingunt.

2. Deus una cum mundo apprehensus non est plus entis, quam Deus absque mundo consideratus. Nam quidquid entitatis seu perfectionis in mundo invenitur, in Deo est eminenter; quidquid imperfectionis, in Deo deest.

Illustratur simili. Non est plus artis in mente artificis una cum artificio apprehensa, quam in mente artificis absque artificio spectata.

3. Sententia, quae admittit possibilitatem vel etiam realitatem infinitae extensionis quantitativae seu infiniti spatii et possibilitatem infinitae extensionis numericae seu infinitae multitudinis successivae (non solum quoad post, quae realis est, sed etiam quoad ante), fidei non adversatur. Nam extensio, quamvis sit infinita, est perfectio solummodo mixta, seu essentialiter in se includit imperfectionem, unde non est infinita perfectio.

THESIS II. **Deus est simplicissimus.**

Explicatur: Simplicitas Dei consistit in carentia omnis compositionis (i. e. partium distinctarum unionis), tam metaphysicae quam a fortiori physicae. Deus igitur non constat 1. ex essentia et exsistentia, id quod iam ipsa aseitate immediate excluditur; neque 2. ex actu et potentia; sed, cum in eo nulla sit potentia, actus est purissimus; neque 3. ex natura et subsistentia; neque 4. ex natura et facultatibus earumque actibus; sed natura Dei est e. g. ipse intellectus, et intellectus est ipsa intellectio; neque 5. ex substantia et accidentibus, seu in eo

non sunt ulla accidentia; neque 6. sive ex materia et forma, sive ex partibus integrantibus; sed est purus spiritus. — Quidquid igitur in Deo est, hoc est ipse Deus. Hinc est, cur de Deo nomina abstracta simul et concreta praedicari possint; hinc quoque est, cur inter ea, quae in Deo sunt absoluta, nulla sit admittenda distinctio realis.

Probatur: I. E Scriptura, tam quoad simplicitatem metaphysicam, quam physicam. In ea enim:

1. Christus vocatur vita et veritas et Deus. Io. 14, 6. Christus de se ipso dicit: *Ego sum via et veritas et vita* (ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή). — 1. Io. 4, 8. vocatur caritas: *Deus caritas est.* — Ergo vita et veritas et caritas in Deo non sunt aliquid ad essentiam accedens, sed sunt ipsa eius essentia, seu Deus non est compositus ex essentia illisque perfectionibus.

2. Deus vocatur spiritus. Io. 4, 24 Christus dicit: *Spiritus est Deus* (Πνεῦμα ὁ θεός). Sed vocabulum spiritus, si de persona adhibetur, in Scriptura non significat nisi substantiam incorpoream.

Verba Scripturae, quibus Deo attribuuntur membra corporea, ut oculi, aures, os etc. eorumque actus, ut visus, auditus, locutio etc., metaphorice esse intelligenda per se patet.

II. Ratione. A Deo omnis compositio excluditur:

1. *Ratione aseitatis.* Nam omne compositum supponit causam, quae componat seu partes compositi coniungat; sed Deus, cum sit ipsum esse subsistens, sui causam non habet.

2. *Ratione infinitae perfectionis.* Nam omne compositum necessario exhibet unam partem, quae perficitur et alteram, quae perficit. Atqui constare ex parte perficienda et ex parte perficiente iam essentialiter includit imperfectionem.

Scholion. De distinctione in Deo admittenda.

Quamvis inter ea, quae in Deo absoluta sunt, distinctionem realem admittere non liceat, id quod ab Eugenio III. in Concilio Remensi (a. 1145.) contra Gilbertum Porretanum est declaratum (D. 329), distinctio tamen aliqua, quae nullo modo sit realis, debet admitti. Nam: 1. Scriptura inter varia attributa, v. g. iustitiam et misericordiam, semper distinguit iisque effectus plane diversos constanter adscribit. Iam vero si id faceret, quin inter illa attributa ulla sit distinctio, nugatorie loqueretur, id quod de Scriptura non est sentiendum. 2. Ss. Pa-

tres eiusmodi distinctionem non solum diserte admittebant, sed etiam contra Aëtium et Eunomium saec. 4. eam negantes acerrime propugnabant. 3. Ioannes XXII. a. 1329. damnavit propositionem 23. Eccardi (Eckhart, O. P. † 1327): Deus unus est omnibus modis et secundum omnem rationem, ita ut in ipso non sit invenire aliquam multitudinem *in intellectu* vel extra intellectum... Nulla igitur in Deo distinctio esse aut *intelligi* potest (D. 450). 4. Si ea distinctio reiiceretur, immanis oriretur confusio et lata via patefieret omni errori.

Thesis III. **Deus est immutabilis.**

Explicatur: 1. Immutabilitas est incapacitas mutationis. Mutatio est transitus de statu in statum seu ab uno modo se habendi ad alium.

2. Mutatio dividitur in realem, quae et vocatur propria vel interna quaeque est mutatio simpliciter dicta, et nominalem, quae etiam impropria vel externa dicitur. Mutatio realis fit per acceptionem aut amissionem alicuius positivae perfectionis; nominalis fit per acceptionem aut amissionem meræ denominationis externae (extrinsecae - quin perfectio positiva aut obtineatur aut perdatur). — Mutatio realis fieri potest quoad substantiam, quoad accidentia, quoad actus.

3. In Deo mutatio nominalis esse potest, quia non impedit, quominus ipse eodem modo se habeat in se; sed realis qualiscumque in eo non potest esse.

Probatur: **I. E Scriptura.** Iac. 1, 17: *Apud quem* (Patrem luminum) *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio.*

II. Ratione. Omnis mutatio realis in ente, quod mutatur, 1. supponit potentiam et defectum; sed Deus est actus purus et infinitus; 2. involvit compositionem; sed Deus est simplicissimus.

Corollarium. 1. Divina immutabilitas ne concipiatur veluti quaedam inertia, sed ut sequela infinitae activitatis.

2. Quomodo operationes Dei ad extra tam variae tamque diversae immutabilitati ipsius non repugnent, aliquatenus sic illustrari potest: *a)* In nobis una eademque facultas elicere potest multos et diversos actus, qui multa et diversa attingunt obiecta: in Deo unus idemque actus purissimus, qui est eius essentia, indefinita et diversissima potest attingere obiecta. —

b) Facultas nostra actus illos eliciendo in ratione facultatis non variatur; actus divinus obiecta illa attingendo nullo modo mutatur. Non enim inde, quod illa a Deo dependent et consequenter ad eum relatione reali ordinantur, ipse acquirit ordinem vel relationem ad illa, sed in se manens immutatus perinde se habet, ac si illa non essent, simili modo, quo e. g. res, quae a nobis cognoscitur, in se perinde se habet, ac si non cognosceretur.

Illustratur simili. Sol diversa obiecta illustrat diversosque in variis rebus producit effectus, alias e. g. obdurando, alias emolliendo, vigorem in aliis fovendo, in aliis debilitando etc., quin per hoc mutetur.

Scholion. Affectus mutationem quandam involventes, v. g. irae, Deo in Scriptura et alibi metaphorice tribuuntur, idque loco effectuum, v. g. punitionis, qui in nobis ex respondentibus affectibus provenire solent.

THESIS IV. **Deus est aeternus.**

Explicatur: 1. Aeternitas Dei est divina duratio, quae necessario est sine initio, sine fine, sine ulla successione. Dicitur: sine *ulla* successione, ut excludatur successio tam quoad esse quam quoad agere.

At contra in aevo successio est quoad agere, non est quoad esse; in tempore est successio et quoad agere et quoad esse.

2. Itaque in aeternitate divina nec prius est nec posterius, nec transactum nec futurum; sed ipsa est unicum et indivisibile nunc permanens.

3. Aeternitas divina, cum sit duratio divini esse, est ipsum esse divinum, in quantum durat; proinde Deus est sua aeternitas, sicut est sua bonitas etc.

Celebris est haec definitio aeternitatis a Boethio tradita: interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. — Dicitur 1. *possessio*, ut designetur aeternitatis divinae firmitas ac stabilitas. Illud enim possidere dicimur, quod firmiter stabiliterque habemus; 2. *vitae*, non solum exsistentiae, quia aeternitas convenit etiam iis Dei actibus, qui in ipso sunt terminative contingentes, qui quidem actus magis in conceptu vitae, quam in conceptu essendi inclusi esse censentur; 3. *interminabilis*, quo exprimitur vitam illam initium et finem non solum non habere, sed nec habere posse; 4. *tota simul*, quo excluditur omnis durationis successio. Aeternitas enim divina caret partibus, quarum alia sequatur aliam, unde in ea nec prius est nec posterius, nec perfectum nec futurum, sed ipsa est unicum et indivisibile nunc permanens; 5. *perfecta*, quo excluditur omnis dependentia ab alio, includitur proinde interna necessitas.

Probatur: I. E Scriptura. Ps. 89, 2: *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.*

Ps. 101, 27. 28: *Ipsi* (coeli) *peribunt, tu autem permanes; et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut operitorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem ipse es, et anni tui non deficient.*

II. E traditione et mente Ecclesiae. In symbolo Athan. dicitur: Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus; et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus.

III. Ratione. Si duratio divina aut haberet initium aut finem aut ullam successionem, Deus non esset actus purus, sed esset in potentia; neque esset infinite perfectus, neque immutabilis.

Scholion. De coexsistentia rerum creatarum cum aeternitate Dei.

1. Omnia creata et consequenter omnia tempora, et praeterita et praesentia et futura, certe semper praesentia sunt toti aeternitati divinae seu Deo aeterno intentionaliter, ut aiunt, i. e. quatenus ea omnia ab intellectu divino semper cognoscuntur uno et eodem intuitu. Qui quidem intuitus, eo quod respectu omnium est unus et idem, nec respectu praeteritorum proprie habet rationem memoriae nec respectu futurorum rationem praevisionis.

2. Insuper a Thomistis tenetur omnia tempora, tam praeterita et futura quam praesentia, toti aeternitati Dei semper praesentia esse etiam physice, i. e. secundum suam realitatem.

Id vero fieri dicitur non per coextensionem rerum temporalium seu momentanearum ad infinitam aeternitatem, sed per virtualem extensionem infinitae atque indivisibilis aeternitatis ad res momentaneas. — Nam aeternitas, aiunt, physice coexsistit tempori in omnibus eius partibus seu momentis; non autem vice versa.

Ratio, quae a Thomistis affertur, est haec: Si tota aeternitas alicui temporis momento aliquando physice coexsistit, id quod dubitari nequit, eidem etiam semper physice coexsistit, quia est indivisibilis et tota simul.

Sed si assertum illud Thomistarum ad eorum dicendi modum stricte intelligitur, absonum est. Nam repugnat ex duobus alterum alteri physice coexsistere, nisi utrumque physice in

se exsistat. — Nec valet ratio ab iis allata. Ex eo enim, quod tota aeternitas alicui temporis momento aliquando physice coexsistit, non efficitur illam huic semper coexsistere. Nam coexsistentia aeternitatis cum aliquo momento temporis (sicut et cum toto tempore), non est aeternitas ipsa, sed eius relatio et ea quidem ex parte divinae aeternitatis rationis tantum. Relatio autem solummodo tunc est in ordine physico, si etiam eius terminus est in ordine physico.

THESIS V. **Deus est immensus et consequenter ubique praesens.**

Explicatur: 1. Immensitas Dei est perfectio, qua Deus potest et exigit totus praesens esse in omnibus rebus et locis eorumque partibus, quin iis contineatur. Ita praesens esse dicitur repletive praesens esse seu eiusmodi praesentia vocatur praesentia repletiva.

2. Omnipraesentia seu ubiquitas Dei consistit in eo, quod Deus modo illo reapse est in omnibus seu ubique.

3. Id, quod omnipraesentia immensitati superaddit, est mera denominatio externa, qua Deus realiter non mutatur.

Itaque *a)* Immensitas apta est, quae concipiatur ut fundamentum omnipraesentiae. — *b)* Immensitas Deo convenit necessario absolute: omnipraesentia necessario hypothetice, supposita sc. rerum mundanarum exsistentia, quarum productio Deo fuit libera. — *c)* Immensitas Deo competit ab aeterno; omnipraesentia tantummodo a creatione mundi. — *d)* Immensitas respicit omnes res non solum exsistentes, sed etiam possibiles: omnipraesentia solummodo res exsistentes. Unde illa latius patet, quam haec.

Probatur: I. E Scriptura. 1. *Quoad ubiquitatem.* Ierem. 23, 24: *Numquid non coelum et terram ego impleo? dicit Dominus.* — Coelum autem et terra in Scriptura significat totum mundum materialem.

Ps. 138, 7-12: *Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Et dixi: Forsitan tenebrae conculcabunt me, et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebrae non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebrae eius, ita et lumen eius.* — Act. 17, 28: *In ipso enim vivimus et movemur et sumus* (S. Paulus in medio areopagi).

2 *Quoad immensitatem.* Salomon dixit in dedicando templo 3. Reg. 8, 27: *Si enim coelum et coeli coelorum te ca-*

pere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi (te non potest capere)?

II. E Traditione et mente Ecclesiae. In symbolo Athan. dicitur: Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. — S. Ambrosius[1]: « Deus complens omnia, nusquam ipse confusus, penetrans omnia, nusquam ipse penetrandus, ubique totus ».

III. Ratione. Si Deus non esset immensus nec post mundum creatum omnipraesens, non esset infinite perfectus.

Scholion. 1. Deum esse extra mundum non potest dici positive, i. e. eo sensu, quod sit extra mundum tamquam in spatio; potest vero dici negative, i. e. eo sensu, quod sit extra mundum in se ipso, seu quod a mundo sit intrinsecus independens.

2. Deus dicitur speciali modo ibi esse, eo venire, inde recedere, ubi speciali modo operatur, operari incipit, operari desistit.

3. Immensitas idem est respectu spatii, quod aeternitas est respectu temporis. Sic: *a)* Deus ratione immensitatis liber est ab omnibus conditionibus spatii, unde nullo loco potest contineri: ratione aeternitatis liber est ab omnibus conditionibus temporis, unde nulli tempori obnoxius est. — *b)* Deus ratione immensitatis citra divisionem praesens est in singulis locis: ratione aeternitatis citra successionem praesens est singulis temporibus. — *c)* Deus non obstante immensitate ob specialem effectum aut productum aut producendum potest dici hinc vel illinc recedere aut huc vel illuc venire: similiter non obstante perpetuo nunc aeternitatis dici potest hoc vel illo tempore esse operatus vel operaturus. — *d)* A nobis immensitas Dei non potest concipi citra relationem ad spatium; aeternitas eius citra relationem ad tempus.

THESIS VI. **Deus est invisibilis.**

Explicatur. Sensus est: Deus non potest videri oculis corporeis. Et id quidem est absolute impossibile, ita ut oculus corporeus nec de potentia Dei absoluta ad Deum videndum possit elevari.

Probatur: I. E Scriptura. 1. Tim. 1, 17: *Regi autem saeculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria*

[1] De fide, l. 1, c. 16.

in saecula saeculorum. — 1. Tim. 6, 15. 16: *Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.*

II. Ratione. Patet ex Dei simplicitate.

Scholion. Loci Scripturae, quibus Deus oculis videri dicitur, modo proprie modo improprie sunt intelligendi. Proprie sunt intelligendi aut de visione Dei hominis i. e. Christi, aut de visione speciei corporalis, sub quo Deus in vetere testamento apparuit sive in persona ministri, sc. angeli, sive in persona propria, sc. Verbi Improprie sunt intelligendi de clariore *cognitione* Dei vel alicuius effectus divini qua divini (Iob 42, 5).

THESIS VII. **Deus est incomprehensibilis.**

Explicatur: Absolute impossibile est Deum ab ulla creatura cognosci adaequate seu totaliter, i. e. tam perfecte, quam cognoscibilis est.

Probatur: I. E Scriptura. Ps. 144, 3: *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis eius non est finis* (hebr. investigatio seu perscrutatio). Deus igitur est supra omnem investigationem seu perscrutationem. Sed hoc est idem atque esse incomprehensibilem.

II. Ratione. Cognoscibilitas Dei est tanta, quanta est eius perfectio; ergo infinita. Ideo cognitio, ut hanc cognoscibilitatem adaequet, pariter infinita sit necesse est. Sed repugnat intellectum creatum, quippe qui essentialiter sit finitus, habere cognitionem infinitam.

Scholion. De ineffabilitate Dei eiusque nominibus.

1. Deus a nulla creatura exprimi potest adaequate, quia est incomprehensibilis. A viatoribus non potest exprimi quidditative seu, ut est in se, quia ab iis nec quidditative potest cognosci. Possunt tamen Deo plura nomina imponi, quae eius perfectiones vere quidem, tamen imperfecte significent. — Ratio horum omnium est, quia nomina sunt signa conceptuum; proinde in tantum aliquid nominari seu exprimi potest, in quantum cognoscitur.

2. Praecipua nomina Dei hebraica sunt:

a) Iahve, quod nomen ab ipso Deo ut nomen suum proprium indicatum est (Exod. 3, 14), et a Iudaeis tam sanctum

habebatur, ut non soleret pronuntiari. — *b) El, Elohīm* (pluralis maiestaticus — frequentissime adhibitum). Iuxta etymologiam significat fortem. Saepe dicitur: Jahve-Elohim. — *c) Adon, Adonāj.* Significat dominatorem. Frequenter coniungitur cum Iahve. — *d) Eljōn,* quod significat supremum. — *e) Schaddāj, El Schaddaj.* Significat omnipotentem.

3. Iuxta usum loquendi et Scripturae et Ecclesiae proprium nomen Dei ponitur pro Deo ipso, praecipue, in quantum Deus semetipsum revelat sive gratias conferendo sive poenas expetendo. Itaque nomen Dei invocare vel glorificare est idem atque invocare vel glorificare Deum ipsum.

ARTICULUS II.

DE ATTRIBUTIS QUIESCENTIBUS AFFIRMATIVIS.

Attributa quiescentia affirmativa sunt potissimum haec quatuor: unitas, veritas, bonitas, pulchritudo. — Haec attributa Deo convenire est de fide ex ordinario magisterio Ecclesiae et quoad unitatem etiam ex Lat. IV. et Vatic.

THESIS I. **Deus est unus.**

Explicatur. Deus est unus non solum sensu positivo, quatenus est indivisus in se et divisus a quolibet alio (hoc enim sensu quodvis ens est unum); sed etiam sensu exclusivo, quatenus est unicus, i. e. quatenus ita est unus, ut praeter ipsum non sit alius Deus.

Probatur: I. E Scriptura, in qua vix ulla doctrina magis emphatice praedicatur: Deut. 32, 39: *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.* — Is. 44, 6; 45, 5; 1. Cor. 8, 4: *Nullus est Deus nisi unus.*

II. Ratione. Deum unicum esse colligitur:

1. *Ex eius infinitate.* Si enim duo (a fortiori: plures) essent dii, oporteret eos differre. Si differunt, aliquid esse debet, quo differunt. Hoc aut est perfectio aut imperfectio. Si est perfectio, ille, cui haec perfectio deest, non est infinite perfectus, consequenter nec Deus; si est imperfectio, ille, cui haec imperfectio inest, non est infinite perfectus, ergo nec Deus.

2. *Ex eius simplicitate.* Nam si plures essent dii, in unoquoque eorum distinctae essent natura divina communis et dif-

ferentia individualis. Per hoc autem haberetur compositio metaphysica, quae summae Dei simplicitati adversatur.

THESIS II. **Deus est veritas.**

Explicatur: 1. Veritas, quae hic consideratur, non est veritas in cognoscendo, quae est conformitas cognitionis cum re cognita; nam haec pertinet ad attributa actuosa; neque est veritas in dicendo, quae est conformitas dictionis cum cognitione; nam haec est attributum morale; sed est veritas in essendo seu veritas transcendentalis, quae in genere est conformitas rerum cum ideis seu intellectu Dei.

2. Haec veritas in Deo est absoluta conformitas divinae essentiae (physicae) cum intellectu divino, seu est ipsa divina essentia, quatenus intellectui divino absolute conformis est.

Probatur ratione: Hanc veritatem Deo necessario competere patet ex eo, quod essentia divina realiter idem est ac divinus intellectus.

THESIS III. **Deus est bonitas.**

Explicatur: 1. Bonitas, de qua hic agitur, non est bonitas moralis seu sanctitas; neque est illa divina bonitas, quae est erga creaturas, seu benignitas, cum utraque bonitas sit attributum morale; sed est bonitas transcendentalis.

2. Haec Dei bonitas est summa convenientia divinae essentiae (physicae) cum appetitu seu voluntate Dei et consequenter etiam creaturarum, seu est ipsa Dei essentia, in quantum appetitui Dei et consequenter creaturarum est summe conveniens.

Probatur ratione: Essentia Dei summe conveniens est appetitui seu voluntati divinae, quia illa realiter est idem atque haec. Eadem essentia summe conveniens est appetitui creato, quia, si perfecte satiat appetitum infinitum, a fortiori perfecte satiat appetitum finitum.

THESIS IV. **Deus est pulchritudo.**

Explicatur: 1. Pulchritudo in genere est perfectio rei, quatenus intuenti est delectabilis. Ut aliquid intuenti delectabile esse possit, in eo inveniatur oportet unitas in varietate.

2. In Deo est summa unitas in plenissima perfectionum varietate seu infinita plenitudo omnis perfectionis nexa cum absoluta simplicitate. Hinc pulchritudo divina est simplicissima infinitudo omnis perfectionis, quatenus ipsi Deo et creaturis ad ipsius visionem admissis est summe delectabilis.

3. Haec increata pulchritudo est exemplar omnis pulchritudinis creatae, non solum spiritualis, sed etiam corporalis.

Probatur: I. E Scriptura. Sap. 13, 3: *Quorum si specie* (καλλονῇ) *delectati deos putaverunt, sciant, quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit* (ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά).

II. Ratione. Infinita et simplicissima perfectio infinito intellectui ipsam intuenti infinitam delectationem afferat necesse est. Item fieri nequit, quin visio eiusdem, si mentibus creatis conceditur, his praebeat tantam delectationem, quanta a creaturis praeberi nequit.

Nota. Ne confundantur, sed bene distinguantur Dei perfectio et bonitas et pulchritudo! Deus est perfectus, quatenus per essentiam habet, quidquid ipsi convenit; bonus, quatenus propter perfectionem suam appetitui suo et creaturarum est conveniens; pulcher, quatenus eius contemplatio menti eum intuenti est delectabilis.

CAPUT II.

De Attributis Dei Operativis.

Attributa operativa seu actuosa seu physica vocantur quoque facultates divinae, quia a nobis concipiuntur ad instar facultatum, quae sint principia actuum et operationum.

ARTICULUS I.

DE INTELLECTU SEU SCIENTIA DEI.

§ I. *De perfectione scientiae divinae.*

Thesis I. **Deus est infinita intellectio.**

Probatur: I. E Scriptura, in qua Deus vocatur et spiritus et vita; sed vita spiritus est intellectio; ergo Deus, qui est vita ipsa, est etiam ipsa intellectio.

Io. 4. 24: Πνεῦμα ὁ θεός; — 14, 6: Ἐγώ εἰμι... ἡ ζωή.

II. Ratione. Deus est infinite perfectus; ergo etiam praeditus infinita intellectione, quippe quae sit perfectio. Item est

omnino simplex; ergo Dei intellectio est ipsa eius essentia. Ergo Deus est ipsa infinita intellectio.

Thesis II. **Intellectus divinus ab obiectis ad intelligendum non determinatur.**

Explicatur et probatur ratione: Cum intellectus divinus non, ut intellectus creatus, sit in potentia ad intelligendum, sed sit ipsa intellectio, nulla res potest eum ad intelligendum determinare seu eius intellectionem producere.

Itaque: 1. Essentia divina Deum non magis ad intelligendum determinat vel movet, quam eum determinat vel movet ad exsistendum. Si illud nihilominus affirmatur, eo tantummodo significatur essentiam divinam seu Deum sibi ipsi esse rationem (non vero causam) intelligendi, quemadmodum Deus sibi ipsi est et ratio exsistendi.

2. Obiecta creata intellectum divinum ad ipsa intelligenda nullo modo possunt movere vel determinare; nec minimum in eum exercere possunt influxum. Omnia igitur illa obiecta respectu intellectionis divinae sunt obiecta solummodo terminativa, et divina intellectio ad ea non habet ullam relationem realem.

E contrario intellectus noster ex se est solummodo in potentia ad cognoscendum. Ergo, ut transeat in actum, movendus est ab aliquo alio. Hoc aliud vocatur obiectum motivum seu determinativum, et est in nobis species impressa. Si vero intellectus noster eo modo ad actum cognoscendi est determinatus, non limitatur ad solummodo cognoscendum illud obiectum, a quo est determinatus; sed ex eo etiam alia potest cognoscere, quae ipsum ad actum cognoscendi ex se nequaquam determinarunt. Haec vocantur obiecta terminativa, quae e. g. sunt non ens cognitum ex ente, ens potentiale cognitum ex ente actuali.

Thesis III. **Deus quodvis obiectum cognoscit ut id, quod est, et quousque est cognoscibile.**

Explicatur: 1. Deus distincte cognoscit omnia creata *a)* secundum omnes differentias genericas, specificas, individuales, — *b)* necessaria ut necessaria, libera ut libera etc., praeterita ut praeterita etc., uno enim atque eodem scientiae actu per totam aeternitatem cognoscit rem ut futuram pro tempore, quo exsistet; ut praesentem pro tempore, quo exsistit; ut praeteritam pro tempore, quo exstitit.

2. Deus totam obiectorum cognoscibilitatem exhaurit. Itaque e. g. cognoscit effectus et in iis ipsis et in eorum causis; co-

gnoscit quoque modum, quo effectus in causis continentur atque ex iis possunt cognosci, sive cum certitudine et ea quidem aut metaphysica aut physica aut morali, sive cum probabilitate tantum etc.

Probatur ratione: Nisi Deus omnia illa ita cognosceret, cognitio seu intellectio eius non esset infinite perfecta.

THESIS IV. **Deus omnia cognoscibilia uno actu perfecte cognoscit.**

Probatur ratione: Quo plura obiecta uno actu perfecte cognoscuntur, eo perfectior est cognitio; sed cognitio divina est infinite perfecta; ergo per eam omnia obiecta seu cognoscibilia uno actu perfecte cognoscuntur.

Conclusio. Consequenter cognitio divina:

1. *Est sine ullo discursu.* Nam et ille, qui facit discursum late dictum, i. e. qui cognoscit unum *post* alterum, et ille, qui facit discursum stricte dictum, i. e. qui cognoscit unum *ex* altero prius cognito, haec duo actibus duobus cognoscit.

2. *Est sine compositione et divisione mentali.* Nam qui mentaliter componit vel dividit, non cognoscit uno ac primo intuitu omnia, quae de re, quam cognoscit, possunt praedicari.

§ II. *De obiectis scientiae divinae.*

THESIS I. **Deus cognoscit omnia seu est omniscius.**

De fide ex Vatic., quod sess. 3, cap. 1. Deum vocat intellectu infinitum.

Probatur generatim:

I. E Scriptura. Esth. 14, 11: *Domine, qui habes omnium scientiam.* — 1. Cor. 2, 10: *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda* (τὰ βάθη) *Dei* = Spiritus Dei omnia penitus novit, etiam intima Divinitatis mysteria et consilia.

II. Ratione: Ens infinite perfectum omnia sciat necesse est.

Explicatur et probatur per partes:

I. Deus comprehendit *semetipsum.* Nam intellectio Dei realiter est idem atque ipsa eius essentia.

II. Deus intelligit omnia *possibilia.* Nam legitur Matth. 19, 26: *Apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Sed Deus sciens operatur. Ergo omnia possibilia etiam intelligit.

III. Deus novit omnes *creaturas:* et quae fuerunt et quae sunt et quae erunt. Nam dicitur Hebr. 4, 13: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius.*

IV. Deus perspicit omnes omnium creaturarum *actus:* et internos et externos, tam voluntarios quam involuntarios, non solum praeteritos et praesentes, sed etiam futuros, id quod expresse docetur a Vatic. sess. 3, cap. 1. dicente: « Omnia enim nuda et aperta sunt oculis eius; ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt ».

Probatur: 1. Quoad actus *praesentes.* Eccli. 23, 28: *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi* (sc. cordium), *et hominum corda intuentes in absconditas partes.*

2. Quoad actus *futuros. a) Generatim* ex vaticiniis seu prophetiis divinitus editis. Quapropter Tertullianus recte observat [1] praescientiam Dei tot habere testes, quot fecerit prophetas. — *b) Speciatim.* Exod. 3, 19: *Ego* (Dominus) *scio, quod non dimittet vos rex Aegypti, ut eatis, nisi per manum validam.* — Io. 6, 65: *Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.*

V. Deus certo cognoscit omnes actus liberos (a fortiori non liberos) omnium creaturarum *conditionate futuros* seu futuribiles, qui dicuntur. Hi actus sunt ii, qui numquam quidem erunt, tamen futuri essent, si poneretur aliqua conditio, quae reapse non ponitur. Deum hos actus certo cognoscere nunc communiter tenetur contra quosdam antiquos Thomistas.

Sicut conditionate futura, ita, ut per se patet, etiam conditionate praesentia et praeterita a Deo certo cognoscuntur.

Probatur: 1. *E Scriptura.* 1. Reg. 23, 10-13: *Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam* (Keïlam), *ut everlat urbem propter me... Si descendet Saul, sicut audivit servus tuus?... Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilae et viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. Surrexit ergo David et viri eius quasi sexcenti et egressi de Ceila huc atque illuc*

[1] Contra Marc. l. 2, c. 5.

cagabantur incerti. Nuntiatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceila et salvatus esset, quamobrem dissimulavit exire. — Hoc loco habentur: *a) non futura.* Nam neque Saul descendit neque Ceilitae David tradiderunt. — *b) Libera conditionate futura.* Nam si David Ceilae remansisset, Saul illuc libere descendisset et Ceilitae David libere tradidissent. — *c) Deo certo cognita.* Nam secus non potuit asseveranter dicere: Descendet; tradent.

Gen. 11, 6: *Dixit* (Dominus):... *Nec desistent a cogitationibus suis* (turrim babylonicam aedificandi), *donec eas opere compleant.* — Etiam hoc loco tria illa haberi, quae loco praecedenti habentur, manifestum est. — Ierem. 38, 17. 18; Luc. 10, 13; Act. 22, 17. 18.

2. *Ratione.* Scientia actuum liberorum futuribilium:

a) Pertinet ad perfectionem divinae *scientiae.* Nam actus illi habent aliquam intelligibilitatem, ut iam patet ex eo, quod a nobis saepe cum maiore vel minore probabilitate coniiciuntur seu coniecturaliter cognoscuntur. Si igitur a Deo nullo modo cognoscerentur, Deus in cognitione nobis esset inferior. Sin ab eo, ut a nobis, ex parte tantum et solummodo cum probabilitate cognoscerentur, cognitio divina non esset infinita, sed tam extensive quam intensive limitata, id quod repugnat. Ergo Deus omnia libere futuribilia atque ea cum certitudine cognoscat necesse est. — Confirmatur: Deus tantae scientiae sit necesse est, ut ad omnia, quae possunt quaeri, certo et infallibiliter possit respondere. Sed respectu conditionate futurorum quaestiones poni possunt usque in indefinitum.

b) Pertinet ad perfectionem divinae *providentiae.* Si enim Deus nesciret, quid creatura sub hac vel illa conditione libere esset actura, apta media ad praestitutos fines eligere non posset.

Haec ratio, ut patet, non valet apud eos, qui censent Deum creaturas liberas ad omnes actus physice praedeterminare.

3. *Ex consensu fidelium*, qui dictamen rectae rationis et fidei sequentes: *a)* Deum precari solent, ut e. g. se in eo statu viae collocet, in quo se salutem operaturos esse praenoscat; ut sibi bona temporalia largiatur, si praesciat ea saluti suae non fore impedimento, ne sinat se aliquid facere, si hoc ipsis noxium evasurum praevideat etc. — *b)* In amittendis bonis terrenis

hoc solatio utuntur, quod Deus sciverit ea ipsis minus profutura esse ad salutem etc.

Scholion. De cognitione rerum infinitarum.

1. Iuxta sententiam communem Deus cognoscendo omnia possibilia et actus creaturarum in aeternum futuros cognoscit infinitam rerum multitudinem (minus recte dicitur: numerum, cum numerus sit multitudo, quae habet quantitatem determinatam).

2. Hanc multitudinem infinitam Deus non cognoscit enumerando partem post partem, seu, ut ait s. Thomas, per viam infiniti, quia ita cognoscendo ipse esset in potentia et eam numquam perfecte cognosceret; sed eam cognoscit uno actu seu intuitu. Neque eam cognoscit confuse, sed distincte.

3. Infinita igitur rerum multitudo, quamvis in se sit infinita potentia tantum, tamen in cognitione divina iuxta omnes fere veteres respectu possibilium et iuxta plerosque respectu actuum in aeternum futurorum est infinita actu. Quod quidem sic potest illustrari: Si omnes homines possibiles actu exsisterent in se, haberetur multitudo actu infinita in se seu secundum esse reale. Ergo a pari: Si omnes homines possibiles actu exsistunt in cognitione divina, habetur multitudo actu infinita in eadem cognitione seu secundum esse ideale.

Nos hoc apprehendere non posse inde est, quod multitudinem infinitam concipere non possumus nisi distincte concipiendo numerum aliquem finitum et confuse assignificando multitudinem infinitam, quae tota est extra numerum illum a nobis conceptum.

THESIS II. **Essentia Dei (physica) est obiectum formale et primarium scientiae divinae; res creatae sunt obiectum eius materiale et secundarium.**

Probatur ratione: 1. Illud est obiectum formale scientiae, quo haec est talis, qualis est, seu quo in specifica sua perfectione constituitur, sicut illud est forma rei, quo res est talis, qualis est, seu in determinata perfectionis specie collocatur. Sed scientia Dei in perfectione sibi propria constitui non potest nisi ab essentia divina. Nam alioquin ipsa Dei essentia, quippe quae realiter sit idem ac scientia, perfectionem suam aliunde posset habere. Hinc scientia divina talis esset, qualis est, etiamsi Deus res praeter se exsistentes ut exsistentes non cognosceret, quas quidem ut eas non cognosceret, si reapse

non essent. Hae igitur obiectum scientiae Dei non sunt nisi materiale.

2. Cum ad aliquam rem id solum primario pertineat, quod ad eius esse formale pertinet, obiectum scientiae divinae formale apte vocatur obiectum primarium et consequenter obiectum materiale aeque apte vocatur secundarium.

§ III. *De medio scientiae divinae.*

Praenotanda.

1. Intellectus noster res cognoscit mediante specie intelligibili, qua ad eas apprehendendas determinatur, unde species intelligibilis respectu cognitionis nostrae est et vocatur medium *quo* vel subiectivum. — Sicut intellectus noster ad cognoscendum determinatur specie intelligibili, ita sensu supra (§ II, thes. II.) exposito Deus ad cognoscendum determinatur sua essentia (physica). Unde divina essentia vocari potest et solet medium quo vel subiectivum vel etiam species intelligibilis divinae cognitionis seu divini intellectus.

2. Nos saepe cognoscimus unam rem in alia, v. g. animam nostram in actu cogitandi ut huius actus principium. Haec alia res respectu cognitionis nostrae est et vocatur medium (obiectivum) *in quo*. Sensu analogico etiam intellectui divino medium (obiectivum) in quo attribuitur, de quo agitur in sequentibus.

Medium (obiectivum) *ex quo* in Deo non potest esse, quia eius cognitio necessario est sine discursu.

Punctum I. **De medio scientiae divinae respectu creaturarum in genere.**

Thesis. **Essentia divina est medium, in quo cognito Deus cognoscit omnia a se distincta.**

Est *sententia communis*, si excipias Vasquez aliosque paucos.

Probatur ratione: 1. Deus perfecte cognoscit se ipsum, ergo etiam *suam virtutem*. Sed virtus perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quae se extendit. Iam vero divina virtus se extendit ad omnia, quae extra Deum sunt vel esse possunt. Ergo Deus haec omnia cognoscit in virtute sua, consequenter in sua essentia.

2. Deus omnes res perfectissime cognoscit. Perfectissima autem cognito est ea, quae fit *per causam altissimam*. Sed altissima omnium rerum causa est essentia divina; ergo Deus in hac omnes res cognoscit.

Quaestio. **Utrum Deus a se distincta cognoscat solummodo in sua essentia an etiam immediate in iis ipsis.**

Deum illa cognoscere etiam in iis ipsis *affirmant pauci Scotistae et Molinistae*, in his Wirceburgenses; *negant omnes Thomistae, plerique Scotistae ac Molinistae* (testante Pesch etiam Molina ipse et Suarez).

Fautores sententiae *affirmantis* hanc proferunt rationem: Omnia illa in se ipsis sunt cognoscibilia; sed ab intellectu infinito cognoscantur oportet non solum omnia cognoscibilia sed ea etiam omni modo, quo sunt cognoscibilia.

Defensores sententiae *negantis* haec potissimum afferunt argumenta, quae desumuntur:

1. *Ex parte veritatis illorum obiectorum.* Cognoscere res a Deo distinctas in iis ipsis non est perfectio, sed imperfectio. Nam res illae veritatem (i. e. adaequationem ad intellectum) non habent nisi mediante essentia divina (sicut nec entitatem, quae est veritatis fundamentum, habent absque seu independenter ab essentia divina). Ergo eas non mediante divina essentia cognoscere est eas non eo modo cognoscere, quo sunt verae; ergo est eas imperfecte cognoscere.

2. *Ex parte speciei intelligibilis intellectus divini.* Unica species intellectus divini est Dei essentia. Atqui omnis species immediate ducit in cognitionem solummodo eius rei, cuius est species. Ergo intellectus divinus immediate cognoscit suam tantummodo essentiam et mediante hac essentia ea, quae a se sunt distincta.

3. *Ex comparatione intellectus divini cum divina voluntate.* Iuxta s. Thomam sic se habet principium in intelligibilibus, ut se habet finis in appetibilibus. Sed voluntas divina nihil amat nisi vi amoris essentiae suae. Ergo et intellectus divinus nihil cognoscit nisi vi cognitionis suae essentiae.

Punctum II. **De medio scientiae divinae respectu liberorum sive absolute sive conditionate futurorum.**

Haec speciatim proponuntur, quia specialem ad intelligendum afferunt difficultatem.

A. Sententia Thomistarum (Bannez).

I. Deus cognoscit *libera absolute futura* i. e. ea, quae a creaturis liberis libere fient, in suis decretis eorum futuritionem quoad entitatem physicam praedeterminantibus seu in essentia sua huiusmodi decretis determinata.

Ratio est, quia Deus ea non cognoscit nisi in essentia sua ut causa; sed Deus eorum causa est per decreta suae voluntatis; ergo illa in his etiam cognoscit.

Dictum est: quoad entitatem *physicam*, quia Deus futuritionem eorum, in quibus est deformitas moralis, quoad hanc deformitatem non praedeterminat, cum hanc potius solummodo permittat.

Itaque peccatum futurum Deus cognoscit in decreto positivo, quo eius entitatem physicam ut causa prima producere vult, et in decreto permissivo, quo eius deformitatem moralem ex libera voluntate creaturae oriundam auxilio suo efficaci impedire non vult.

« Ex hoc enim duplici decreto », inquit Gonet [1], « sequitur infallibiliter peccatum; ex primo quidem sequitur eius entitas et bonitas physica consecutione physica et causalitatis, sicut quilibet effectus sequitur ad suam causam; ex secundo vero sequitur eius malitia et deformitas, non consecutione physica et causalitatis, sed dumtaxat consecutione logica et illationis, sicut destructio sive annihilatio creaturae infallibiliter sequitur suspensionem sive denegationem divini concursus, a quo conservatur in esse, vel sicut ex remotione columnae sequitur casus lapidis, qui ab illa sustentatur, et ex remotione salis corruptio carnium, quae per illud impeditur. Quemadmodum enim, licet causa per se descensus lapidis non sit remotio columnae, sed lapidis gravitas, nec subtractio salis sit causa per se corruptionis carnium, sed mixtio seu pugna quatuor primarum qualitatum, sequitur tamen infallibiliter ad illam tamquam ad removens prohibens: ita pariter, licet denegatio auxilii efficacis non sit causa peccati, sed malitia et defectibilitas voluntatis humanae, si tamen Deus ob rationes occultas suae infinitae sapientiae et providentiae deserat hominem per denegationem auxilii efficacis, infallibiliter homo peccabit, iuxta illud Innocentii primi epist. 25. ad Concilium Carthaginiense: *Necesse est, ut quo auxiliante vincimus, eo non adiuvante vincamur.*

Dices: ille, qui removet columnam, a qua sustentatur lapis, censetur esse *causa* saltem moralis et indirecta casus lapidis; et ille, qui subtrahit sal a carnibus, ex cuius subtractione sequitur illarum corruptio, reputatur causa saltem moralis et indirecta corruptionis illarum; ergo pariter Deus

[1] Manuale Thomistarum, tom. 1, tract. 3, cap. 4, § 2, Obi. 3.

subtrahens homini auxilium efficax, ex cuius denegatione sequitur infallibiliter peccatum, erit causa saltem moralis et indirecta illius...

Respondeo... concesso antecedente negando consequentiam et paritatem. Ille enim, qui removet columnam sustentantem lapidem vel subtrahit sal a carnibus, tenetur interdum illud non subtrahere nec columnam removere. Deus autem *nunquam tenetur* dare auxilium efficax ad eliciendum actum virtutis peccato oppositum. Ut autem id, quod sequitur ad defectum actionis, alteri imputetur, tria requiruntur, nimirum quod *possit* et *debeat* et *non agat*, ut docet s. Thomas 1. 2, q. 6, a. 3. Ex quo ibidem q. 79, a. 1. infert Deum non posse dici causam peccati etiam indirectam ».

II. Deus cognoscit *libera conditionate futura* seu futuribilia in suis decretis subiective absolutis et obiective conditionatis seu in essentia sua huiusmodi decretis determinata.

Decretum subiective seu ex parte subiecti absolutum et obiective seu ex parte obiecti conditionatum habetur, quando ille, qui aliquid decernit, habet actualem volitionem, non tantummodo velleitatem, illud faciendi, si aliqua conditio impletur. Exprimitur e. g. sic: Pauperi aliquid dare volo seu determinatus sum ad aliquid pauperi dandum, si mihi obviam occurrit. Econtra decretum subiective conditionatum sic e. g. exprimitur: Pauperi aliquid dare vellem seu determinatus essem ad aliquid pauperi dandum, si quid haberem. Huiusmodi decretum in Deo esse nequit, quia, cum prae se ferat incertitudinem quandam seu haesitationem voluntatis et etiam communiter supponat defectum scientiae vel potentiae etc., in se continet aliquam imperfectionem. Decretum vero subiective absolutum et obiective tantum conditionatum in Deo potest esse. Eiusmodi decretum e. g. habetur, si Deus ab aeterno statuit, ut hominem aliquem, qui est medicus, si factus esset sacerdos, ad hoc vel illud physice praedeterminaret.

1. Haec decreta in Deo esse *a)* quoad ea conditionate futura, quae sunt revelata, certum habetur; — *b)* quoad ea, quae revelata non sunt, α) si spectant ad gubernationem huius mundi et habent ordinem ad ea, quae reapse aliquando fiunt, communiter admittitur, — β) sin secus, seu quoad omnia in quibusvis statibus et ordinibus rerum, controvertitur. Alii, ut *Ioannes a s. Thoma* (Lusitanus, saec. 17.) negant, existimantes Deum statuisse nihil de iis determinare (qui proinde, si de eiusmodi re interrogaretur, deberet respondere se eam ignorare, quia nullum de ea fecerit decretum); alii, iique *plurimi*, in his Salmanticenses et Goudin, affirmant, quia alioquin et voluntas et scientia Dei esset imperfecta: voluntas quidem, quia non esset determinata circa omnia, sed suspensa circa multa; scientia, quia non omnia comprehenderet, sed multa ignoraret.

2. Deum libera conditionate futura in eiusmodi decretis cognoscere a Gotti sic demonstratur[1]: « Tota rerum futuritio pendet a decreto et voluntate Dei; ergo, sicut non potest aliquid esse absolute futurum, nisi Deus decreverit illud absolute futurum esse, ita nequit aliquid esse futurum sub conditione per se non connexa, nisi Deus decreverit illud sub tali conditione eventurum. Unde enim sub tali conditione indifferente ad eventum vel non eventum eveniret potius, quam non eveniret, nisi esset, qui talem conditionem ad eventum ordinaret »?

B. Sententia aliquot Scotistarum.

I. Deus cognoscit *libera absolute futura* creaturarum in suis decretis eadem quoad entitatem physicam *condeterminantibus* seu in essentia sua huiusmodi decretis determinata.

Condeterminantia autem vocantur ea decreta, quibus Deus ab aeterno statuit cum creaturis in tempore coagere seu concurrere. Iisdem igitur Deus non statuit creaturas ad agendum physice praedeterminare, quae est sententia Thomistarum propria.

Dictum est: quoad entitatem *physicam*, quia decreta divina quoad actuum creaturarum deformitatem moralem non sunt decreta concurrendi, sed permittendi.

Ratio, quae pro hac sententia affertur, est ista: Ex una parte decreta *praedeterminantia*, cum repugnent libertati creaturarum, reiicienda sunt; ex altera autem parte *decreta* ad explicandam divinam cognitionem sunt admittenda. Nam futura per id sunt cognoscibilia, per quod sunt futura; sed futura non sunt absque decretis divinis, cum sine illis non differant a mere possibilibus; ergo nec sine iisdem decretis cognoscibilia sunt.

II. Deus cognoscit *libera conditionate futura* in eiusdem-modi decretis ex parte obiecti conditionatis.

Deus enim, sicut sub omni respectu seu in omni genere, ita etiam in genere potentiae volitivae est infinitus et omnes causas liberas tam quoad earum virtutem quam quoad earum indifferentiam eminenter in se continet. Itaque simul cum iis (eminenter in se contentis) conditionate determinat, quidquid eaedem pro sua libertate in unoquoque rerum ordine, si in eo

[1] Tract. 4, q. 6, dub. 2, § 2.

constituerentur, reapse agerent. Pertinet enim ad perfectionem divinae voluntatis non solum decernere, quid haec revera factura sit, sed etiam decernere, quid ipsa in aliis circumstantiis iisque omnibus, si occurrerent, factura esset.

In hac sententia intelligi nequit, quomodo Deus ex decreto suo cum creatura libere agente concurrendi liberam eiusdem determinationem sic vel sic agendi possit cognoscere. Quam si non ex decreto suo cognoscit, eam aliunde cognoscere dicendus est, et tunc haec sententia ad unam ex sequentibus est referenda.

C. Sententiae recentiorum.

I. *Libera conditionate futura* qua talia:

(qua possibilia enim iuxta omnes cognoscuntur in essentia divina ut in medio obiectivo)

1. Iuxta sententiam, quam tradidit *Molina* quamque ut probabilem proposuit *Bellarminus*, a Deo cognoscuntur *in supercomprehensione creaturarum* i. e. in perfectissima comprehensione naturae liberae ad actum liberum proxime dispositae et in perfectissima comprehensione eorum, quae naturam illam ad actum ponendum vel non ponendum allicere possint. Aliis verbis: Cum Deus et naturarum liberarum inclinationes, dispositiones, mores etc. et externas circumstantias perfectissime habeat perspectas, etiam certissime cognoscit, quid illae naturae in his circumstantiis libere sint acturae.

Huic sententiae istud potest opponi: Actus liber non potest cum maiore certitudine in creatura libera cognosci, quam in ea inest. Sed quilibet actus liber cuiuscunque creaturae a Deo ab aeterno cognoscitur cum metaphysica certitudine; eiusmodi autem actus in creatura libera numquam cum certitudine metaphysica inest, sed ad summum interdum cum certitudine morali.

2. Iuxta sententiam, quam docuit *Suarez* quamque *plurimi recentiores* accipiunt, a Deo cognoscuntur *in obiectiva ipsorum veritate.*

Explicatur: a) Essentia divina, quatenus fungitur munere speciei intelligibilis, necessario repraesentat *omne verum*. Sin secus, non esset infinite perfecta. Sed quomodo creatura, si in illis vel illis circumstantiis versaretur, libere ageret, sine dubio est aliquid verum. Nam creatura libera ad libere agendum expedita non potest ab *omni* exercitio libertatis abstinere, sed ad aliquid sive faciendum sive omittendum se determinet necesse est.

b) Essentia divina necessario repraesentat omne verum *secundum eum modum, quo obiective seu in ordine ontologico verum est.* Sed liberum conditionate futurum ex una parte verum est, quin per aliquid extra liberam creaturae determinationem positum ad esse verum sit determinatum; ex altera autem parte verum non est, quin praesupponatur Deum creaturae, si actura esset, concursum concomitantem esse praestiturum. Si enim concursus divinus non praestaretur, creatura nec quidquam facere nec se libere determinare posset. Ergo essentia divina liberum conditionate futurum repraesentat supposita conditione (non supposito decreto conditionato, ut Scotistae volunt) cum creatura concurrendi seu coagendi.

In hac sententia a nobis percipi nequit, quomodo Deus certo sciat, ad quid creatura sub quavis conditione se libere sit determinatura, cum ex una parte hanc suam scientiam ex libera creaturae determinatione non repetat, ex altera vero parte sua voluntate liberam creaturae determinationem non praedeterminet. Itaque inter liberam creaturae determinationem et divinam scientiam nulla apparet connexio seu relatio. Sed, dicunt, difficultas non dissimilis etiam tum habetur, si admittitur praedeterminatio physica Thomistarum. Nam neque in voluntate Dei est relatio realis ad actum creaturae. In nullo enim attributo divino ad aliquid creatum ulla potest esse relatio realis. Hinc Deus, sicut absque relatione reali intellectus ad obiectum habita hoc obiectum cognoscit, ita etiam absque relatione reali voluntatis ad obiectum habita hoc obiectum vult. Nam et intellectio et volitio divina ex parte rei nihil aliud est, nisi ipsa divina essentia connotato termino, ad quam essentia nullam habet relationem realem.

II. Supposita scientia liberorum conditionate futurorum in eorum obiectiva veritate *libera absolute futura* a Deo cognoscuntur in decreto, quo statuit conditionem aliquam verificare.

Probatur: Per scientiam liberorum conditionate futurorum Deus cognoscit liberum creaturae arbitrium certum in modum esse acturum, si in certis ponatur conditionibus. Ut igitur haec scientia conditionata transeat in absolutam, aliqua requiruntur, quae pendent a libera voluntate Dei, saltem sc. creaturam suis viribus esse instructam et habere divinum concursum; ergo etiam requiritur decretum Dei omnes necessarias conditiones verificandi. Deus vero hoc decretum habere nequit, quin eo ipso videat, quid sit absolute futurum.

Attamen ratio actum absolute futurum determinate cognoscendi non ideo in decreto Dei inest, quod hoc ex se et antecedenter ad actum secun-

dum voluntatem ad unum determinet, sed ideo, quia Deus praenoscit voluntatem, si in iis conditionibus ponatur, esse consensuram, quamvis et possit dissentire. Haec igitur veritas non est determinata in decreto aliquo divino, sed in se ipsa, unde et recte dici potest et ab aliquibus dicitur: Deus libera creaturarum absolute futura cognoscit in eorum veritate obiectiva seu in iis ipsis.

§ IV. *De divisione scientiae divinae.*

Scientia divina, quae in se simplicissima est, ex parte obiectorum distinguitur, praesertim:

1. Scientia *simplicis intelligentiae* et scientia *visionis* et iuxta Molinistas scientia *media*. Obiectum scientiae simplicis intelligentiae sunt omnia mere possibilia. Obiectum scientiae visionis sunt omnia actualia: tam Deus, quam creaturae. Ut obiectum scientiae mediae a Molinistis statuuntur omnia conditionate futura, quippe quae medient inter mere possibilia et vere actualia.

A Thomistis conditionate futura assignantur aut scientiae visionis aut scientiae simplicis intelligentiae, quae proinde ab iis, a quibus illa huic assignantur, dividitur in necessariam, quae versetur circa mere possibilia, et liberam, quae versetur circa conditionate futura.

Aliqui Scotistarum scientiam mediam admittunt, imprimis testante Mastrio [1] Poncius et Faber; alii eam reiiciunt.

2. Scientia *necessaria* seu naturalis et scientia *libera* et iuxta aliquos scientia media, quae etiam hic poni potest. Obiectum scientiae necessariae sunt ea, quae ex natura rei absolute necessaria sunt, sc. Deus et possibilia. Obiectum scientiae liberae sunt ea, quae pendent ab actuali exercitio libertatis divinae. Obiectum scientiae mediae sunt ea, quae ex una parte non pendent ab actuali exercitio divinae libertatis, ex altera vero parte nec sunt absolute necessaria: sunt libera conditionate futura.

Secundum alios vero, etiam Molinistas, scientia Dei sub hoc respectu considerata dividitur solum in necessariam et liberam. Et libera quidem dicitur ea, cuius obiectum sunt illa, quae *aliquo modo* pendent a libera voluntate Dei sive faciente

[1] Tom. 1, disp. 3, q. 4, a. 3, n. 229.

sive permittente. Ad hanc ab iisdem reducitur scientia conditionate futurorum.

3. Scientia *speculativa* et scientia *practica*. Scientia speculativa considerat obiecta sua ut tantummodo cognoscibilia. Scientia practica obiecta sua considerat ut operabilia. Haec, in quantum ostendit, quae res produci possint, est practica in actu primo; in quantum praelucet liberae Dei voluntati imperanti, ut res pro aliqua differentia temporis actu sint, est practica in actu secundo. Haec altera dicenda est causa rerum. Sap. 7, 21: *Omnium enim artifex docuit me sapientia*. Eccli. 24, 6. Tamen non est causa rerum per se sola, sed adiuncta voluntate, cui ut causa exemplaris et directrix praelucet.

4. Scientia *approbationis* et scientia *improbationis*, prout obiecta cognita Deo placent aut displicent. Ps. 1, 6: *Quoniam novit Dominus viam iustorum*. Matth. 7, 23: *Et tunc* (die iudicii) *confitebor illis: Quia numquam novi vos: discedite a me*.

ARTICULUS II.

DE VOLUNTATE DEI.

§ I. *De voluntate Dei in genere.*

Punctum I. De perfectione divinae voluntatis.

Thesis. **Deus est infinita voluntas seu volitio subsistens.**

Declaratum a Vaticano, a quo Deus vocatur voluntate infinitus... simplex omnino substantia; sed hoc est idem atque voluntas seu volitio infinita substantialis seu subsistens.

Probatur ratione: Voluntas est perfectio simplex; ergo enti infinito deesse non potest. Quae quidem voluntas in Deo: 1. Non est facultas, ex qua actus volendi procedat, sed est ipse volendi *actus* seu ipsa volitio. Nam ipsum esse subsistens seu actus purissimus nulla re ex potentia in actum potest transire.

2. Est ipsa divina *essentia*, quia Deus est omnino simplex; proinde est etiam infinita.

Nos tamen ratione ratiocinata distinguimus divinam essentiam a divina voluntate illamque concipimus ut principium huius, et eo sensu recte dicimus: Deus est sibi ratio (non causa) volendi.

Punctum II. De obiecto divinae voluntatis.

Thesis. **Obiectum formale et primarium divinae voluntatis est Deus ipse; creaturae sunt obiectum eius materiale et secundarium.**

Explicatur pars prior: 1. Obiectum formale et primarium voluntatis illud est, quod voluntas vult propter idipsum seu ratione ipsius. Sensus igitur partis prioris est: Deus se vult propter se ipsum.

2. Hoc obiectum divinae voluntatis est Deus ipse ut summa bonitas seu ut summum bonum. Nam ratio formalis obiecti voluntatis est bonitas, sicut ratio formalis obiecti intellectus est veritas.

3. Actus, quó Deus se vult, est infinitus amor, quo se vult ut summum bonum seu quo hoc bonum sibi vult, et infinitum gaudium de possessione huius boni.

Explicatur pars altera: 1. Obiectum materiale et secundarium voluntatis illud est, quod voluntas vult quidem, non tamen propter idipsum seu ratione ipsius, sed propter obiectum formale et primarium. Sensus igitur partis alterius est: Deus alia i. e. creaturas vult propter se ipsum.

2. Obiectum materiale et secundarium divinae voluntatis sunt: *a) Possibilia*, quae Deus vult amore complacentiae inefficaci seu quibus gaudet, quia infinitam suam perfectionem secundum similitudinem quandam imitantur. — *b) Actualia*, quae vult amore complacentiae efficaci.

3. Ratio, cur Deus creaturas vult, est amor sui ipsius, summi boni. Eas tamen volendo non quaerit bonitatis suae augmentum, sed eius communicationem.

Probatur thesis ratione: 1. Is, qui vult, ad volendum ab obiecto formali determinatur; sed Deus a creaturis ad volendum determinari non potest, quia alioquin et respectu earum esset in potentia et, cum suum velle sit suum esse, ab iis etiam ad esse determinaretur.

2. Actus volendi habet perfectionem suam ab obiecto formali; sed velle divinum est infinitum; ergo a solo ente infinito perfectionem suam potest habere.

Punctum III. De libertate divinae voluntatis.

Thesis I. **Deus se ipsum non libere, sed necessario vult seu diligit.**

Explicatur: Actus, quo Deus se diligit, non est coactus, sed spontaneus; non caece sequitur impetum naturae, sed sequitur intellectum; unde est voluntarius. Tamen est necessarius, idque tam quoad specificationem, quam quoad exercitium.

Probatur: Voluntas Dei necessario est in actu; ergo etiam necessario habet obiectum, cum non possit versari circa nihil. Sed hoc obiectum non potest esse nisi essentia divina, quia haec sola est obiectum voluntatis divinae formale et primarium.

THESIS II. **Deus in operando ad extra est liber.**

De fide ex ordinario magisterio Ecclesiae et ex Vatic. sess. 3, cap. 1: Hic solus verus Deus... liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam etc. — Ib. can. I, 5: Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum,... a. s.

Opponitur Abaelardo, Wicleffio etc.

Explicatur: 1. Deus liber est, quatenus potest ad extra operari vel non operari, illa facere vel haec, taliter agere vel taliter. Itaque potest inter plura *eligere*.

2. Libera Dei electio *a)* fit *secundum rationem* seu ex consilio, non tamen praehabita deliberatione; *b) non* fit *post* praecedentem indifferentiam; econtra Deus ab aeterno se libere determinavit.

3. Deus liber est *antecedenter* ad suppositionem liberae determinationis ad unum. Itaque consequenter ad hanc determinationem ad unum circa hoc iam non est liber. Alioquin enim mutabilis esset et consequenter non infinite perfectus.

4. Actus liber divinae voluntatis, utpote realiter idem ac divina essentia, *entitative necessarius* est et solummodo *terminative liber;* i. e. eatenus tantum liber est, quatenus terminatur ad obiecta extra se posita seu externa, ad quae etiam non terminari potuit. Hoc enim ad voluntatem infinitam necessario pertinet.

Probatur: I. E Scriptura, in qua: 1. *Generatim* de Deo praedicatur Eph. 1, 11: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* (κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ). 2. *Speciatim* Dei beneplacito adscribuntur mundi creatio, hominum gubernatio, redemptio, electio, gratiarum largitio.

Ps. 134, 6: *Omnia, quaecunque voluit, Dominus fecit in coelo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.* — Rom. 9, 11-13: *Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret* — ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ), *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* — Dan. 3, 17. 18: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis... Quodsi noluerit, notum sit tibi rex, quia deos tuos non colimus.* — Luc. 22, 42: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* — Gal. 1, 4: *Qui* (Iesus Christus) *dedit semetipsum pro peccatis nostris... secundum voluntatem Dei.* — Eph. 1, 5: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum... secundum propositum voluntatis suae* (κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ). — Exod. 33, 19: *Miserebor, cui voluero; et clemens ero, in quem mihi placuerit.* Rom. 9, 15. — Matth. 11, 25. 26: *In illo tempore respondens Iesus dixit: Confiteor tibi Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* — 1. Cor. 12, 11: *Haec autem omnia* (charismata) *operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.*

3. Saepissime *admonemur*, ut Deum laudemus propter eius misericordiam, ut Deo gratias agamus pro beneficiis acceptis, ut a Deo bona petamus etc. Ad quid enim haec omnia, si Deus bona vel mala necessario immitteret?

Ps. 116: *Laudate Dominum omnes gentes* etc. — Philipp. 4, 6: *In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.*

II. **E mente Ecclesiae**, quae patet ex eo, quod:

1. In concilio Senonensi a. 1141. habito et ab Innocentio II. damnata est haec (7.) propositio Abaelardi: Quod ea solummodo possit Deus facere vel dimittere, vel eo modo tantum vel eo tempore, quo facit, et non alio (D. 316).

2. Fideles ab Ecclesia continenter fere aut verbis aut factis admonentur, ut precibus bona a Deo impetrent etc.

III. **Ratione.** Deus nihil vult nisi ratione sui; ergo alia solummodo tunc necessario velle posset, si sine iis sibi sufficiens ideoque infinite perfectus non esset.

Punctum IV. De divisione divinae voluntatis.

Voluntas divina ratione ratiocinata distingui solet:

1. Voluntas *beneplaciti* et voluntas *signi*. Voluntas beneplaciti est voluntas, ut in Deo exsistit. Voluntas signi est voluntas, ut a Deo per aliquod signum ad extra manifestatur. Signa divinae voluntatis quinque enumerari solent, sc. praece-

ptum, prohibitio, consilium, permissio, operatio. Fieri potest, ut homines ex signo voluntatem, quae in Deo est, non penitus intelligant adeoque, ut in Deo non sit ea voluntas, quae in ipso esse ab hominibus ob signum existimatur. Exemplum est praeceptum mactandi Isaac Abrahae divinitus datum (Gen. 22, 2.), quo Deus voluit, ut Abraham sibi promptam exhiberet obedientiam, non, ut filium suum re vera mactaret.

2. Voluntas beneplaciti ex diversitate obiectorum praecipue distinguitur:

a) Voluntas *necessaria* et voluntas *libera.*

b) Voluntas *antecedens* seu prima et voluntas *consequens* seu secunda. Voluntas antecedens est ea, quae fertur in obiectum secundum se consideratum (praecisum a circumstantiis). Voluntas consequens ea est, quae fertur in obiectum circumstantiis suis vestitum. Sic respectu damnandorum voluntas Dei antecedens fertur in eorum salutem in se spectatam; voluntas consequens fertur in eorum damnationem ob decessum in statu peccati mortalis eventurum.

A *Molinistis* etiam sic dici solet: Voluntas antecedens ea est, quae non supponit praevisionem liberorum actuum creaturae. Voluntas vero consequens est ea, quae hanc praevisionem supponit.

c) Voluntas *absoluta* et *conditionata.* Voluntas conditionata est ea, qua Deus aliquid vult, si conditio quaedam impletur, unde non semper est efficax. Voluntas absoluta est ea, qua Deus aliquid vult aut independenter a conditione aut consequenter ad conditionem iam impletam (v. g. gloriam beatorum), unde semper est efficax.

§ II. *De voluntate Dei respectu sortis aeternae hominum.*

THESIS I. **Deus seria voluntate antecedente vult salutem omnium hominum.**

Opponitur Calvinianis, Iansenistis etc., secundum quos Deus serio vult salutem tantummodo electorum seu praedestinatorum.

Determinatur: 1. *Quoad obiectum huius voluntatis. a)* Deum velle salutem non solum praedestinatorum, sed etiam aliquot aliorum, certe omnium fidelium, est de fide. — *b)* Deum

velle salutem omnium infidelium adultorum (i. e. usu rationis praeditorum) est fidei proximum aut saltem certum. — *c)* Deum velle salutem omnium infantium ante baptismum susceptum morientium est certum vel sententia communis.

2. *Quoad naturam huius voluntatis.* Voluntas haec non mere metaphorice et eminenter, sed formaliter est in Deo, seu non est voluntas signi, sed voluntas beneplaciti.

Eam esse voluntatem signi tantum a *Bannez* probabilius est habitum. Ipse enim dicit [1]: « Multo probabilius videtur, quod in Deo non sit formaliter voluntas, quae significetur hoc nomine « velleitas »; sed sufficit, quod talis voluntas antecedens ponatur in Deo eminenter... Septima explicatio est elegantissima... sc. Deus vult omnes homines salvos fieri, i. e. *vult et facit, ut iusti velint et desiderent omnes homines salvos fieri...* Quando secundum Deum volunt et orant sancti, ut quisque sit salvus, possumus illo modo locutionis dicere: vult Deus et non facit, *ita ut ipsum dicamus velle, qui facit, ut velint* ».

Eadem tamen voluntas est antecedens et conditionata (ex parte obiecti). Quomodo autem sit conditionata, a diversis diverse explicatur, et quidem:

a) a Thomistis sic: Deus vult salutem *omnium hominum*, nisi obstet maius bonum, sc. manifestatio divinae iustitiae, ratio providentiae universalis, decor universi etc.

b) a Molinistis sic: Deus vult salutem omnium *adultorum*, nisi ipsi resistant; omnium *infantium*, nisi alia obsistant, nimirum liberae voluntates aliorum hominum vel naturalis ordo physicus.

Hunc quidem ordinem Deus ita instituit, ut infantes per se sint capaces remedii salutis pro ipsis instituti. In eodem tamen ordine sub generali Dei providentia non raro ea occurrunt, quae impediunt, quominus hoc remedium re vera applicetur. Impedimenta vero illa Deus non vult ea mente, ut applicationem huius remedii reddant impossibilem, sed propterea quod ex aliis sapientissimis finibus mundum vult gubernare, prout leges generales divinae providentiae et rerum natura exigunt.

Probatur: I. E Scriptura. Ezech. 33, 11: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat.* — 1. Tim. 2, 4: *Qui* (Deus) *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.*

[1] In 1, q. 19, a. 6, concl. 2.

II. E Traditione. 1. *E ss. Patribus,* a quibus praeter alia *a)* docetur Deum velle salutem omnium, quorum sit creator; *b)* ad quaestionem, cur non omnes salventur, respondetur id fieri eo quod salvari nolint.

Ad *a) S. Ambr.*[1]: « Ille omnes suos vult esse, quos condidit et creavit. Utinam tu homo non fugias et te abscondas. Ille etiam fugientes requirit et absconditos non vult perire ». — Ad *b) S. Prosper. Aquit.*[2]: « Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum praedestinatorum, durius loquitur quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiae Dei, qui et omnes vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire... ut, et qui salvantur, ideo salvi sint, quia illos voluit Deus salvos fieri; et qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt ».

2. *E Conciliis.* Conc. *Arelatense* (c. 475) dicit « anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus est, nec omnes homines salvos esse vult ». — Conc. *Carisiacum* (Quiercy) a. 849. contra Gottescalcum can. 3. docet: « Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum » (D. 281).

III. Ratione theologica. Iuxta sententiam contrariam: 1. *In Deo* caritas angustior est, quam in ullo homine esse licet.

Quilibet enim homo omnibus hominibus, quotquot vivunt, aeternam salutem serio velle seu optare debet.

2. *In nobis* labefactantur omnes tres virtutes theologicae.

Cordati enim homines sententiam contrariam credere non possunt, et, si eam ut divinitus revalatam credere deberent, ipsam potius divinam revelationem respuerent. Praeterea iuxta eandem sententiam a Deo aeternam beatitudinem certa cum fiducia exspectare omnino non possumus. Nam si tenemus Deum salutem aliquorum tantum hominum velle, aliorum autem omnino nolle, quomodo, cum citra privatam revelationem nesciamus, in quorum simus numero, ab ipso Deo salutem firmiter possumus exspectare? Quis denique super omnia diliget Deum, quem salutem multorum hominum et consequenter forsitan sui ipsius nolle credit?

Scholion. Vi huius voluntatis omnibus adultis *auxilia sufficientia* ad salutem consequendam a Deo 1. *in communi*

---

[1] In Ps. 39, n. 20.

[2] Ad capit. Gallor. sent. super 8.

sunt praeparata, id quod ab omnibus catholicis docetur; 2. etiam *in particulari* pro loco et tempore conferuntur, ut ab omnibus fere catholicis tenetur, si excipitur imprimis Gonet, qui docet eadem auxilia in poenam praecedentis peccati quibusdam denegari, iisque non iustis, quod damnatum est in I. prop. Iansenii (D. 966), sed infidelibus et peccatoribus obduratis (etiam parvulis in poenam peccati originalis).

Thesis II. **Exsistit ex parte Dei praedestinatio.**

Explicatur et probatur: 1. Praedestinatio divina late et stricte accipi potest. *Late* accepta est aeternum Dei decretum quidpiam in tempore faciendi. *Stricte* accepta est aeternum Dei decretum homines (et angelos) promovendi in ordinem supernaturalem. Praedestinatio stricte accepta iterum dupliciter sumi potest: complete et incomplete. *Complete* sumpta refertur ad universum ordinem supernaturalem, i. e. et ad gratiam et ad gloriam. *Incomplete* sumpta refertur aut ad gratiam aut ad gloriam. Ultimo sensu hic accipitur itaque accepta est aeternum Dei decretum eos salvandi, qui in tempore salvantur.

Eiusmodi decretum vel decreta divina exsistere patet ex eo, quod nihil fit a Deo in tempore, quod ab ipso non fuerit decretum ab aeterno.

Nota. Praedestinatio interdum etiam accipitur pro aeterno Dei decreto eos damnandi, qui damnantur, de quo infra.

Quia verbum praedestinationis tam diversos intellectus habet, in explicandis dictis s. Scripturae et ss. Patrum diligenter inspiciendum est, quem intellectum in unoquoque eorum habeat.

2. Praedestinatio consistit et in actu *intellectus* et, idque principalius, in actu *voluntatis*, et quidem absolutae.

Unde in s. Scriptura et a ss. Patribus etiam electio et propositum vocatur. Metaphorice vero appellatur liber vitae.

Consequenter praedestinatio: *a)* Deo est *certa*, non solum ex cognitione, sed etiam ex voluntate divina. Certo igitur Deus scit non solum, quot in genere, sed etiam qui in individuo sint salvandi; eorumque numerus neque augeri potest neque minui; nam nec scientia Dei falli nec decretum seu absoluta voluntas Dei mutari potest. — *b)* Nobis est *incerta*, ita ut nemo absque speciali Dei revelatione scire possit, quot generatim et qui speciatim sint electi.

Dicit Trid. sess. 6, cap. 12: Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat se omnino esse in numero praedestinatorum.

Homo sine speciali revelatione divina summum habere potest certitudinem praedestinationis moralem latam. Signa coniecturalia praedestinationis eadem sunt, quae iustificationis, modo contingat, ut vel perdurent vel in fine vitae sint conspicua.

Quidam theologi incertitudine illa non contenti putant tot homines salvari, quot sint angeli mali, cum genus humanum sit creatum ad horum ruinam reparandam; alii opinantur tot homines salvari, quot sint angeli boni; alii, quot sint angeli et boni et mali etc.

Thesis III. **Exsistit ex parte Dei positiva reprobatio et ea quidem consequenter ad praevisionem peccati mortalis et decessus in statu eiusdem.**

II. pars *opponitur* Praedestinationis, speciatim Calvinianis et Ianseniani, iuxta quos omnes reprobatio positiva est antecedenter ad praevisionem peccati mortalis *personalis*, cum iuxta aliquos Calvinianos, sc. Supralapsarios etiam sit antecedenter ad praevisionem peccati originalis.

Explicatur: Reprobatio positiva est aeternum Dei decretum eos damnandi, qui in tempore damnantur. Ab ea distinguitur reprobatio negativa, quae est pura negatio praedestinationis i. e. electionis ad gloriam.

Probatur I. pars. Nihil a Deo fit in tempore, quod ab ipso non fuerit decretum ab aeterno.

Probatur II. pars. 1. *Directe.* Ut probatum est in thesi I., Deus voluntate beneplaciti vult omnes homines salvari; ergo ex mero voluntatis suae beneplacito non potest velle aliquos homines damnari.

2. *Indirecte.* Doctrina contraria Deus exhibetur mendax, crudelis, iniustus; negatur voluntatis humanae libertas a necessitate, destruitur fundamentum totius ordinis moralis.

Deum contraria doctrina exhiberi mendacem ex eo patet, quod affirmavit, imo iuravit se nolle mortem peccatoris, se nolle *quemquam* perire. Ezech. 18, 23: *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* — Ezech. 33, 11. — 2. Petr. 3, 9: *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* — Cetera per se patent.

Quaestio. **Utrum praedestinatio adultorum sit ante an post praevisa merita et consequenter, utrum reprobatio negativa sit ante an post praevisa demerita.**

Exponitur status quaestionis.

I. *Consentitur* in sequentibus: 1. Causa meritoria primaria omnis praedestinationis (stricte acceptae) sunt merita Christi. 2. Causam meritoriam secundariam i. e. eam, quae sit ex parte hominis, non habet seu gratuita est: *a)* praedestinatio ad primam gratiam; *b)* praedestinatio complete sumpta seu ad universum ordinem supernaturalem.

Supernaturalis enim ordo homini est gratuitus, et, si prima gratia gratuita est, etiam omnia, quae ab ea pendent, rationem habent doni.

3. Exsecutio praedestinationis fit post et propter hominis praedestinati merita ex gratia Christi orta et a meritis Christi dependentia; seu gloria coelestis propter merita illa in tempore datur; unde et in Scriptura vocatur merces (Sap. 5, 16; Matth. 5, 12; 1. Cor. 3, 8), corona (Iac. 1, 12), imo corona iustitiae (2. Tim. 4, 7. 8).

II. *Controvertitur*, utrum Deus eos, qui gloriam propter sua merita in tempore obtinent, ad gloriam illam ab aeterno destinaverit consequenter ad haec merita praevisa an antecedenter ad ea; et proinde, utrum Deus eos, qui propter peccata sua in tempore damnantur, negative reprobaverit i. e. a gloria excluserit seu ad eam non destinaverit consequenter ad peccata illa praevisa an antecedenter ad ea.

Proponuntur diversae sententiae.

Exstant hae tres sententiae: 1. Deus omnes, qui salvantur, praedestinavit antecedenter ad eorum merita praevisa seu *ante* praevisa merita, et omnes, qui damnantur, negative reprobavit antecedenter ad eorum demerita praevisa seu ante praevisa demerita. Hanc sententiam tenent omnes *Thomistae* seu Bannesiani, complures Scotistae, in his *Mastrius et Henno*, multi Augustinenses, ut *Norisius et Berti*, aliquot Congruistae vel Molinistae, ut *Suarez*, *Bellarminus*, *Toletus*, *Ruiz*, *Antoine*.

2. Deus eos, qui propter merita sua salvantur, praedestinavit consequenter ad eorum merita praevisa seu *post* praevisa merita, et eos, qui damnantur, negative reprobavit consequenter ad eorum demerita praevisa seu post praevisa demerita.

Explicatur: Deus ab aeterno praevidit, quinam sint ope gratiarum merita sibi comparaturi et in statu gratiae decessuri et consequenter gloriam ut mercedem accepturi. His gloriam ut mercedem seu propter merita ab aeterno voluit dare.

Eam sententiam defendunt aliquot Scotistae, in his *Frassen et Boyvin*, plurimi Molinistae, ut *Vasquez, Petavius, Lessius*, plerique recentiores, ipse quoque *s. Franciscus Salesius.*

Pro eadem sententia ex principibus scholasticis citari solent *b. Albertus M., Alexander Halensis, s. Bonaventura*, cum s. Thomas pro hac et priore et Scotus, qui hanc sententiam ab Henrico Gandavensi defensam impugnavit, sed in fine conclusit: eligatur, quae magis placet, a plerisque pro priore citetur.

3. Deus aliquos homines eximios, ut B. M. V., s. Ioannem Bapt., ss. Apostolos praedestinavit *ante*, ceteros *post* praevisa merita. Habetur ab *Occam et Biel* Nominalistis, quibuscum in re consentit Catharinus.

Referuntur nonnulla argumenta, quibus suaderi solet praedestinationem esse ante praevisa merita.

I. *Argumenta deprompta e Scriptura.*

Iuxta Scripturam ratio, cur alius ad gloriam eligatur, alius non eligatur, non est nisi libera Dei voluntas, infinita altitudo sapientiae divinae, inscrutabile Dei iudicium. Sed hoc non esset verum, si praedestinatio ad gloriam esset ex praevisis meritis seu post praevisa merita. Ergo praedestinatio non est post, sed ante praevisa merita. Mai. probatur ex Rom. 9, ubi Apostolus ex instituto disserit de causa nostrae praedestinationis eamque refert in solam Dei miserentis voluntatem eligendi hos et relinquendi illos, ad quod probandum inducit exemplum Iacob et Esau, fratrum geminorum, de quibus dicit: *Cum enim nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor, cuius misercor, et misericordiam praestabo, cuius miserebor* (καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω. — Exod. 33, 19: Miserebor, cui voluero, et clemens ero, in quem mihi placuerit). *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni* (Exod. 9, 16):

Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo, cuius vult, miseretur et, quem vult, indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur (μέμφεται = quid adhuc Deus vituperat homines bona negligentes et mala facientes)? *Voluntati enim eius quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si* (εἰ δὲ) *Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam* etc. — Quo loco s. Paulus totam difficultatis decisionem simpliciter revocat ad liberam Dei voluntatem. Denique, postquam de praedestinatione secundum propositum satis diu est locutus, finem dicendi facit exclamando (11, 33): *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!*

1. Licet verba de Iacob et Esau prolata ad litteram quidem non agant de electione Iacob ad gloriam et reprobatione Esau, nihilominus per ea significatur mysterium praedestinationis ac reprobationis negativae, cum Iacob proponatur ut figura electorum, Esau ut figura reproborum. Itaque sensus est: Sicut non ex operibus, sed ex solo Dei arbitrio Iacob est praelatus, Esau est postpositus, ita non ex operibus, sed ex solo divino arbitrio alii ad gloriam eliguntur, alii relinquuntur.

2. Quamvis loco citato principaliter agatur de praedestinatione ad gratiam, tamen etiam agitur, idque expresse, de praedestinatione ad gloriam. Nam praedestinati, quorum ibi fit mentio, vocantur *vasa misericordiae quae praeparavit* (Deus) *in gloriam*, sicut reiecti vocantur *vasa irae apta in interitum*. Sicut igitur vasa irae apta in interitum communiter intelliguntur reprobi, ita et vasa misericordiae praeparata in gloriam intelligendi sunt praedestinati ad gloriam. Neque enim gloria confertur iis omnibus, qui praedestinati sunt tantummodo ad gratiam.

3. In textu citato Apostolus non solum asserit praedestinationem esse priorem bonis operibus (*cum... nondum nati*

fuissent aut aliquid boni egissent), sed insuper merita nostra a causis praedestinationis omnino excludit *(non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei)*. Ne quis vero obiiciat Deum esse iniquum, utpote qui absque ullo meritorum intuitu unum prae alio eligat, statim subiungit: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor* etc.

4. Iuxta Doctorem gentium in negotio praedestinationis magnum latet mysterium, unde ad extremum (11, 33) recurrit ad incomprehensibilia iudicia Dei. Sed iuxta adversarios in negotio praedestinationis nullum latet mysterium. Cuilibet enim etiam tardioris ingenii ad quaesitum: Cur hic ad gloriam est praedestinatus, ille non est praedestinatus? obvia ac plana est responsio: Quia Deus ab aeterno praevidit hunc in statu gratiae esse decessurum, illum non esse decessurum.

5. Quae ex Rom. 9. collecta sunt, confirmantur per hoc, quod omnis fere electio a Deo facta in divinis litteris e gratuito eius beneplacito repetitur. Sic gratuito electi sunt e gentibus Abraham, ex huius filiis Isaac, ex huius prole gemella Iacob. Sic pariter gratuito electa est humanitas Christi in unionem hypostaticam. Gratuito praedestinantur dona gratiae; gratuito vel ipsa bona temporalia. Semper fere et ubique in rebus humanis divina electio apparet gratuita. Quanto ergo magis gratuita esse censenda est praedestinatio ad gloriam, utpote quae bonorum omnium sit maximum.

Opponitur: Totus textus citatus non est ad rem. Nam in eo non agitur de praedestinatione ad gloriam post gratiam, sed de gratuita vocatione ad gratiam iustificationis nulla ratione habita generationis carnalis et iustitiae legalis, quibus Iudaei tantopere gloriabantur. In specie: *a)* Verba: *Esau autem odio habui* non debent intelligi de odio proprie dicto, sed de dilectione comparative minore (ut etiam Deut. 21, 15 sqq., Luc. 14, 26 coll. Matth. 10, 37), cuius effectus proxime sunt *minora* bona temporalia et etiam spiritualia.

b) Verbis: *Igitur non volentis neque currentis* etc. non excluditur voluntas gratia praeparata et cursus viribus gratiae confectus (cf. 1. Cor. 9, 24 sq.), sed voluntas et cursus naturalis ad assequendam iustificationem, cuiusmodi fuit cursus Esau ad venandum et Iacob ad ovile factus (Gen. 27). — *Quem*

vult, indurat = quem vult, indurari sinit, sc. in poenam praecedentium peccatorum.

c) Similitudo figuli pro lubitu vasa ex luto fingentis ad vivum resecari non debet, ne manifesto sequantur erronea. Utitur s. Paulus hac similitudine ad inculcandum supremum Dei dominium in distribuendis gratiis et ad ostendendum, non quid Deus fecerit, sed quid facere suo iure posset, si vellet, ac proinde ad refundendam temeritatem praesumptuosam hominis expostulantis rationes a Deo factore suo; ea vero non utitur ad excludendam liberam nostram cum gratia cooperationem, ut ex vasis contumeliae reddamur vasa misericordiae. Ita fere Hurter [1].

d) In verbis: *vasa irae apta ad interitum* κατηρτισμένα (a καταρτίζειν = aptum reddere) εἰς ἀπώλειαν participium habet significationem non passivam, sed medialem, ut praeeunte s. Chrysostomo plerique recentiores recte sentiunt. (Quam medialem significationem etiam in unico alio loco habet, in quo a s. Paulo adhibetur, sc. 1. Cor. 1, 10). Unde sensus verborum illorum est: Si Deus sustinuit in multa patientia eos, qui peccatis suis continuis iram seu vindictam divinam in se ipsos quasi in vasa quaedam coacervant et se ipsos aptos dignosque reddunt, qui in aeternum reprobentur. — Ii autem, qui sunt vocati ad fidem et iustificationem, vocantur *vasa misericordiae, quae* (Deus) *praeparavit in gloriam*, quia Deus iis omnia subministravit, quibus ad aeternam gloriam pervenire possint.

e) Magnum praedestinationis mysterium « non est situm in praedestinatione post gratiam ad gloriam, sed in praedestinatione ad gratiam huiusque *varia* distributione; praesertim in eo, quod Deus, cum possit loco gratiarum, quarum praevidet abusum, peccatori dare gratiam, quacum esset cooperaturus, hanc tamen non concedit, dum alteri aeque vel etiam magis peccatori eiusmodi gratias abunde elargitur ». Hurter [2].

Similiter alii non pauci Scripturae loci ab aliis citantur in favorem praedestinationis ante praevisa merita, ab aliis aut reiiciuntur utpote agentes de re alia, aut afferuntur pro ipsa praedestinatione post praevisa merita. Ita Rom. 8, 28-30: *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia coope-*

[1] Medulla, n. 489.
[2] Medulla, n. 490.

rantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit. Ex quibus verbis aliqui, in his Henno [1] et Thomas ex Charmes, hoc colligunt: Vocatio deducitur ex praedestinatione tamquam ex fonte; ideo vocatio est effectus praedestinationis; sed vocatio praecedit merita; ergo et praedestinatio, quae est causa vocationis, merita praecedat oportet. — E contrario dicit Pesch [2]: « Diligentes... Deum dicuntur ab Apostolo esse sancti et esse vocati secundum propositum, i. e. secundum efficacem Dei voluntatem, qua fidem et dilectionem receperunt (v. 28). Quos autem praevidit Deus futuros tales, qui se diligerent, hos praedestinavit ad similitudinem Filii sui et in hac vita et in altera; et ut ad hunc finem pervenirent, vocavit eos ad fidem et iustificationem, quae est praeparatio ad gloriam (v. 29. 30.). Ergo enumerat quidem Apostolus omnia beneficia, quae in conceptu praedestinationis includuntur; sed nullo modo dicit, quis ordo causalitatis sit inter haec beneficia; aut, si quid de hac re dicit, hoc dicit: praevisionem dilectionis praecedere destinationem ad plenam conformitatem cum Christo. Atqui si textus sic explicatur, ut explicatur a Chrysostomo, Theodoreto, Ambrosio, aliis, est potius argumentum pro nostra sententia » (quae tenet praedestinationem post praevisa merita). — Matth. 24, 22. (Pro: Thomas ex Charmes [3]. — Contra: Hurter [4]) — Act. 13, 48 (Pro: Antoine [5] — Contra Hurter ib.) etc.

II. *Argumentum depromptum e Traditione.*

S. Augustinus, doctor gratiae, defendit praedestinationem ante praevisa merita.

Nam « vix potest dubitari, quin is in multis locis, praesertim in libris de praedest. Sanctorum et de dono perseverantiae, quos scripsit ultimis vitae annis, proferat doctrinam rigorose sonantem. Post praevisum Adae peccatum est totum genus humanum coram Deo ut magna massa damnata (cf. Rom. 9, 21), vitiata, massa luti etc., quae omnis rea est mortis aeternae. Ad ostendendam misericordiam suam decrevit unam partem hominum per Christum reapse ad salutem ducere, quare destinat eos ad gloriam et dat eis ad hanc assequendam beneficia seu gratias efficaces. Ad ostendendam iustitiam decernit alteros in perditione relinquere, quare eis non praebet talia beneficia seu gratias, et ipsi salvi non fiunt. Dicit e. g. (de dono persev. 14, 35): « Haec est praedestinatio Sanctorum, nihil aliud: praescientia sc. et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Ceteri autem ubi nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur? (Item de praed. Sanct. 10, 19) Certe cum hac praedestinatione

---

[1] Tom. 1, tract. 1, disp. 9, q. 4.
[2] Tom. 2, n. 391.
[3] Tom. 2, diss. 4, c. 3, q. 3, a. 2.
[4] Medulla n. 487.
[5] Tom. 1, n. 386.

coniuncta est praescientia, sed ea tantum, qua Deus scit, quid ipse facturus sit (de dono pers. 18, 47): « Sine dubio praescivit, si praedestinavit: sed praedestinasse est hoc praescisse, quod fuerat ipse facturus » (cf. de praed. SS. l. c. et 17, 34). Deus in eligendis vel reprobandis hominibus non agit sine rationibus; at hae sunt nobis absolute investigabiles (tract. 26 in Io. n. 2): « Quare illum trahat et illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare ». Ita Minges [1].

Opponitur: S. Augustinus in libris suis non agit de praedestinatione ad gloriam solam, sed aut de praedestinatione complete sumpta, quae refertur ad gratiam et gloriam simul, aut de ea praedestinatione incomplete sumpta, quae refertur ad solam gratiam; et utramque docet esse ante praevisa merita naturalia, id quod cum ipso omnes tenent catholici. Nullibi vero plane et aperte docet praedestinationem ad solam gloriam esse ante praevisa merita supernaturalia seu absolutam.

Probatur: 1. *Ex ipsius libris,* dummodo considerentur: « *a) Adversarii,* contra quos scribit; ii sunt Pelagiani et Semipelagiani, inimici gratiae. Hinc de dono perseverantiae n. 42. scribit: « Videant subverti hac praedestinationis praedicatione illum tantummodo perniciosissimum errorem, quo dicitur *gratiam* Dei secundum merita nostra dari ». — *b) Argumenta,* quibus utitur; sunt illa testimonia Scripturae, quibus etiam nunc theologi demonstrant necessitatem et gratuitatem *gratiae.* — *c)* Variae *definitiones* praedestinationis, quas tradit; sic e. g. de praedest. SS. c. 10. scribit: « Inter gratiam et praedestinationem hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero iam ipsa donatio ». — *d) Conclusiones,* quas infert, ut e. g. de dono perseverantiae n. 41: « Aut enim sic praedestinatio praedicanda est, quemadmodum Scriptura evidenter loquitur... aut *gratiam* secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt Pelagiani ». Cf n. 42. 54. 56. 65. etc. » Hurter [2].

2. *Ex mentibus ss. Prosperi et Fulgentii,* fidelissimorum s. Augustini discipulorum. Nam *a) Prosper* scribit [3]: « Quod huiusmodi (peccatores) in haec prolapsi mala sine correctione poenitentiae defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia praedestinati non sunt; sed ideo praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione *praesciti* sunt ». Et iterum [4]: « Vires obedientiae non ideo cuiquam subtraxit (Deus), quia eum non praedestinavit; sed ideo eum non praedestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia praevidit ». — *b) Fulgentius* dicit [5]: « Ostensurus itaque Deus, quid reddendum praesciverit et quid donandum, praedestinavit illos

[1] Pars 1, pag. 247.
[2] Medulla, n. 491.
[3] Respons. ad c. 3. Gallorum.
[4] Ib. c. 12.
[5] L. 1. ad Monimum c. 24.

ad supplicium, quos a se praescivit voluntatis malae vitio discessuros, et praedestinavit ad regnum, quos a se praescivit misericordiae praevenientis auxilio redituros et in se misericordiae subsequentis auxilio esse mansuros ».

3. *Ex auctoritate multorum theologorum*, qui censent s. Augustinum praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita nequaquam docuisse, inter quos eminent Lessius, Vasquez, Valentia, Tricassinus, Stapleton, s. Franciscus Salesius, Schrader, Franzelin.

III. *Argumentum petitum a ratione theologica.*

(Ex ordine mediorum ad finem). Qui ordinate vult, (ratione) prius vult finem, quam media. Sed Deus ordinate vult. Ergo prius vult finem, quam media ad illum conducentia. Atqui gloria est finis, merita sunt media ad illum conducentia. Ergo Deus prius vult gloriam, quam merita. Consequenter non praedestinat ad gloriam ex praevisis meritis, sed ante praevisa merita.

Haec ratio proponi solet ut praecipua atque fundamentalis. A Gonet dicitur tradita esse a s. Thoma, ab Henno proponitur ut desumpta ex Scoto.

Opponitur. a) Distinguendum est inter finem, quem aliquis vult sibi, et finem, quem aliquis vult alteri; et respectu huius inter finem, qui intenditur absolute, et finem, qui intenditur conditionate. Qua distinctione facta sic est dicendum: Qui ordinate vult, (ratione) prius vult finem *suum*, quam media ad hunc finem conducentia; prius quoque vult finem alterius, quam media, si finem intendit absolute seu sine respectu ad liberam alterius cooperationem. Totum vero contra est, si aliquis vult finem alterius conditionate, sc. ita, ut hic debeat illum consequi per liberam cooperationem, ad quam praestandam necessaria auxilia ei suppeditantur, ut proinde finis ei concedendus sit tamquam praemium.

Ita e. g. pater aliquis filio proponit praemium ipsi dandum, si studiis, ad quae perficienda a patre suppeditantur necessaria, bene vacaverit. Tunc pater non absolute praemium illud filio dare vult, sed conditionate, si sc. litteris bene studuerit.

Iam vero finis Dei est eius glorificatio seu gloria externa, et hanc gloriam Deus (ratione) prius vult quam sortem aeternam sive bonam sive malam hominum, quippe quae sit medium ad eam obtinendam. Aeternam vero hominum sortem bonam seu gloriam eorum coelestem Deus vult ut praemium pro eorum meritis (supernaturalibus) dandum. Hinc argumentum illud sic

potest retorqueri. Qui alteri ordinate vult finem formaliter ut praemium pro meritis dandum, non vult ei hunc finem nisi suppositis meritis seu post praevisa merita. Sed Deus adultis vult finem gloriae formaliter ut praemium pro meritis supernaturalibus dandum. Ergo Deus adultis finem gloriae non vult nisi suppositis eorum supernaturalibus meritis seu post praevisa merita.

b) Si comparatur praedestinatio hominum cum meritis Christi, dicendum est atque ab omnibus dicitur praedestinationem habere rationem finis, merita Christi habere rationem medii. Haec enim sunt causa meritoria praedestinationis hominum. Tamen Deus ratione prius vult merita Christi, quam vult gloriam hominum, cum hanc non velit nisi propter Christi merita.

c) Qui nimium probat, nihil probat. Sed si argumentum supra allatum valeret, sequeretur praedestinationem post praevisa merita, cum sine inordinatione esse non possit et in Deo inordinatio esse nequeat, simpliciter *impossibilem* esse Deique perfectioni contradicentem. Sed quis prudens hoc docebit?

Referuntur nonnulla argumenta, quibus suaderi solet praedestinationem esse post praevisa merita.

I. *Argumenta deprompta e Scriptura.*

Pesch [1]: « *Venite, benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare...* (Matth. 25, 34 sq.). Unde ita: Praedestinatio ad gloriam est regni praeparatio. Atqui regni praeparatio facta est propter merita. Ergo.

Minor constat: *a)* ex obvio sensu verborum, ex quo illud verbum « enim » refertur non minus ad incisum: « paratum a constitutione mundi », quam ad sententiam: « possidete regnum ». Sic enim unusquisque intelligeret, si ei offerretur praemium his verbis: Accipe hoc praemium tibi praeparatum, quia fecisti haec et haec.

b) Idem patet ex membro parallelo: *Discedite a me in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* (Matth. 25, 41 sq.). Atqui nulli paratus est ignis ante praevisionem malo-

[1] Tom. 2, n. 381.

rum operum. Ergo a pari iudicandum est de praeparatione gloriae.

c) Ita textus explicatur a SS. Patribus. *S. Hieronymus* in h. l.: « Hoc (possidete paratum vobis regnum) iuxta praescientiam Dei accipiendum, apud quem futura iam facta sunt ». S. Io. Chrysostomus (Hom. 80. in Matth. n. 2.): « Hereditate possidete iam olim vobis debitum; antequam enim essetis, inquit, haec vobis parata erant, quia tales vos esse futuros sciebam ». Similiter Euthymius, Bruno Astensis, alii.

Aliud argumentum scripturisticum: Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis (2. Petr. 1, 10).

Ex quo textu ita argumentari licet: Electio fit certa per bona opera. Atqui quod per bona opera certum fit, non fuit certum antecedenter ad bona opera. Ergo antecedenter ad bona opera a Deo praevisa non fuit certa electio. Ea de causa Scriptura omnes cohortatur, ut vigilent, currant, certent, quia sc. supponit conditionem ex parte hominis esse implendam, sine qua praedestinatio nulla sit. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* (Apoc. 3. 11). Cf. Rom. 11, 22. 23. 1. Cor. 9, 27. Hebr. 10, 35-39 etc. ». Hucusque Pesch.

II. *Argumenta deprompta e Traditione.*

1. *Ex ss. Patribus.*

Hurter [1]: « Seposita interim doctrina et auctoritate Augustini *nullus* est Patrum, qui oppositam sententiam doceat, cum econtra nostram tueantur et diserte et aequivalenter quam plurimi.

S. Hilarius [2]: « Multi vocati sunt, sed pauci electi... Itaque non res indiscreti iudicii est electio, sed ex meriti delectu facta discretio est ». — *S. Ambrosius* in Matth. 20, 23 [3]: « Non ante praedestinavit, quam praesciret, sed, quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit ». — *Theodoretus* in Rom. 8, 29. 30: « Non simpliciter praedestinavit; sed cum praescivisset, praedestinavit... Quorum propositum (i. e. bonam voluntatem) praescivit, hos ab initio praedestinavit ». — *S. Cyrillus Alex.* in Matth. 20, 23: « Servator iniquum esse censuit summum honorem petentibus prompte conferre repulsis iis, quibus legitime debetur; iis enim deferre aequius est, quibus *praescientia* Patris ob virtutum recteque factorum excellentiam eum

[1] Medulla, n. 486.

[2] In Ps. 64, n. 5.

[3] De fide, l. 5, c. 6, n. 83.

praeparavit. — *S. Fulgentius* (supra et [1]): « Sicut per misericordiam praeparavit gratuitum iustificationis donum, ita *per iustitiam* praeparavit aeternae iustificationis *praemium* ».

2. *Ex auctoritate theologorum.*

Nota. D'Argentré, episcopus Tutelae (Tulle, † 1740), qui collegit testimonia theologorum scripta ab anno 1120. usque ad annum 1708, fatetur veteres scholasticos praecipue egisse de praedestinatione complete sumpta et hanc vocasse gratuitam.

Aliqui scholasticorum coryphaei, nimirum Albertus M., Alexander Hal., s. Bonaventura et alii multi satis aperte docent praedestinationem post praevisa merita.

Alb. M. [2]: « Antecedente voluntate vult Deus omnes homines salvos fieri... Consequente autem voluntate, quae est ex opere nostro, sive ordinata bonos vult salvari et malos condemnari... Et haec est voluntas, quae ponitur in definitione praedestinationis; hac enim voluntate non vult salvari nisi bonos finaliter, quia in illis solis sibi complacuit ». — Et [3]: « Duo sunt praescientia salvandorum et voluntas tot salvandi in praedestinatione. Haec voluntas Dei respicit aliquid in opere nostro, quia vult tot salvari, quot bene usuri sunt gratia ab ipso donanda, nec plures; et, si plures essent bene usuri gratia illa, tunc ab aeterno voluisset plures ». — *Alex. Hal.* [4]: « Scientia (Dei) se habet aequaliter ad omnes; voluntas similiter uno modo se habet ad omnes. Sed voluntas cum praescientia non se habet aequaliter ad omnes. Non tamen hoc est propter diversitatem, quae sit in praescientia, sed quia nos non habemus nos aequaliter ad ipsam. Unde praedestinatio non solum dicit voluntatem, sed voluntatem cum praescientia, quod bene sunt usuri dono suo. Unde secundum Ioannem Damascenum dicendum, quod duplex est voluntas. Est enim voluntas antecedens et voluntas consequens. Voluntate antecedente vult Deus omnes homines salvos fieri; haec enim est voluntas, quae respicit creaturam rationabilem salvabilem. Voluntas consequens (est) cum praescientia, quod bene usurus est dono Dei; sic non vult omnes homines salvos fieri, sed electos solum, et sic dicitur voluntas Dei rationalis ». — *Bonav.* tom. 1, pag. 733, col. 1.

Nota. Legantur et observentur ea, quae dicuntur in Scholio eiusdem operis et tomi, pag. 734-736 !

III. *Argumenta petita a ratione theologica.*

1. *(Ex voluntate salutifera Dei universali).* Sola praedestinatio post praevisa merita potest seu praedestinatio ante

[1] De verit. praed. l. 3, c. 5.
[2] S. 1, tract. 16, q. 63.
[3] In 1, dist. 40, a. 11.
[4] P. 1, q. 28, membr. 2, a. 2.

praevisa merita non potest conciliari cum voluntate Dei seria salvandi omnes homines.

« Is enim sincere non vult salutem omnium hominum (nisi ludamus verbis), qui aliquos antecedenter et quasi a priori a salute excludit. Atqui Deus eo ipso quod aliquos in praedestinatione, quae antecedat omnem praescientiam cooperationis humanae, praeterierit, eos a salute excludit. Impossibile enim est, ut qui non est praedestinatus, salvetur, et quidem impotentia non consequenti praevisionem malitiae humanae, sed antecedente omnem volitionem humanam atque pendente unice ab ipsa praedestinatione divina ». Hurter [1].

Confirmatur: « Quomodo poterit Deus affirmare et iurare se nolle *quemquam* perire (2. Petr. 3, 9), se nolle mortem peccatoris (Ezech. 18, 23; 33, 11), praecipere, ut cum timore et tremore suam operentur salutem (Phil. 2, 12): si a priori *independenter* a praevisione peccatorum innumeros a salute exclusit vel, ut euphemistice loqui adamant, in praedestinando praeterit eorumque salutem ipse negligit? Propterea enim omni studio et sollertia invigilare debebit, ne salventur, ac proinde eas semper de industria seligere gratias, quas inefficaces fore in sua scientia media praeviderit, subtractis sedulo iis, quas efficaces fore cognoverit, qua gratiarum distributione nihil indignius Deo ». Ib.

2. *(Ex falsitate reprobationis negativae absolutae).* Praedestinatio post praevisa merita admittenda est, quia, si praedestinatio ante praevisa merita admittitur, eo ipso et reprobatio negativa ante praevisa demerita admittatur oportet. Haec autem in ordine ad mores et aestimationem moralem hominum a reprobatione positiva parum videtur differre, quamvis speculative differat.

Probatur: « Si inter dŭo tantum opposita electio fieri potest, uno membro reiecto eo ipso alterum positive eligitur. Atqui in statu finali rerum nullum est tertium inter beatitudinem et damnationem positivam. Ergo eo ipso, quod Deus aliquem excludit a beatitudine, vult eum finaliter positive damnari. Nam neque potest habere voluntatem suspensam neque potest aliud tertium eligere.

Etsi enim speculative sit discrimen inter has sententias (illorum theologorum et Calvini)... tamen in ordine ad mores et ad aestimationem moralem hominum parum videtur differre... Quid enim refert ad aestimationem moralem, sive decretum reprobationis dicatur esse positivum sive negativum, si nullo modo a nobis pendet, ut sit vel non sit, et eo posito aeque certo et infallibiliter sequitur damnatio? Quid interest ad spem salutis, sive Deus dicat: Nolo te ponere in numero electorum, sive: Volo te damnare? Quid interest inter creari ad exitium et creari ad reprobationem negativam sive

[1] Medulla, n. 480.

extra numerum electorum? Equidem si mihi proponeretur, utro modo ad meam consolationem malim factam reprobationem, nescirem, utrum deberem praeferre (Lessius, De perf. div. l. 14, c. 2, n. 41)». Pesch [1].

3. *(Ex relatione ordinis intentionis ad ordinem executionis).* Deus gloriam ob merita reapse dat; ergo ob merita etiam dare vult; ergo ob merita etiam ab aeterno dare voluit, i. e. ad gloriam praedestinavit propter seu post praevisa merita.

Ratio enim et usus commonstrant numquam esse aliam intentionem in exsequendo, quam in decernendo. Unde, si gloria propter merita datur, etiam propter merita decernitur. Absonum igitur est in mente divina duplex distinguere decretum diversum, unum intentionis efficacis, quod sit absolutum seu ante praevisa merita, alterum exsecutionis, quod sit conditionatum seu post praevisa merita. Quid enim est intentio in Deo, et quid est exsecutio? Intentio in Deo est actus volendi aliquod obiectum. Sed hic ipse actus volendi, si est efficax, est actus suo tempore efficiens seu ipsa exsecutio activa. *Confirmatur* per hoc, quod distinctio illa inter ordinem intentionis et ordinem exsecutionis nec fit quoad positivam reprobationem. Nam poena inferni, sicut tempore suo propter peccata commissa infligitur, ita etiam iuxta omnes catholicos ab aeterno propter peccata praevisa est destinata.

4. *(Ex malis fructibus sententiae contrariae).* Doctrina, quae docet praedestinationem ante praevisa merita, edit fructus malos, si homines ei convenienter vivunt. Sed hoc satis ostendit ipsam esse falsam. Nam et ad doctrinas merito accommodari possunt verba Christi de falsis prophetis dicta: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. 7, 20).

1. Num per doctrinam illam promovetur *virtus spei,* quae nobis non minus necessaria est, quam virtus fidei, et quae, in quantum Deum respicit, absolute certa ac firma sit oportet? Quomodo homo gloriam aeternam a Deo certa cum fiducia potest exspectare, si tenet ex hominibus aliquos tantum ad gloriam absolute esse praedestinatos, alios vero ab ea absolute esse exclusos, et nescit, ad utram hominum partem ipse pertineat?

2. Num per doctrinam illam promovetur *virtus caritatis,* qua inclinamur ad Deum ut supernaturalem finem nostrum ultimum propter se super omnia diligendum? Iuxta eamdem enim omnino incertus sum, utrum Deus supernaturalis *finis meus* ultimus esse velit necne, cum solummodo certum habeam Deum aliquorum tantum hominum velle esse eiusmodi finem. Praeterea nonne iuxta eandem doctrinam Deus videtur esse *prima causa perditionis* eorum, qui damnantur? Nam omnes, qui non sunt praedestinati ante praevisa merita, infallibiliter damnantur. At Deus ipse est prima et unica causa non praedestinationis seu reprobationis negativae. Ergo ipse Deus conspicitur

[1] Tom. 2, n. 427.

prima causa damnationis. Imo Deus videtur « *insidiari hominum (non praedestinatorum) saluti.* Nam sicut ex praedestinatione ante praevisa merita Deus determinatur ad dandas gratias efficaces, quibus praedestinati certissime salvantur, ita etiam ex omissione praedestinationis inducitur ad negandas gratias efficaces, et consequenter illi, qui negative reprobati sunt, infallibiliter peribunt ». Tepe [1]. Ad rem Suarez [2]: « Electio (efficax) ad finem est ratio dandi media efficacia seu infallibilia ad illum. Ergo negatio illius electionis erit suo modo ratio non dandi media, quae cognoscuntur congrua et infallibilia ad illum finem consequendum ». Denique Deus videtur imponere *antecedentem necessitatem mortaliter peccandi* « Nam supponamus hominem moribundum, qui est in statu gratiae, esse ex infelici numero eorum, qui sine ullo respectu ad demerita negative reprobati sunt. Sane Deus non potest promittere, ut hic homo moriatur in statu gratiae, sed curare debet, ut committat peccatum mortale, antequam desinat esse viator. Nam ex una parte status gratiae non amittitur nisi per peccatum mortale, et ex altera parte omnes, qui in statu gratiae moriuntur, salvantur. Hic autem homo non potest salvari i. e. non potest pervenire ad vitam aeternam, quia est ex numero eorum, qui negative reprobati sunt. Unde reprobatio haec negativa et antecedens aequivalet praedestinationi seu praedeterminationi ad peccatum mortale ». Tepe [3]. Sed quis non videt hominem, qui eiusmodi opinionem de Deo habet, eadem non parum impediri, quominus ipsum super omnia diligat?

3. Num per doctrinam illam promovetur *studium procurandae propriae salutis?* Quisque enim, qui eam tenet, sic ratiocinari potest: Aut sum absolute praedestinatus aut non sum. Si sum, quantumvis male vixero, tandem accepta gratia efficaci salvabor. Si non sum, quantumvis bene vixero, tandem deserente me gratia in aeternum peribo. Voluntas enim Dei absoluta effectu non potest frustrari.

4. Num per doctrinam illam promovetur *zelus animarum?* « Si enim omnes, qui salvabuntur, sunt electi absoluto decreto ante omnem praevisionem futurorum, sive laborem in vinea Domini, sive non, omnes aeque salvi fient; nemo ex illis peribit: nemo plus aut minus gloriae obtinebit. Si enim ego non laborem, Deus exsequetur sua decreta per alios. Cur sim sollicitus de eo, quod ex vi decreti divini certissime est eventurum, etiamsi ego quiescam »? Lessius [4].

5. Num doctrina illa apta est, quae *populo* Christiano annuntietur? Publice et semper et ubique populo annuntietur, et mox apparebit, quos fructus sit editura, quomodo alii ad animi abiectionem vel etiam ad desperationem, alii ad socordiam seu negligentiam, alii ad incredulitatem sint perventuri. Sed revera publice non praedicatur. Nam « frustra quaeris in eiusmodi opinione harmoniam et concordiam inter *theoriam* et *praxim*. Quod operose subtiliterque in scholis probatur, in prima concione apertis verbis negatur ».

---

[1] Vol. 3, n. 552.

[2] De Deo, tract. 2, l. 5, cap. 7, n. 14.

[3] Vol. 3, n. 553.

[4] De perf. div. l. 14, n. 32.

Hurter[1]. Num vero religionis Christianae proprium est aliam habere doctrinam, quae populo praedicetur, et aliam, quae corde teneatur vel tradatur in scholis theologicis?

Ex his omnibus satis apparet sententiam, iuxta quam praedestinatio est post praevisa merita, ut Frassen dicit, multo magis, quam contrariam, convenire Dei gloriae et hominum saluti, et s. Franciscum Salesium de eadem merito potuisse scribere ad Lessium: « Cognovi Paternitatem Vestram sententiam illam antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita amplecti ac tueri; quod sane mihi gratissimum fuit, qui nimirum eam semper ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem ac amabiliorem existimavi, quod etiam tantisper in libello de amore Dei indicavi ».

ARTICULUS III.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

Potentia Dei iuxta nostrum concipiendi modum cum fundamento in re ab eius voluntate distingui potest. Nam Deum cognoscimus ad analogiam creaturarum. In iis autem, sc. angelis et hominibus, recte et ab omnibus distinguuntur hae tres facultates: scientia, voluntas, potentia.

S. Thomas dicit[2]: « Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum sc. potentia importat rationem principii exsequentis id, quod voluntas imperat et ad quod scientia dirigit ».

THESIS. **Deus est omnipotens.**

De fide ex Vaticano, quod Deum dicit omnipotentem.

Explicatur: 1. Potentia, de qua hic agitur, est virtus operandi ad extra. Omnipotentia est virtus ad extra operandi omnia, quae neque in se neque infinitae Dei perfectioni repugnant. Quae cum Deus nec possit velle, omnipotentia etiam potest definiri: virtus seu potentia activa, qua Deus omnia, quae fieri velle potest, sola voluntate potest perficere.

2. Repugnant *in se* seu involvunt contradictionem praesertim haec: id, quod factum est, reddi infectum, quia esset factum et non factum; essentialem rerum bonitatem augeri vel minui salva ipsa essentia, quia esset eadem essentia et non esset. Sic fieri non potest, ut lapis videat in sensu composito naturae lapideae, quia tunc lapis esset animal et non esset. — Repu-

[1] Medulla, n. 481, nota 1.

[2] 1, q. 25, a. 1, ad 4.

gnat *infinitae Dei perfectioni* ea facere, quae in se sunt peccaminosa vel stulta etc.

Probatur: I. **E Scriptura.** In ea Deus saepe vocatur omnipotens, hebr. El schaddaj, gr. παντοκράτωρ (compos. ex πᾶς et κρατεῖν = potentem esse).

Apoc. 19, 6: *Et audivi quasi vocem turbae magnae et sicut vocem aquarum multarum et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia! quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* — 2. Cor. 6, 18.

Matth. 19, 26. Christus dixit discipulis suis: *Apud Deum... omnia possibilia sunt.*

Luc. 1, 37. Gabriel angelus dixit Mariae: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum* (= ulla res).

II. E Traditione. In symbolo Apost. dicitur: Credo in Deum Patrem omnipotentem.

III. Ratione. Deo necessario competit:

1. *Potentia* operandi ad extra, quia haec est perfectio simplex; 2. potentia *infinita* seu omnipotentia, quia Deus sub omni respectu est infinitus et quia eius potentia realiter est idem atque eius essentia.

Scholion. De diverso sensu, quo distinguitur potentia Dei absoluta et ordinata seu ordinaria.

1. *A Ianseniani*s potentia Dei dicitur absoluta, quatenus consideratur ut operans seiunctim a sapientia aliisque attributis; ordinata, quatenus consideratur ut operans coniunctim cum illis attributis.

Nota. Deus reapse non potest operari cum potentia seiuncta a ceteris attributis.

2. *A catholicis* potentia ordinata vocatur ea, quae aut versatur circa ordinem a Deo reapse constitutum, (qui respectu hominis est supernaturalis), aut operatur secundum leges naturae, quo in casu melius dicitur ordinaria.

Conclusio. Cum essentia divina, ut ex attributis operativis apparet, sit summe actuosa, ipsi competit summa vita. Hinc Christus dicit Io. 5, 26: *Sicut... Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.*

CAPUT III.

De Attributis Moralibus.

Attributa Dei moralia praesertim sunt: sapientia, sanctitas, veracitas et fidelitas, iustitia, benignitas et misericordia.

THESIS I. **Deus est infinite sapiens.**

Explicatur: 1. Sapientia divina, prout hic accipitur, est perfectio, qua Deus creaturis fines tantummodo bonos praefigere et ad eos obtinendos media solummodo apta et bona adhibere potest.

2. Itaque respicit tam fines quam media et complectitur quoad utraque perfectissimam intellectus scientiam et voluntatis rectitudinem, unde quasi media est inter attributa operativa et moralia.

Probatur: **I. E Scriptura.** Ps. 146, 5: *Magnus Dominus noster, et magna virtus eius, et sapientiae eius non est numerus.*

II. Ex operibus divinis, in quibus apparet mirus ordo, quem s. Scriptura, (ut Iob 28. et Ps. 103.) ss. Patres aliique cordati merito laudibus extollunt.

III. Ratione. In Deo est scientia infinita et voluntas perfectissima atque insuper efficacissima; ergo et infinita sapientia.

THESIS II. **Deus est infinite sanctus.**

Explicatur: 1. Sanctitas seu moralis bonitas est conformitas voluntatis cum regula suprema morum seu rectitudinis. Quam quidem conformitatem ille habet, qui est immunis a peccato et stabiliter adhaeret bono morali. Hinc sanctitas divina definiri potest: infinitus amor boni (moralis) et perfectissima immunitas peccati.

2. Cum sanctitate Dei non repugnat permissio peccatorum. Nam manifestatio divinae iustitiae et misericordiae etc. Deo est ratio sufficiens abusum libertatis creaturarum permittendi.

Probatur: **I. E Scriptura.** Levit. 11, 44: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* — Is. 6, 3: *Et clamabant* (Seraphim) *alter ad alterum: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* — Apoc. 4, 8.

II. Ex oeconomia revelationis divinae, quae tota ad sanctitatem promovendam tendit.

III. Ratione. 1. Ens infinite perfectum infinita sanctitate praeditum sit oportet.

2. Peccatum est legis transgressio; sed haec in eo, qui nulli legi est subiectus, non potest esse.

Scholion. Iuxta usum loquendi orientalium proprium in Scriptura ad Deum ut auctorem interdum referuntur ea, quae ab eo sunt permissa, ad bonum finem ordinata, uberiore gratia non praeventa etc. Exod. 7, 3. 2. Reg. 12, 11; 16, 10. Rom. 1, 24.

THESIS III. **Deus est verax et fidelis.**

Explicatur: 1. Veracitas Dei est perfectio, qua Deo absolute repugnat ullo modo decipere, seu est voluntas Dei constans non manifestandi nisi vera.

2. Fidelitas Dei sensu *strictiore* accepta est perfectio, qua Deo absolute repugnat fallacem esse in promissis, seu est voluntas Dei constans servandi promissa. Fidelitas sensu *latiore* accepta se etiam extendit ad minas; sensu *latissimo* accepta extenditur quoque ad opera, quae Deus incepit et exsequi statuit.

Probatur: I. E Scriptura. Rom. 3, 4: *Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax.* Ergo posse mentiri ita naturae Dei repugnat, ut naturae hominis proprium est. — Ps. 144, 13: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* — Deut. 7, 9: *Deus tuus ipse est... fidelis, custodiens pactum.*

II. Ratione. 1. *Quoad veracitatem.* Mendacium est aliquid inordinatum; unde in ente infinite perfecto nequit esse.

2. *Quoad fidelitatem.* Deus nec potest promittere nisi id, quod vult exsequi, quia verax est; nec potest exsequendo promisso sive desistere, quia immutabilis est et sanctus, sive impediri, quia est omnipotens.

Scholion. I. Itaque erroneum et blasphemum est sentire cum *Calvino* exsistere voluntatem Dei arcanam (voluntatem beneplaciti), qua Deus v. g. velit hominem peccare, quae voluntas sit contraria voluntati Dei revelatae (voluntati signi).

Scholion II. In Scriptura occurrunt nonnullae divinae promissiones et minationes quae factae sunt sub conditione *tacita.* Ion. 3, 2-10.

THESIS IV. **Deus est iustus.**

Explicatur: 1. Iustitia, de qua hic agitur, non est complexio omnium virtutum seu sanctitas; sed est virtus specialis, quae voluntatem constanter inclinat ad tribuendum alteri, quod ad eum pertinet. Dividitur in varias species.

2. Iustitia *commutativa*, quae voluntatem inclinat ad servandum illaesum uniuscuiusque ius strictum, in Deo, creatore et absoluto domino, respectu creaturarum non potest esse. Unde scribit s. Paulus Rom. 11, 35: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?*

3. Est autem in Deo iustitia *legalis* seu legislatoria, qua voluntas inclinatur ad actiones subditorum per leges ad bonum commune recte ordinandas. Est quoque in Deo iustitia *distributiva*, qua voluntas inclinatur ad servandam proportionem in distribuendis publicis bonis et oneribus.

4. Ad utramque sub diverso respectu pertinent iustitia *remuneratiua* et *vindicativa*. Prior voluntatem inclinat ad dandam mercedem pro operibus bonis; altera, quae plerumque intelligitur, quando Deus iustus vocatur, voluntatem inclinat ad poenas infligendas pro peccatis.

5. Iustitiam exercere Deo quadamtenus est necessarium, quia fundatur in necessario eius amore erga se ipsum et consequenter in divina essentia; sed quo ambitu ac modo exerceatur, divino subiacet arbitrio. Illud negarunt *Sociniani*; circa hoc errarunt *quidam alii* docentes Deum peccata etiam contritis non posse gratuito condonare.

6. Deus exercendo iustitiam vindicativam imponit poenas vere vindicativas; non, ut docuit *Hermes*, mere medicinales. Eas autem infligit non ob delectationem quandam ex iis habendam, sed ad restaurandum ordinem iustitiae peccatis laesum adeoque ad suam gloriam (externam).

Probatur: I. **E Scriptura.** 1. *Verbis:* Ps. 10, 8: *Quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit; aequitatem vidit vultus eius.* — Rom. 2, 6-8: *Qui* (Deus) *reddet unicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quaerunt, vitam aeternam; iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.* — Rom. 12, 19: *Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus* (in Deut. 32, 35).

2. *Factis*, e. g. punitione parentum (Gen. 3, 14-19) et Cain (Gen. 4, 11. 12), diluvio (Gen. 7), interitu Sodomae et Gomorrhae (Gen. 19), plagis Aegypti (Exod. 7-12) etc.

II. Ratione: Deus, qui est sanctissimus, neque ipse potest esse iniustus, neque indifferens quit esse circa bona et mala, quae committuntur a creaturis sibi omnino subiectis.

THESIS V. **Deus est benignus et misericors.**

Explicatur: 1. *Benignitas* seu bonitas relativa est propensio aliis benefaciendi. *Misericordia* est benignitas erga miseros, praesertim erga peccatores.

2. Misericordia in Deo non est secundum passionis affectum, sed *secundum effectum*. Nam « tristari... de miseria alterius non competit Deo; sed repellere miseriam alterius hoc maxime ei competit ». S. Thomas [1].

3. Misericordia divina *erga peccatores* triplici potissimum actu exercetur: *a)* eos *tolerando*, i. e. iis tempus ad resipiscendum concedendo seu eorum punitionem differendo, sub quo respectu vocatur *patientia* et, si punitio diu differtur, *longanimitas*; — *b)* iis bona elargiendo, atque ea non solum naturalia, sed etiam supernaturalia; — *c)* iis, si vere poenitent, peccata remittendo.

4. Benignitas et misericordia a Deo *libere* exercentur.

5. Misericordia Dei *non adversatur* eius iustitiae. Nam « Deus misericorditer agit non quidem contra iustitiam suam faciendo, sed aliquid supra iustitiam operando ». S. Thomas [2].

Probatur: **I. E Scriptura.** 1. *Dictis:* Ps. 117, 1: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius.* — Luc. 6, 35: *Ipse* (Altissimus) *benignus est super ingratos et malos.* — 2. Esdr. 9, 17: *Tu autem Deus propitius, clemens et misericors, longanimis et multae miserationis.*

2. *Parabolis*, ut ovis perditae, drachmae perditae, filii prodigi (Luc. 15); arboris fici (Luc. 13, 6-9. quoad longanimitatem).

3. *Factis* respectu Magdalenae (Luc. 7), Zachaei (Luc. 19), latronis cruci affixi (Luc. 23) etc.

---

[1] 1, q. 21, a. 3, c.

[2] Ib. ad 2.

II. E tota oeconomia revelationis divinae.

Conclusio. Deus, cum infinite perfectus sit, etiam infinite gaudet beatitudine; unde et a s. Paulo (1. Tim. 6, 15) beatus et a Vaticano in se et ex se beatissimus dicitur. Et re vera, si beatitudo est « bonum perfectum intellectualis naturae » (S. Thomas), cuius est sufficientiam suam cognoscere eaque frui, Deus utique est infinite beatus, quia infinitam suam perfectionem infinite cognoscit atque ea infinite fruitur. Beatitudini igitur divinae ex creaturis nihil accrescere potest, cum infinito nihil possit addi.

TRACTATUS

DE DEO TRINO SECUNDUM PERSONAS.

CAPUT PRAEVIUM.

§ 1. *Explicatio terminorum.*

1. *Essentia* (οὐσία) est illud, quo ens (intrinsecus) est id, quod est, seu ratio entis (intrinsecus) constitutiva.

2. *Natura* (φύσις) est ipsa essentia, quatenus est principium activitatis et subiectum passivitatis, quae enti sunt propriae.

3. *Substantia* concrete sumpta seu singularis est ens, quod ad exsistendum non indiget subiecto, in quo inhaereat, sed exsistit in se ipso, unde definiri solet: ens per se stans.

4. Substantia singularis potest esse *incompleta* vel *completa in ratione speciei seu quoad naturam.* Prior est ea, quae ex se ordinata est, ut cum alia ita uniatur, ut cum ea compositum substantiale constituat. Altera est ea, quae eo ordinata non est.

5. Substantia singularis et in ratione speciei completa potest esse *incompleta* vel *completa in ratione subsistendi* seu, ut quidam dicunt, quoad substantialitatem. Prior ab alia substantia in ratione subsistendi completa ita assumpta est, ut non sit sui ipsius (sensu physico), sed illius, a qua assumpta est, et ut consequenter ipsa sola non sit principium adaequatum suarum operationum. Altera ab alia substantia ita non est assumpta neque ut talis ita assumi potest, sed est sui ipsius seu sui iuris physici et consequenter principium adaequatum suarum operationum.

6. Substantia ita in se terminata, seu quae est sui iuris physici, vocatur *suppositum* (ὑπόστασις), et, si est rationalis, etiam

persona. Illud vero, quo substantia fit sui iuris, seu ratio suppositi constitutiva vocatur *subsistentia* et in substantia rationali etiam *personalitas*.

7. Subsistentia in rebus creatis iuxta *Thomistas* est aliquid positivum, et id quidem a plerisque habetur modus substantialis; iuxta *Scotistas* vero est aliquid negativum, sc. neque actu esse alterius assumentis neque ad id naturaliter esse aptum.

§ II. *Aliqua praenotanda de doctrina Ecclesiae.*

1. *Ratione* cognoscere possumus *a)* personalitatem Deo necessario competere, cum secus aliqua perfectio Deo deesset; — *b)* eam esse infinitae perfectionis et consequenter alio modo esse in Deo atque est in creaturis; — *c)* eam esse plane idem, quod est persona, eodem iure et modo, quo divinitas est Deus, quo omnipotentia et omnipotens sunt idem.

2. *Revelatione* discimus Deum sui ipsius esse non simpliciter, sed tripliciter, seu in una divina essentia esse tres personas ab invicem realiter, ab essentia non realiter distinctas.

3. Personalitas divina *formaliter* sumpta nec mera negatio est nec modus substantialis, sed est relatio. Personalitas divina *realiter* sumpta est illa relatio et absolutum esse divinum seu essentia divina simul.

4. In uno igitur esse absoluto divino tres sunt relationes subsistentes, quae ab invicem realiter sunt distinctae, cum esse absoluto realiter sunt idem.

5. Si sermo est de Deo, essentia et natura et substantia unum sonant; pariter subsistentia, personalitas, suppositum, persona, hypostasis.

§ III. *Praecipui errores contrarii.*

1. Trinitatem *nullam* admittunt vel admiserunt *Iudaei* post Christum viventes, *Ebionitae*, *Antitrinitarii ebionitici seu dynamici* (uterque Theodotus et Artemon seu Artemas), *Sociniani multique Protestantes rationalistici*.

2. Trinitatem mere *nominalem* admiserunt: *a) Modalistae seu Patripassiani*, iuxta quos una eademque persona pro diversis manifestationibus vel operationibus diversimode appella-

tur, sc. Pater, quatenus est creator; Filius, quatenus est redemptor; Spiritus Sanctus, quatenus est sanctificator. — *b) Paulus Samosatenus*, iuxta quem Filius et Spiritus Sanctus non sunt personae, sed virtutes Dei ad instar mentis et voluntatis in nobis.

3. Trium personarum *consubstantialitas* (ὁμοουσία; consubstantialis: ὁμοούσιος) negata est:

a) Ab *Arianis*, qui diserte docuerunt Filium non esse Deum, sed creaturam Dei seu Patris. Qui quidem Filius Patri α) iuxta Eunomianos est dissimilis (ἀνόμοιος, unde et Anomaei dicuntur), — β) iuxta Acacianos quoad voluntatem vel etiam omnia praeter substantiam est similis (ὅμοιος, unde et Homaeani dicuntur), — γ) iuxta Semiarianos etiam quoad substantiam est similis (ὁμοιούσιος, unde et Homaeusiani dicuntur).

b) A *Macedonianis seu Pneumatomachis*, qui docuerunt Spiritum Sanctum esse creaturam Filii, qui igitur duas admiserunt personas divinas.

4. Processionem Spiritus Sancti *a Filio* non admittunt *Graeci schismatici seu Photiani.*

5. Unitatem *numericam* divinae naturae inficiantur *Tritheistae*, qui, uti tres divinas personas, ita quasi tres deos admittunt. Ad eos praecipue pertinent *Philoponus* (Monophysita), *Roscellinus* (Nominalista), *Ioachim*, abbas O. C., *Guenther*, qui loco processionis personae a persona posuit emanationem substantiae a substantia atque adeo invexit unitatem tantummodo qualitativam.

PARS PRIOR.

DE SS. TRINITATIS VERITATE.

CAPUT I.

De Trinitate In Unitate.

ARTICULUS I.

DE TRINITATE DIVINARUM PERSONARUM IN GENERE.

THESIS I. **Trinitas div. personarum in vetere testamento innuitur.**

Probatur: I. *Pluralitas* div. personarum indicatur Gen. 1, 26: *Et ait* (Deus): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Dicitur in plurali: Faciamus... nostram. — 1, 27: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Hic dicitur in singulari: Creavit... suam. — Gen. 3, 22: *Et* (Deus) *ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis* (Sept. ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν) *factus est.* — Gen. 11, 7: *Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum.*

Verba Dei Gen. 1, 26 citata: 1. *Non exhibent alloquium directum ad angelos.* Nam: *a)* Secus Deus creaturas sibi pares poneret, quod neque ipsi convenit neque alias ab ipso solet fieri. — *b)* Homo est imago Dei quoad animam, quae creatur. Sed ad creandum angeli ne instrumentaliter quidem possunt concurrere. — *c)* V. 27. bis dicitur (solum) Deum creasse hominem ad imaginem suam.

2. *Non exhibent soliloquium unius eiusdemque divinae personae,* ita ut numerus pluralis non sit nisi pluralis maiestaticus. Nam obstant: *a)* Gen. 3, 22, ubi pluralis maiestaticus

admitti nequit, cum ibi dicatur: quasi unus ex nobis. — *b)* Interpretatio contraria ss. Patrum satis communis et Concilium Antiochenum anno 264. habitum, quod eos, qui illud affirmant, anathematizat.

E ss. Patribus alii sentiunt Patrem ibi loqui ad Filium, ut Barnabas, Theophilus Antiochenus, Epiphanius, Cyrillus Hieros., Chrysostomus, Ambrosius. Alii censent Patrem ibi loqui ad Filium et Spiritum Sanctum, in his Irenaeus, Ephraem, Basilius, Gregorius Nyssenus, Cyrillus Alexandrinus, Augustinus. — Conc. Antioch. edicit: Si quis hoc dictum « faciamus hominem » non Patrem ad Filium, sed Deum secum loqui affirmet, a. s.

3. Sed *satis indicant in Deo esse plures* (saltem duos) participes eiusdem dignitatis et causalitatis; ergo plures *personas*, quae iuxta v. 27. sint idem Deus. Gen. 11, 7 vero indicatur plures illas personas saltem esse tres, unam appellantem et duas appellatas, cum non dicatur: Veni, sed venite.

II. *Trinitas* div. personarum indicatur Is. 6, 3: (Seraphim) *dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* — Ps. 66, 7. 8: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* — Similiter Num. 6, 24-26.

Thesis II. **Trinitas div. personarum in novo testamento aperte docetur.**

Probatur: In evangeliis tum maxime proponitur, cum traduntur maxima in salutem hominum vel gesta vel praecepta, ut:

1. *In annuntiatione incarnationis Verbi.*

Luc. 1, 35: *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Hic nominantur: Spiritus Sanctus, Dei Filius, Altissimus, qui est Deus Pater, ut patet ex verbis eiusdem Gabrielis archangeli (v. 32): *Hic* (Iesus) *erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.*

2. *Initio vitae Christi publicae.*

Matth. 3, 16. 17 (coll. Luc. 3, 21. 22): *Et ecce aperti sunt ei coeli et vidit Spiritum Dei* (Luc.: descendit Spiritus Sanctus) *descendentem sicut columbam et venientem super se. Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* — Persona, quae de coelo Christum Filium suum appellavit, non potest esse nisi Pater. Spiritus Dei seu Spiritus Sanctus et Filius his ipsis verbis nominantur.

Filium esse Filium naturalem ex professo probatur in tractatu de Incarnatione.

3. *In missione Apostolorum* ad gentes convertendas facta. Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος). — Iuxta haec verba :

a) Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt *personae*. Quoad Patrem et Filium patet per se; quoad Spiritum Sanctum sic probatur: α) Ipse connumeratur Patri et Filio, idque cum repetito articulo, qui inepte poneretur, si non esset persona, sed merum attributum. — β) Baptismus etiam in nomine Spiritus Sancti conferendus est; sed is, in cuius *nomine* aliquis baptizatur vel generatim aliquid fit, profecto est persona; nam dici nequit aliquid fieri in nomine alicuius rei.

De sensu textus graeci: infra sub *c*, β, ex quo concluditur: Sed ita homines devoveri non possunt nisi personae.

b) Pater et Filius et Spiritus Sanctus qua personae realiter sunt ab invicem *distincti*. Nam α) persona a persona realiter distincta est; — β) pater a suo filio realiter est distinctus. Loco autem citato sermo est de patre et ipsius filio. Si enim dicitur « pater et filius », non potest nisi inepte intelligi aliquis, qui non sit filius patris nominati, sed alterius. Si autem Pater a Filio realiter est distinctus, etiam Spiritus Sanctus ab utroque realiter distinctus sit oportet. Nam ipse cum utraque persona in eundem modum componitur, ac Pater cum Filio.

c) Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt *verus Deus*. Colligitur ex verbo: « in nomine », ut Vulgata habet, vel « in nomen », ut textus graecus habet. Nam: α) *In nomine* alicuius baptizari est baptizari eius auctoritate et virtute. Sed effectus formalis baptismi est iustificatio, qua peccata remittuntur et vita supernaturalis communicatur (Tit. 3, 5-7). Virtutem autem et auctoritatem peccata remittendi et vitam supernaturalem dandi nemo habet sibi propriam nisi ipse Deus. — β) Baptizari *in nomen* alicuius est consecrari et devoveri alicui ut obiecto obsequii cultusque supremi (Rom. 6, 3-13; 1. Cor. 1, 12-15; Gal. 3, 26-28.). Sed ita homines devoveri non possunt nisi Deo.

d) Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt *unus idemque Deus*, id quod aliunde constat, ubi probatum est non esse nisi

unum Deum, et hoc loco innuitur, cum dicatur in singulari: in *nomine*, non in plurali: in nominibus Patris et Filii et Spiritus Sancti. Virtus igitur et auctoritas Patris et Filii et Spiritus Sancti, qua baptismus confertur, una eademque est. Ergo et natura eorum est una eademque.

Scholion. De commate Ioanneo.

1. Io. 5, 7: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt.*

I. Afferuntur argumenta *contra* eius genuinitatem. Comma illud:

1. *Non invenitur a)* in ullo *codice graeco* ante saec. 15; — *b)* in ulla *versione orientali;* — *c)* in ullo exemplari Vulgatae *ante saec. 8.;* et, ubi invenitur, ibi modo ante, modo post versum nunc octavum est positum.

2. *Non allegatur a)* ab ullo *Patre orientali;* — *b)* ab ullo Patre occidentali *ante initium saec. 6.* Et tamen in controversia cum Arianis habita valde erat idoneum.

II. Afferuntur argumenta *pro* eius genuinitate:

1. *Critica. a) Externa.* α) *A saec. 9.* a Latinis communiter est receptum, id quod fieri vix potuit, nisi in codicibus iam antea fuit contentum. — β) Anno 484. *ab episcopis Africanis* contra Arianos allegatur; ergo tunc temporis in Africa legi consuevit. Imo iam s. 3. *s. Cyprianus et Tertullianus* comma illud respexisse videntur.

Scribit enim *Cypr.*[1]: « De Patre et Filio et Spiritu Sancto scriptum est: et tres unum sunt ». Quae quidem verba Facundus Hermianensis s. 6. mysticam explicationem v. 8 esse censet. — *Tertull.* dicit[2]: Qui tres unum sunt, non unus.

γ) Quoddam vestigium huius textus iam invenitur apud *Origenem*[3] et nonnullos posteriores scriptores graecos.

b) Interna. α) Sic melius intelligitur, cur in v. 8. ponatur καὶ et praesertim τρεῖς, non τρία, licet substantiva sequentia sint neutri generis, et cur in v. 9. sermo sit de testimonio Dei.

v. 8: Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς · τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα. *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: spiritus et aqua et*

[1] De unitate Eccl.

[2] Contra Praxeam, c. 25.

[3] In Ps. 122, 2.

sanguis; et hi tres unum sunt. — V. 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.*

β) Facilius est textum ex codicibus excidere, quam iis nomine reclamante inseri.

Forsitan iam in primo vel secundo apographo comma illud Ioanneum praetermissum est, id quod facile potuit fieri eo, quod prima verba v. 7. et 8. sunt eadem. Fieri quoque potuit, ut ex apographo illo, quod textu genuino erat destitutum, omnes fere codices directe vel indirecte transscriberentur.

2. Dogmatica. *a)* Trid. sess. 4 dicit: « Si quis autem libros ipsos integros *cum omnibus suis partibus*, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit..., a. s. » Sed comma Ioanneum est pars, sin minus extensive, certe intensive valde notabilis.

Adversarii reponunt textus critice dubios hoc decreto non esse declaratos authenticos, dubiumque manere, utrum hoc comma ad *veterem* Vulgatam pertineat etc.

b) S. Officium a. 1897. declaravit genuinitatem huius commatis tuto negari vel in dubium vocari non posse, quae quidem declaratio a Romano Pontifice approbata est atque confirmata.

Thesis III. **Trinitas divinarum personarum in Ecclesia semper credita est.**

Probatur: 1. Ex *symbolo Apostolorum* antiquissimo *aliisque* symbolis, imprimis Nicaeno-Constantinopolitano.

2. Ex *doxologia:* Gloria Patri etc., quae iuxta s. Basilium in Ecclesia inde ab Apostolis fuit in usu.

3. Ex *baptismo*, quod semper in nomine Patris etc. est collatum cuique expressa ss. Trinitatis professio praemitti solita est.

4. Ex *confessionibus Martyrum*, e. g. s. Polycarpi († 166) et Epipodii († 178), ut constat ex eorum actis.

5. Ex *historia dogmatum*, qua constat errores contrarios statim damnatos esse, e. g. saec. 3. errorem Sabellii a Dionysio Papa in concilio Romano et errorem Pauli Samosateni a duabus synodis Antiochenis.

6. Ex *ss. Patribus: Saec. 1. Ignatius* M. optat[1], ut fidelibus omnia prosperentur in Filio et Patre et Spiritu Sancto.

[1] Ad Magnesianos, 13.

— *Saec. 2. Athenagoras* scribit [1]: « Quis non miratur, cum atheos vocari (a gentilibus) audit eos, qui docent Deum Patrem et Filium Deum et Spiritum Sanctum eorumque ostendunt et in unitate potentiam (τὴν ἐν ἑνώσει δύναμιν) et in ordine distinctionem. — *Theophilus Antiochenus* dicit [2] primos tres dies genesiacos esse typos τῆς Τριάδος. — *Saec. 3. Tertullianus* de Deo adhibet [3] vocem Trinitatis, et asserit [4] Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum Deum sistere. — Similia habent *Irenaeus, Origenes, Hippolytus, Dionysius Papa.* — *S. Augustinus* testatur omnes, qui ante ipsum de Trinitate scripserint et quos ipse legere potuerit, idem docere.

Scribit enim [5]: « *Omnes,* quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docère, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus unius eiusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres alii, sed unus Deus, quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit, qui Pater est... Spiritusque Sanctus nec Pater sit nec Filius... Haec et mea fides est, quandoquidem haec est catholica fides ».

ARTICULUS II.

DE TRIBUS DIVINIS PERSONIS IN SPECIE.

Thesis I. Est una persona divina, quae (respectu Filii) vocatur Pater.

Hanc thesim probari non est necesse, cum omnes adversarii ss. Trinitatis, qui credunt Deum personalem, admittant hunc esse eam personam divinam, quam nos vocamus primam seu Patrem. Potest tamen haec thesis facile probari, si supponitur Christum esse Filium Dei *naturalem*, id quod in tractatu de Incarnatione probatur; et id quidem omissis aliis argumentis breviter:

Probatur e Scriptura, iuxta quam *Christus* dixit: 1. *Parentibus* suis, a quibus in templo *Dei* inventus erat, Luc. 2, 49: *Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* 2. *Iudaeis*, postquam sanavit hominem per triginta

[1] Legatio, n. 10.
[2] Ad Autolycum 2, 15.
[3] Adv. Praxeam et de pudicitia.
[4] Adv. Praxeam.
[5] De Trin. 1, 4.

octo annos morbo correptum, Io. 5, 21: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat;* et postea, cum ab iis arrogantiae accusatus erat, Io. 8, 54: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia* (ὅτι) *Deus vester est.* 3. *Discipulis* suis Io. 16, 28: *Exivi a Patre* (ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρός) *et veni in mundum.* 4. *Mariae Magdalenae,* cui post resurrectionem apparuit, Io. 20, 17: *Vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

THESIS II. **Est altera persona divina, quae nuncupatur Filius vel Verbum.**

Probatur e Scriptura. Io. 1, 1-17.

1. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος). 2. *Hoc erat in principio apud Deum.* 3. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* 4. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum* (καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων). 5. *Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* 6. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes.* 7. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* 8. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* 9. *Erat lux vera* (ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν), *quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* 10. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum* (αὐτὸν) *non cognovit.* 11. *In propria venit, et sui eum* (αὐτὸν) *non receperunt.* 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius:* 13. *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* 14. *Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre* (ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός), *plenum gratiae et veritatis...* 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia.* 17. *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est* (ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο).

Hoc loco Verbum exhibetur:

1. Ut *persona.* Nam *a)* v. 8. opponitur Ioanni Baptistae, qui haud dubie erat persona; — *b)* v. 11. dicitur: In propria venit, et sui *eum* (αὐτὸν) non receperunt, quamvis praecedat v. 9. lux vera (τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν); — *c)* v. 14. dicitur caro i. e. homo factum et habitasse in nobis, id quod solius personae est; — *d)* v. 17. identificatur cum Iesu Christo, qui sane est persona.

2. Ut persona *distincta a Patre.* Nam *a)* v. 1. dicitur: Verbum erat *apud* Deum i. e. apud Patrem. Nemo autem

apud se ipsum esse dicitur; — *b)* v. 14. Verbum vocatur Unigenitus a Patre. Filius autem a Patre suo certe est distinctus.

3. Ut persona *divina*. Nam Verbum *a)* v. 1. diserte vocatur Deus (καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος). Ex contextu enim et ex constructione grammatica ὁ λόγος est subiectum; — *b)* iuxta eundem versum est aeternum. « In principio erat »; i. e. vel in principio absolute sumpto sc. in aeternitate erat; vel in principio relative sumpto i. e. in principio rerum creatarum seu temporis iam erat i. e. ab aeterno est; — *c)* iuxta v. 3. est creator omnium, et *d)* iuxta v. 4. est principium vitae supernaturalis. Sed haec omnia solius Dei sunt.

Alia argumenta afferuntur in tractatu de Incarnatione, ubi probatur praecise Iesum Christum esse secundam personam divinam.

Scholion. De theophaniis veteris testamenti.

1. Theophaniae V. T. (Gen. 16, 7 sqq.; 18; 21, 17; 31, 11 sqq. Exod. 3, 2 sqq.) a ss. Patribus communiter referuntur ad personam *Filii*, et id quidem haud immerito. Nam ille, qui apparuit, vocatur et Angelus Domini (maleach Iahve) et Dominus ipse (Iahve). Deus autem idemque Dei nuntius est persona Filii.

2. Attamen iuxta opinionem satis communem et eorundem Patrum et praecipue scholasticorum Filius Dei non immediate formavit speciem illam et sub ea apparuit atque locutus est; sed haec fecit *mediante angelo creato*, qui personam eius gessit. Quae quidem opinio satis probatur e Scriptura (Act. 7, 30-32 et 53. Gal. 3, 19. Hebr. 1, 1. 2; 2, 1-3; 13, 2.), secundum quam immediata Dei apparitio est privilegium testamenti *novi*.

Thesis III. **Est tertia persona divina, quae vocatur Spiritus Sanctus.**

Probatur e Scriptura, in qua Spiritus Sanctus exhibetur:

1. Ut *persona*. Ipsi enim attribuuntur operationes, quae sunt personarum, ut docere, testimonium perhibere, pro arbitrio operari ac dona largiri etc. Io. 14, 26: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis.* — Io. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis* (τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας), *qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit*

de me. — 1. Cor. 12, 11: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus* (τὸ ἓν καὶ τὸ αὐτὸ πνεῦμα), *dividens singulis, prout vult.*

2. Ut persona *distincta* a Patre et Filio; a Patre, quia ab eo procedit; a Filio, quia ab eo mittitur et vocatur Paraclitus alius, sc. ac Filius.

Spiritum Sanctum et a Patre procedere et a Filio mitti docetur Io. 15, 26; eum esse alium Paraclitum Io. 14, 16. 17: *Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis* (τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας).

3. Ut persona *divina.* Nam:

a) Spiritus Sanctus vel explicite vel implicite vocatur *Deus vel Dominus.*

α) Act. 5, 3. 4: *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto... Non es mentitus hominibus, sed Deo* (τῷ Θεῷ). — β) Is. 6, 8-10: *Audiri vocem Domini dicentis: Vade et dices populo huic: audite audientes et nolite intelligere* etc. Sed hic Dominus iuxta mentem s. Pauli est Spiritus Sanctus, ut patet ex Act. 28, 25, 26: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum et dic ad eos: aure audietis et non intelligetis* etc. — γ) Christiani vocantur modo templum *Dei* (2. Cor. 6, 16), modo templum *Spiritus Sancti* (1. Cor. 6, 19), et 1. Cor. 3, 16 legitur: *Nescitis, quia* (ὅτι) *templum Dei estis, et Spiritus Dei* (τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ) *habitat in vobis.*

2. Cor. 6, 16: *Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi.* 1. Cor. 6, 19: *An nescitis, quoniam* (ὅτι) *membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est...?*

Ergo Spiritus Sanctus est Deus idque eo magis, quoniam, ut s. Thomas dicit, templum habere solius est Dei, cum templum sit domus Dei et locus adorationis. — δ) In locis viginti quinque saltem Spiritus Sanctus Patri et Filio connumeratur, id quod certe non fieret, si non esset nisi creatura. Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.*

b) Spiritui Sancto adscribuntur *attributa divina*, in his omniscientia. 1. Cor. 2, 10: *Nobis autem revelavit Deus per*

Spiritum suum (διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ): *Spiritus enim* (τὸ γὰρ πνεῦμα) *omnia scrutatur* (i. e. intime penetrat seu comprehendit), *etiam profunda Dei.*

c) Spiritui Sancto attribuuntur *operationes divinae*, ut:

α) Inspiratio prophetarum. 2. Petr. 1, 21: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

β) Praedictio futurorum facta Simeoni (Luc. 2, 26), de Iuda proditore (Act. 1, 16 et 20), de Paulo Apostolo vinculis mandando (Act. 20, 23).

Luc. 2, 26: *Et responsum acceperat* (Simeon) *a Spiritu Sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* — Act. 1, 16: (Petrus dixit): *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda.* 20: *Scriptum est enim in libro psalmorum: Fiat commoratio eorum deserta, et non sit, qui inhabitet in ea, et episcopatum eius accipiat alter.* — Act. 20, 22. 23: (Paulus dixit:) *Et nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quae in ea ventura sint mihi ignorans, nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula et tribulationes Ierosolymis me manent.*

γ) Incarnatio Verbi. Luc. 1, 35: *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te* etc. Matth. 1, 20: (Angelus dixit:) *Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

δ) Patratio miraculorum, in his locutio Apostolorum variis linguis facta die Pentecostes (Act. 2, 4) et distributio charismatum (1. Cor. 12, 4-11).

Act. 2, 4: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus* (τὸ Πνεῦμα) *dabat eloqui illis.* — 1. Cor. 12, 4-11: *Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum; alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno* (ἐν τῷ αὐτῷ) *Spiritu; alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult* (sc. ipse Spiritus).

ε) Remissio peccatorum seu iustificatio atque sanctificatio, ut patet ex verbis Christi directis ad Nicodemum (Io. 3, 5) et ad discipulos post ipsius resurrectionem (Io. 20, 22. 23), necnon ex testimoniis s. Pauli.

Io. 3, 5: *Respondit Iesus* (Nicodemo): *Amen, amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* (καὶ Πνεύματος), *non potest introire in regnum Dei.* — Io. 20, 22. 23: *Haec cum dixisset* (Iesus) *insufflavit et dixit eis* (discipulis): *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* — 1. Cor. 6, 11: *Et haec* iniqui etc.) *quidem fuistis; sed ablati estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi et in Spiritu Dei nostri* (ἐν τῷ Πνεύματι τοῦ Θεοῦ ἡμῶν). — Rom. 5, 5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

d) Spiritui Sancto tribuitur *honor divinus*, id quod praeter alia patet ex verbis Christi (Marc. 3, 28. 29): *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata et blasphemiae, quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti.* — Et (Luc. 12, 10): *Omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi, ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur.* Qualiscunque est interpretatio horum verborum, Christus ita loqui non potuit, si Spiritus Sanctus non esset Deus, sed creatura.

CAPUT II.

De Unitate in Trinitate.

Thesis. **Trium divinarum personarum natura est numero una.**

Probatur e Scriptura N. T., in quo unitas naturae divinae:

1. *Generatim* tam diserte praedicatur, quam in V. T., siquidem: *a) Christus* ipse dicit Marc. 12, 29. 30 primum omnium mandatorum esse: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est; et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. — *b) S. Paulus* affirmat et Iudaeorum et gentilium unum esse Deum. Rom. 3, 30: *Quoniam quidem unus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide et praeputium per fidem.*

2. *Specialim* ibi urgetur, ubi distinctae personae divinae exhibentur. Christus enim de se ipso dicit: *a) Iudaeis* Io. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus.* Nulla autem creatura cum

Deo simpliciter unum dici potest. — *b) Philippo* Io. 14, 9: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?*

Corollarium. Ex unitate divinae essentiae colligitur id, quod a Conc. Florentino in decreto pro Iacobitis edito sic enuntiatur: « In Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio » (D. 598). In Deo igitur unum sunt tam omnia attributa absoluta quam omnes operationes ad extra.

Scholion. Ad solvendas difficultates e scriptis ss. Patrum, praesertim antenicaenorum ortas sequentia respiciantur:

1. *Generatim* distingui debet inter Patrum fidem, quam verbis indubiis sunt professi, et speculativas inquisitiones ac loquendi formulas, quae interdum minus aptae vel etiam ineptae sunt.

2. *Speciatim* haec animadvertantur: *a)* Ab aliquot Patribus οὐσία et ὑπόστασις promiscue adhibentur. — *b)* Cum urgetur unitas affectus, virtutis etc., unitas naturae haud negatur. — *c)* Si unitas divinarum personarum declaratur ex unitate, quae est plurium hominum, non est consilium docendi illam unitatem esse specificam tantum sicut hanc, sed ostendendi possibilitatem plurium personarum numericam ex realitate plurium specifica. — *d)* Asserendo Patrem solum esse invisibilem, cum Filius et Spiritus Sanctus facti sint visibiles, docetur Patrem numquam apparuisse vel apparere sive in natura assumpta sive in aliquo symbolo, neque hoc ipsum decere eo, quod conveniat ipsum ad extra manifestari per personam, quae est manifestatio eius ad intra. — *e)* Cum dicitur Patrem aliis personis esse superiorem intelligitur eum solum non habere ullum principium, esse vero principium aliarum personarum. Ex qua ratione solus Pater vocatur Deus super omnia et ὁ Θεός (cum articulo = αὐτόθεος i. e. Deus sine principio).

PARS ALTERA.

DE SS. TRINITATIS PROPRIETATIBUS SEU CHARACTERIBUS.

CAPUT I.

De Proprietatibus SS. Trinitatis Spectatae In Relatione Ad Intra.

ARTICULUS II.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS.

Praenotanda.

1. *Processio* (ἐκπόρευσις, προβολή, Ausgang) hic est origo unius ab alio. Id, quod procedit, vocatur terminus vel principiatum; id, a quo aliquid procedit seu quod aliquid e substantia sua producit, vocatur principium processionis.

2. *Principium* processionis distinguitur triplex: principium quod et duplex principium quo, sc. remotum et proximum. Principium quod est suppositum, quod producit; principium quo remotum est natura, et principium quo proximum est virtus seu facultas, qua suppositum producit.

3. *Terminus* processionis aut est substantia, v. g. filius, aut accidens, v. g. cogitatio. Quilibet processionis terminus a principio suo realiter est distinctus, eo quod nihil a se ipso potest procedere.

4. Processio aut est *ad extra* seu transiens, aut est *ad intra* seu immanens. In processione ad extra terminus a principio separatur, ut fit in naturali generatione; in processione ad intra terminus in principio manet, ut in cognitione intellectus contingit. — Processiones divinae simpliciter sic dictae semper intelliguntur processiones immanentes.

5. In Deo processio vel latius vel strictius sumitur. *Latius* sumpta designat originem et Filii et Spiritus Sancti; *strictius* sumpta designat originem solius Spiritus Sancti.

§ I. *De numero divinarum processionum et de iis, quae non procedunt.*

THESIS I. **Duae sunt in Deo processiones.**

Probatur: I. E Scriptura, in qua Christus exhibetur commemorans alteram processionem dicendo Io. 8, 42: *Ego enim ex Deo processi et veni* (ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω), huiusque immanentiam per verba Io 10, 38: *Pater in me est, et ego in Patre;* alteram dicendo Io 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus.., qui a Patre procedit* (ὁ παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται), *ille testimonium perhibebit de me.*

II. Ratione congrua. Conveniens est 1. in Deo processiones *esse.* Nam in iis apparet naturae divinae fecunditas, quae est perfectio et ea quidem per se simplex, unde Deo non est deneganda; 2. esse in Deo processiones *duas.* Nam processiones immanentes sunt vitales; vita autem Dei spiritualis est; sed vita spiritualis absolvitur duobus actibus: intelligendo et volendo. Intelligendo producitur Verbum seu Filius; volendo producitur Spiritus Sanctus; 3. *terminum* utriusque processionis esse tantummodo *unum.* Nam ob infinitam perfectionem divinae naturae ac productionis tota fecunditas, quae in intelligendo et volendo inest, exhauritur productione unius respective termini infiniti.

THESIS II. **Neque divina natura procedit neque persona Patris.**

Utraque pars est de fide; prior ex Lat. IV. cap. 2. contra Ioachim abbatem dicente: Illa res i. e. divina essentia non est generans neque genita nec procedens: altera ex symb. Athan., in quo dicitur: Pater a nullo est factus nec creatus nec genitus.

Probatur I. pars ratione. Si divina natura procederet, cum a se ipsa procedere nequeat, necessario procederet aut ab altera divina natura aut ab aliqua divina persona. Sed in utroque casu duo essent dii; in priore, ut per se patet; in altero, quia divina persona non est absque divina natura.

Probatur II. pars e Scriptura, quae negative atque implicite docet Patrem non procedere. Nam 1. sicut saepius diserte asserit Filium et Spiritum Sanctum procedere, ita numquam asserit Patrem procedere; 2. cum constanter exhibeat personas tantummodo tres, satis indicat non esse personas quatuor. Sed si Pater procederet, necessario procederet ab aliqua persona quarta. Ratio est, quia nec potest procedere a divina natura, quippe quacum realiter sit idem, neque sive a Filio sive a Spiritu Sancto, utpote qui procedant ab ipso.

§ II. *De processione Filii.*

THESIS I. **Filius procedit a Patre per generationem.** *Definitum* est a Conc. Nicaeno contra Arianos.

In symbolo Nicaeno recitatur: Καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς μονογενῆ.

Probatur: I. **E Scriptura,** in qua Christus vocatur Dei Filius (ὁ υἱός), et is quidem proprius (Rom. 8, 32), verus, (1. Io. 5, 20), unigenitus (Io. 1, 18).

Rom. 8, 32: *Qui (Deus) etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* — 1. Io. 5, 20: *Et scimus, quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus et vita aeterna.* — Io. 1, 18: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

II. E Traditione et continua doctrina Ecclesiae. In symbolo Apostolico Christus vocatur Filius Patris unicus.

Scholion. Filius Dei in libris sapientialibus notatur nominibus generis feminini, e. g. Eccli. 24, 5, ubi dicitur *primogenita ante omnem creaturam*, et ib. 24, ubi appellatur *mater pulchrae dilectionis;* idque fit, 1. quia vox « chokma » (חכמה), ad quam nomina illa referuntur, generis est feminini, 2. ut significetur tenera atque materna eius benignitas.

THESIS II. **Generatio, qua Filius a Patre procedit, est intellectualis.**

Probatur e Scriptura: Io. 1, 1 eadem persona vocatur Verbum, quae v. 18. vocatur unigenitus Filius. Sed Verbum illud non potest esse verbum prolatum, quia est et increatum et personale. Ergo est verbum immanens. Sed verbum immanens est productum ab intellectu seu intellectus fetus.

Explicatur: Modus intellectualis illius generationis:

I. A plerisque sic explicatur:

1. Distinguendum est inter intellectum Patris, quatenus essentialis et quatenus notionalis est. Essentialis est, quatenus non habet annexam relationem, ideoque tribus personis est communis. Notionalis est, quatenus annexam habet seu connotat relationem Paternitatis, seu quatenus per modum tribuentis foecunditatem Patris est proprius.

2. Pater intellectu suo, non in quantum essentialis, sed in quantum notionalis est, producit imaginem sui ipsius perfectissimam ideoque subsistentem sibique consubstantialem i. e. in substantia identicam, quae quidem imago est Verbum seu Filius.

3. Itaque principium quod generationis Filii est persona Patris, principium quo remotum est eius natura seu natura divina, principium quo proximum est intellectus Patris notionalis.

Illustratur simili. 1. Homo cognoscendo quodcumque, etiam se ipsum intellectu suo producit imaginem obiecti cogniti: *speciem intelligibilem*, quae vocari potest verbum (mentis seu internum). — Similiter Deus Pater intelligendo se ipsum intellectu suo, quatenus ipsi ut personae est proprius, producit imaginem sui ipsius, quae vocatur *Verbum* (immanens). 2. Homo speciem illam intelligibilem format *ex indigentia*, cum ipsa ad intelligendum egeat. Deus Pater econtra Verbum producit non ex indigentia, cum eo ad intelligendum non egeat, sed *ex infinita plenitudine* et superabundantia suae intellectionis. 3. Species intelligibilis humana est *accidens* ab homine realiter distinctum. Sed Verbum divinum est *persona*, a Patris quidem persona, non vero natura realiter distincta.

II. A Scotistis sic explicatur: In intellectu divino duo sunt actus formaliter distincti, sc. intellectio tribus personis communis et dictio (interna, ut patet) solius Patris propria. Non per illam, sed per hanc Verbum a Patre procedit.

Scholion. 1. Intellectus noster verbum mentis non solum active format, sed etiam passive concipit. Haec analogice transferendo ad intellectum Dei Verbum divinum et conceptum et partum dici potest, et dicitur Prov. 8, 24. 25: *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram .. ante colles ego parturiebar.*

2. Non est dicendum Patrem sapientem esse Sapientia genita, quia hoc significat genitam Sapientiam esse rationem formalem, qua Pater sapiens constituatur, cum re vera Pater sapiens sit sapientia essentiali et ratione prius, quam Verbum producit. Nec dicendum est Patrem sapientia ingenita et Filium sapientia genita esse sapientem. Nam termini et geniti et ingeniti significant relationem, sapientia autem attributum est absolutum.

Quaestio. Ex quorum intellectione et quomodo Filius a Patre procedat.

Exponitur status quaestionis. Filius seu Verbum ex intellectione aliorum dicitur procedere *formaliter* seu per se, ex intellectione aliorum *concomitanter* seu per accidens. Formaliter procedere dicitur ex intellectione eorum, quorum cognitione intellectus Patris ad producendum Verbum foecundatur, seu sine quorum cognitione Verbum aeque perfectum non procederet. Concomitanter procedere dicitur ex intellectione eorum, quorum cognitione intellectus Patris ad Verbum producendum non foecundatur, seu quorum cognitione non habita Verbum aeque perfectum procederet ac procedit cognitione eorum habita. His suppositis

Respondetur:

1. Verbum *formaliter* procedit ex intellectione *divinae essentiae et attributorum* (absolutorum). Ita *omnes*. Ratio est, quia essentia Dei eiusque attributa sunt primarium obiectum divinae intellectionis. Sed ex primarii saltem obiecti intellectione Verbum procedat, idque formaliter seu per se, necesse est.

2. Verbum *formaliter* procedit ex intellectione *trium divinarum personarum*. Ita nunc *fere omnes* contra aliquos, qui censent Verbum formaliter non procedere ex intuitione aut Filii et Spiritus Sancti (Henno[1] etc.), aut Spiritus Sancti (Vasquez).

Probatur duplici ratione theologica.

a) Verbum procedit ex comprehensiva cognitione essentiae divinae. Sed cognitio comprehensiva essentiae divinae includit cognitionem trium personarum. Nam quaelibet persona divina realiter est idem ac divina essentia.

b) Verbum procedit ex cognitione comprehensiva Patris. Nam est expressivum totius scientiae, quam Pater habet de se ipso. Sed cognitio comprehensiva Patris includit cognitionem Filii et Spiritus Sancti. Nam Pater non potest se ipsum comprehensive cognoscere, quin cognoscat potentiam generandi et spirandi sibi propriam. Et hanc comprehensive cognoscere nequit, quin cognoscat terminos ei respondentes i. e. Filium et Spiritum Sanctum.

[1] Tract. de Deo Trino, disp. 1, q. 8, concl. 3.

S. Augustinus[1]: « Proinde tamquam se ipsum dicens Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius Verbo, quam in ipso... Et ideo Verbum hoc vere veritas est, quoniam, quidquid est in ea scientia, de qua genitum est, et in ipso est; quod autem in ea non est, nec in ipso est ».

3. Verbum *formaliter* procedit ex cognitione *creaturarum ut possibilium* seu ex scientia simplicis intelligentiae. Ita pariter nunc *omnes fere* contra auctores praedictos et alios paucos. Ratio est, quia Verbum procedit ex cognitione comprehensiva essentiae et attributorum. Sed cognitio comprehensiva essentiae et attributorum includit cognitionem creaturarum ut possibilium. Nam creaturae ut possibiles necessariam connexionem habent cum essentia divina ut earum causa exemplari et cum omnipotentia ut earum causa efficiente.

S. Thomas[2]: « Quia Deus uno actu et se et omnia intelligit, unicum Verbum eius est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum ».

4. Verbum formaliter non procedit ex cognitione creaturarum ut exsistentium seu ex scientia visionis creaturarum. Ita *omnes fere* contra Gregorium de Valentia, Witasse aliosque paucos. Probatur duplici ratione theologica. *a)* Cognitio, ex qua Verbum formaliter seu per se procedit, debet esse necessaria, sicut ipsa Verbi processio necessaria est. Sed cognitio creaturarum ut exsistentium necessaria non est, cum in Deo possit non esse. — *b)* Si creaturae non exsisterent et consequenter earum visio in intellectu divino non esset, nihilominus ex eodem intellectu Verbum aeque perfectum procederet ac nunc procedit. Nam etsi creaturae non exsisterent, nihilominus intellectus divinus omnem perfectionem essentialem haberet, quam nunc habet. Ergo idem dicendum est de Verbo ut intellectus termino.

5. *Concomitanter* tamen seu per accidens Verbum procedit ex cognitione *creaturarum ut exsistentium* seu ex earum scientia visionis. Nam supposita libera Dei voluntate creaturas producendi intellectus divinus eas non potest non videre seu scientia visionis intelligere, (quin per hoc intrinsecus mutetur,) Filius autem ex divino intellectu procedit, uti hic reapse est.

---

[1] De Trin. l. 16, c. 14, n. 23.

[2] 1, q. 34, a. 3, c.

Nota. Ut infringi possint praecipuae difficultates, quae contra n. 2. et 3. afferuntur, haec animadvertantur: 1. Non propterea, quod intellectio est principium Verbi, obiectum intellectionis principium Verbi est. Unde licet Verbum formaliter procedat ex cognitione sui ipsius et Spiritus Sancti et creaturarum possibilium, neutiquam tamen procedit a se ipso, a Spiritu Sancto, a creaturis possibilibus. 2. Intuitiva Dei visio non supponit suum obiectum ut iam exsistens. Hinc Verbum et Spiritus Sanctus, quamvis in isto signo rationis, in quo Pater Verbum producit, nondum supponantur exsistentes, tamen intuitive videntur, quatenus essentia divina eos absolute exigit. 3. Respectu personarum divinarum non est ulla prioritas *in quo* seu temporis, sed tantummodo prioritas *a quo* seu principii seu originis. Proinde Filius et Spiritus Sanctus pro omni instanti durationis realiter coexsistunt cognitioni illos repraesentanti.

Franzelin haec dicit[1]: «Difficultatem aliqui sentiunt insuperabilem, quomodo concipi possit Verbum procedere per intellectionem ipsius Verbi, et multo magis per intellectionem Spiritus Sancti, quia, aiunt, in eo signo, in quo concipitur intellectio producens Verbum, nondum exsistit Verbum adeoque solum intelligi posset ut futurum, non autem cognitione intuitiva ut exsistens; quae ipsa difficultas ipsis adhuc maior et evidentior videtur quoad cognitionem Spiritus Sancti, cum haec tertia persona sit origine posterior Verbo utpote procedens a Verbo... Tota difficultas nititur falso vel certe nimis imperfecto conceptu *prioris* et *posterioris* in originibus divinarum personarum, ut patet vel ex ipsa propositione obiectionis, ubi loquuntur de Verbo *nondum* exsistente et de Verbo *ut futuro*. Correctione ergo huius conceptus rem explicare oportet.

Intellectio producens Verbum non est actio proprie dicta velut egrediens a potentia, sed est purus actus necessarius aeternus habens intrinsecum terminum necessarium aeternum, qui est Verbum; adeoque illud *producere* est aeternum *habere actu completo terminum intrinsecum necessarium*, est aeterna substantialis relatio, quae sine suo termino aeterno correlato nec esse nec vere concipi potest. Vicissim illud *produci* est aeternum *actu productum esse* tam necessarium, quam necessarium est divinum intelligere. Si igitur de *priori* et *posteriori* originum sermo sit, non est prioritas, quasi *intelligere* paternum relativum posset concipi sine Verbo, sicut e. g. concipi potest Deus sine voluntate creandi aut operandi ad extra, quae dicitur prioritas *in quo*; sed quod *prius* et *posterius* in divinis originibus dicimus, unice est in eo, quod relativum B, puta Verbum, necessitate intrinseca aeternaliter est et exsistit a relativo A, sc. ab intellectione paterna ex sua necessaria intrinseca natura exprimente Verbum, et non vicissim relativum A est a relativo B, quae prioritas *a quo* appellari solet. Est igitur, si ita loqui fas est, relativorum *simultaneitas in quo*, et sola unius ad alterum *prioritas a quo*. Unde intellectus paternus, actus purus, intelligit se ut in actu secundo completo fecundum Verbi, atque hac sui intellectione est principium Verbi in actu completo aeternaliter procedentis et semper producti. Atqui Pater, intelli-

[1] De Deo trino, thes. 29.

gendo se in actu secundo fecundum Verbi, intelligit Verbum non iam ut producendum aut futurum (quod aliqui absurdissime dicunt), sed ut aeternaliter actu procedens et necessario exsistens. Ergo intellectio paterna, intelligendo se et a se procedens Verbum, est principium Verbi procedentis. Qui ordo adeo non repugnat, ut sit omnino necessarius, quia infinita intellectio producens et Verbum procedens ac immanens intellectioni non solum realiter sed etiam ratione simul sunt simultaneitate *in quo*, et sola est intellectionis producentis ad Verbum coaeternum prioritas *a quo*.

Ex eodem fundamento solvenda est difficultas contra processionem Verbi per intellectionem etiam Spiritus Sancti. Intellectio actu aeterno producens et Verbum aeternaliter productum et dilectio actu aeterno producens et amor ut intrinsecus terminus productus simul sunt simultaneitate *in quo*, h. e. unum sine altero, ut a parte rei est, nec esse nec concipi potest; prioritas vero nominatim inter Verbum productum et amorem productum est unice prioritas *a quo*, quod amor spiratus aeterna relatione est a Verbo ut a principio cum Patre, non autem est Verbum ab amore ut a principio. Simultaneitas illa *in quo* satis est, ut haec omnia simul et proinde, sicut Verbum, ita et Spiritus Sanctus intelligantur uno simplicissimo actu, quo Pater est aeternum principium Verbi. Intelligendo scilicet Pater se ut principium Verbi intelligit et Verbum, atque simul se et Verbum intelligit ut dilectionem aeternaliter producentem terminum intrinsecum, qui est Spiritus Sanctus haecque ipsa una simplicissima intellectione est principium exprimens Verbum sibi adaequatum ».

§ III. *De processione Spiritus Sancti.*

THESIS I. **Spiritus Sanctus non solum a Patre procedit, sed etiam a Filio.**

Definitum est a Conc. Lat. IV., Lugd. II., Florentino contra Graecos schismaticos (D. 355, 382, 586).

Probatur: I. E Scriptura, in qua Spiritus Sanctus dicitur:

1. *Scientiam accipere a Filio.* Christus enim de Spiritu Sancto dicit Io. 16, 14. 15: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet* (ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει) *et annuntiabit vobis.* — Secundum haec verba: *a)* Spiritus Sanctus, qui est Deus, scientiam accipit a Filio. Sed scientia Dei realiter est idem atque eius natura. Ergo Spiritus Sanctus a Filio accipit naturam. Sed persona divina, quae naturam accipit ab alia persona divina, ab hac procedit. Neque obstat, quod in textu positum est tempus futurum « accipiet ». Hoc enim α) ideo *factum est*, quia verbum accipiendi est coniunctum cum verbo « annuntiabit », quod in tempore

futuro ponendum fuit, cum annuntiatio seu externa manifestatio scientiae illius re vera fuerit futura; — β) *fieri potuit*, quia Spiritus Sanctus scientiam a Filio accipit per totam aeternitatem, quae omnes temporis differentias virtualiter in se continet seu complectitur, unde aeque dici potest: Spiritus Sanctus scientiam accipiet, scientiam accipit, scientiam accepit. — Ceteroquin in v. 15. positum est tempus praesens (λαμβάνει). — *b)* Omnia, quaecunque Pater habet, etiam sunt Filii. modo ne repugnent, ut per se patet, huius filationi. Sed Pater hoc habet, quod producit Spiritum Sanctum, neque id filiationi repugnat; ergo idem et habet Filius.

2. *Mitti a Filio.* Io. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum* (Spiritus = τὸ πνεῦμα) *veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* — Io. 16, 7: *Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* — Iam vero una persona divina ab alia mitti non potest, nisi ab ea procedit. Nam ab ea non mittitur nisi per intimationem voluntatis. Sed una persona divina alteri personae divinae voluntatem suam intimare non potest nisi eandem et consequenter naturam per productionem communicando.

3. *Esse Spiritus Filii.* Gal. 4, 6: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem* (i. e. impellentem, ut clametis): *Abba, Pater.* — Spiritus, de quo hic agitur: *a)* Est persona Spiritus Sancti. Nam dicitur: α) τὸ πνεῦμα; — β) misit (ἐξαπέστειλεν), quod verbum v. 4. aeque dicitur de Filio, quodque (vel verbum minus compositum ἀποστέλλειν) in toto N. T. non dicitur nisi de personis: de Christo, de Angelis, de Ioanne Baptista, de Apostolis etc.

Gal. 4, 4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit* (ἐξαπέστειλεν) *Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* — Matth. 2, 16; 10, 5. 16. 40; 11, 10; 13, 41; 15, 24; 21, 37.

b) Vocatur Spiritus Filii. Ergo a Filio procedit. Nam: α) Solummodo propterea Spiritus Filii potest vocari, quia ad Filium habet aliquam relationem. Sed haec non potest esse nisi relatio originis, quippe quae sola in divinis sit possibilis. — β) Graecis concedentibus Spiritus Sanctus vocatur Spiritus Patris (Matth. 10, 20), quia a Patre procedit. Ergo et Spiritus Filii vocatur, quia a Filio procedit.

II. E Traditione. 1. *E Patribus Graecis. a) Ss. Athanasius, Cyrillus Alex., Epiphanius, Gregorius Nyss. locos citatos* s. Scripturae aliosve iis similes explicant de processione Spiritus Sancti a Filio. — *b) S. Athan.* Filium vocat *fontem* Spiritus Sancti. — *c) S. Cyrillus Hieros.* scribit[1]: « Pater dat Filio, Filius *communicat* Spiritui Sancto ». — *d) S. Gregorius Thaumat.* ait Spiritum Sanctum esse *imaginem* perfectam perfecti *Filii*. — *e) S. Basilius* dicit[2]: « Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium sese habet Spiritus Sanctus »; et contra Eunomium (3, 1) asserit Spiritum Sanctum habere a Filio esse. — *f) S. Epiphanius* saepius dicit Spiritum esse ex Patre et Filio, vel ex substantia Patris et Filii. Idem docent *ss. Gregorius Nyss. et Cyrillus Alex.*

Athan.[3]: « Audientes... Paulum scribentem: Misit Deus Spiritum Filii in corda vestra, videntes autem etiam Unigenitum insufflantem in faciem Apostolorum et dicentem: Accipite Spiritum Sanctum, spirationem Filii in propria vita et substantia manente Spiritum esse doceamur et neque genitum neque creatum a Filio esse sapiamus... Verumtamen spirationem Filii Dei eum ex sanctis Scripturis docti sumus, et *fontem Spiritus* et *Filium* Dei dicimus ». — Et[4]: « Idcirco David psallens canebat (Ps. 35, 10): *Quoniam apud te fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* Noverat enim apud Patrem esse Filium, *fontem Spiritus Sancti* ». — *Greg. Thaum.*[5]: « Unus Spiritus Sanctus, ex Deo substantiam habens, et qui per Filium apparuit, *imago Filii perfecti perfecta*... Trinitas perfecta... Neque itaque defuit unquam Filius Patri, *neque Filio Spiritus Sanctus*, sed invertibilis et immutabilis eadem Trinitas semper ». — *Epiph.*[6]: « Non alienus est a Patre et Filio Spiritus Sanctus, sed ex eadem divinitate, *ex Patre et Filio* cum Patre et Filio subsistens semper Spiritus Sanctus ». — *Greg. Nyss.*[7]: « Unigenitus Filius ex Patre a s. Scriptura dicitur, et in hoc sacra doctrina sistit eius proprietatem. Spiritus Sanctus vero et ex Patre dicitur *et ex Filio* esse simul testimonio confirmatur ». — *Cyrill. Alex.*[8]: « Cum igitur Spiritus Sanctus in nobis inhabitans conformes nos Deo reddat, procedat vero is *ex Patre et Filio*, manifestum est divinae essentiae eum esse essentialiter in ipsa et ex ipsa procedentem ».

Patres latinos idem docere ab ipsis adversariis conceditur.

---

[1] Catech. 16, n. 24.
[2] De Spiritu Sancto, cap. 17, n. 43.
[3] De Trin. et Spir. S. n. 19.
[4] De incarn. n. 9.
[5] In expos. fidei apud Rufinum H. E. 7, 25.
[6] Haeres. 62, n. 4.
[7] Hom. 3. in or. domin.
[8] Thes. assert. 34.

2. *E conciliis.* Spiritus Sanctus dicitur procedere ex Patre et Filio a Conc. Seleuciensi (a. 410.) et Toletano II. (a. 447. D. 113).

3. *E symbolo Athanasiano,* quod saltem iam saec. 7. in publico usu fuit, in quo dicitur: « Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens ».

4. *E professione fidei,* quam episcopi Africani a. 484. tradiderunt Hunnerico, Vandalorum regi, in qua dicitur: « De Patre et Filio procedentem Spiritum Sanctum unius credimus esse substantiae ».

III. **Ratione theologica.** Spiritus Sanctus a Filio realiter est distinctus, ergo ab eo procedit. Nam iuxta Conc. Flor. in Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Atqui, si Spiritus Sanctus e Filio non procederet, nulla oppositio inter ipsum et Filium esset, cum haec, quantum ex revelatione scimus, solummodo oriatur ex origine unius personae ab alia.

Scholion. 1. Ex verbis Christi Io. 15. 26 et symboli Nic.-Const. « *qui a Patre procedit* » non licet concludere Spiritum Sanctum a Filio non procedere. Nam: *a)* Verba illa non sunt exclusiva, sed affirmativa tantum. — *b)* Ratio potest assignari, cur in utroque loco Filii non fiat mentio.

Quae quidem ratio quoad Io. 15, 26 est haec: Verbis illis promittitur Spiritus Sanctus, qui de Christo testimonium sit perhibiturus, quemadmodum Pater per miracula a Christo patrata (Io. 15, 24. Coll. 10, 37) testimonium iam perhibuerit. Ut igitur significetur testimonium Spiritus Sancti eiusdem esse valoris ac testimonium Patris, asseritur Spiritum Sanctum a Patre procedere. — Quoad symbolum Nic.-Const. ratio Spiritum Sanctum reticendi haec est: In Conc. Const. solummodo declarandum fuit Spiritum Sanctum esse Deum et procedere a Patre, cum Macedoniani admitterent eum a Filio procedere, processione quidem non immanente, sed transeunte, sc. ea, quae fiat per creationem.

2. Symbolo Nic.-Const. illud *Filioque* primo additum est in Hispania saec. 5. et 6. (D. 48), deinde in Gallia, tum in Germania, tandem, postquam Ecclesia Romana ob reverentiam symbolo illi habitam diu restitit, saec. 11. in toto occidente. In Conciliis Lugdunensi II. et Florentino a Graecis admissum est et a Flor. est definitum verba illa veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate (Photianis rem verbis illis expressam in dubium vocare incipientibus) licite et rationabiliter symbolo esse apposita.

3. Patres Graeci communius dicunt Spiritum Sanctum procedere a Patre *per* Filium (non: a Filio) ad indicandum Patrem esse Spiritus Sancti principium non principiatum, Filium esse eius principium principiatum.

Thesis II. **Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio ut ab uno principio.**

Definitum est a Conc. Lugd. II. et Flor. (D. 382. 586).

Explicatur: Spiritus Sanctus a duabus quidem personis procedit; inde tamen non efficitur has duas personas esse duo Spiritus Sancti principia. Econtra sunt unum tantum principium. Nam producunt Spiritum Sanctum vi spirativa ut ratione formali. Sed haec in Patre et Filio est una eademque. Plura vero principia habentur, si adsunt non solum plura supposita, sed etiam plures rationes formales, quibus supposita sunt principia. Hinc licet tres personae divinae mundum creaverint, non tamen sunt tria mundi principia, sed unum tantum, cum ratio formalis, qua principium mundi sunt, sc. vis creativa, in iis sit una eademque. Similiter Pater et Filius non sunt duo Spiritus Sancti principia, sed unum tantum eo, quod vis spirativa in iis est una eademque.

Probatur: **I. E Scriptura.** Io. 16, 15 Christus rationem, cur Spiritus Sanctus a se procedat, reddit hanc: *Omnia quaecunque habet Pater, mea sunt.* Ergo Spiritus Sanctus a Christo seu Filio procedit, quia hic cum Patre habet eandem vim spirandi. Sed hoc idem est ac: quia Filius cum Patre est unum Spiritus Sancti principium.

II. E Traditione. *S. Aug.* scribit [1]: « Sicut Pater et Filius unus Deus et relative ad creaturam unus creator et unus Dominus, sic relative ad Spiritum Sanctum unum principium ».

III. Ratione theologica. In Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Sed inter Patrem spirantem et Filium spirantem ratione spirationis oppositio relationis non est. Nam oppositio relationis non est inter spirare et spirare, sed tantummodo inter spirare et spirari.

Thesis III. **Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit per voluntatem.**

Probatur: **I. E Scriptura et Traditione.** In Scriptura et Traditione tertia persona ss. Trinitatis passim vocatur Spi-

[1] De Trin. l. 5, c. 14.

ritus Sanctus, quod quidem nomen, quamvis per se possit esse absolutum, designans aeque primam secundamque ac tertiam personam, tamen connexum cum nominibus Patris et Filii et ex usu reapse est nomen *relativum*, designans personam tertiam eiusque proprietatem. Sed qua tale non potest tantummodo significare eius spiritualitatem et sanctitatem essentialem, cum hae tribus personis sint communes, sed insuper aliquid aliud, quod tertiae personae sit proprium, significet necesse est. Hoc vero, ut iam ex ethymologia patet, est *esse halitum sanctum* vel, ut theologi communiter explicant, esse spiratum a principio formaliter sancto et consequenter esse ipsam sanctitatem spiratam. Sed tam ex nomine spirati quam ex nomine sancti concludi potest Spiritum Sanctum procedere per voluntatem.

Nam: 1. Voces spirandi, spirationis, spiritus in rebus corporalibus significant quandam motionem; ergo etiam in rebus spiritualibus motionem designent oportet. Sed motio spiritualis est in voluntate. Et re vera voces illae ad significandas motiones voluntatis saepissime adhibentur. Sic homines dicuntur spirare amorem, odium etc. Sic audacia, magnanimitas, superbia etc. vocantur spiritus.

2. Nomen sancti, quippe quod hic relative sit intelligendum, significat processionem ex principio sancto. Sanctitas autem est in voluntate. Sicut igitur ex eo, quod Filius vocatur Verbum vel Sapientia, recte concluditur eum ex intellectu procedere, ita etiam ex eo, quod Spiritus dicitur Sanctus, recte concluditur eum procedere ex voluntate.

II. **Ratione theologica.** Persona divina non potest procedere nisi per actum immanentem aut intellectus aut voluntatis. Iam vero secunda ss. Trinitatis persona procedit per actum intellectus. Ergo tertia persona procedit per actum voluntatis.

Explicatur: 1. Distinguendum est inter voluntatem Patris et Filii, quatenus essentialis est, et quatenus est *notionalis*, i. e. quatenus annexam habet vel connotat relationem Patris et Filii, seu quatenus est Patris et Filii volitio mutua seu mutuus amor. Qui quidem amor ob suam infinitam plenitudinem ac superabundantiam foecundus est et producit terminum perfectissimum ideoque et subsistentem et consubstantialem, sc. Spiritum Sanctum.

Illustratur simili. Amoris humani proprium est se effundere, e. g. per aspirationem vel largitionem doni, quod inde constituit vinculum ac pignus inter amantem et amatum. Analogice etiam Spiritus Sanctus inter Patrem et Filium vinculum constituit.

2. Spiritus Sanctus mutuo illo amore non producitur libere, sed *necessario*, ita ut amor divinus sine Spiritu Sancto esse non possit.

3. Spiritus Sanctus necessario procedit a personis *duabus*. Nam Pater non potest velle, quin intellexerit, nec potest intelligere, quin producat Filium et cum eo naturam suam proindeque etiam virtutem spirandi communicet.

4. Obiectum amoris, quo Spiritus Sanctus producitur, *absoluta necessitate* ea tantum constituunt, quae a Deo necessario diliguntur; *reapse* vero etiam ea, quae a Deo libere diliguntur, cum haec a Deo et propter se ipsum diligantur et eodem actu, quo illa.

5. Quia Spiritus Sanctus non est ratio formalis, qua Pater et Filius diligentes constituuntur, sed dilectionis amborum terminus, dici non potest Patrem et Filium diligere Spiritu Sancto, nisi intelligatur Patrem et Filium diligendo producere vel spirare Spiritum Sanctum.

Scholion. Ratio, cur processio secundae, non vero tertiae personae generatio sit dicenda:

I. Iuxta *multos Patres et plurimos scholasticos* haec est:

1. Sicut homo, ut aliquod obiectum cognoscat, speciem intelligibilem eiusdem format, quae eo ipso similis est obiecto cognoscendo, ita Deus Pater, quia se ipsum perfecte cognoscit, producit perfectam sui imaginem, sc. Verbum, quod igitur *praecise eo ipso, quod per cognitionem illam procedit*, Patri cognito est simile, imo consubstantiale.

Etiam generatus eo ipso, quod procedit per generationem, generanti similis est, ut patet ex generationis definitione, quae est: Processio viventis a vivente ut principio coniuncto in similitudinem naturae vi eiusmodi processionis.

Ergo processio personae secundae recte vocatur generatio (spiritualis, ut patet).

2. Pater et Filius invicem diligendo producunt Spiritum Sanctum ut huius dilectionis terminum. Qui quidem Patri et Filio reapse quidem similis, imo consubstantialis est, attamen

solummodo propterea quod natura ipsi communicata est divina seu ob infinitam Dei perfectionem, *non vero praecise eo, quod per Patris et Filii amorem procedit* huiusque amoris est terminus. Nam nullus amoris terminus eo ipso, quod terminus amoris est, amanti et amato est similis.

II. Iuxta *Scotistas* est haec: Secunda persona procedit per intellectum. Sed intellectus ad intelligendum naturaliter est determinatus. Ergo secunda persona procedit naturaliter seu *per modum naturae*. Etiam generatus a generante per modum naturae procedit. Ergo processio personae secundae recte vocatur generatio (spiritualis, ut patet).

Tertia persona procedit per voluntatem. Sed « voluntas, etiam divina, non est agens naturale, sed *voluntarium* et liberum libertate essentiali, etiam respectu processionis Spiritus Sancti ». Henno [1], Ergo processio tertiae personae generatio non est vocanda.

III. A Richardo Victorino haec affertur: Filius a Patre accipit naturam *foecundam*, ex qua et ipse producit Spiritum Sanctum. Spiritus Sanctus vero a Patre et Filio accipit naturam infoecundam, ex qua alia persona non amplius potest produci. Iam vero per generationem per se semper producitur natura foecunda. Ergo processio Filii, non vero processio Spiritus Sancti vocanda est generatio.

ARTICULUS II.

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

THESIS I. **In Deo sunt quatuor relationes reales originis.**

Explicatur: Relatio est habitudo unius ad aliud. Relatio originis in Deo ea est, quae fundatur in origine seu processione unius personae ex alia vel aliis. Eadem, ut patet, ad intra est seu immanens. Relatio est realis, si relationis subiectum, terminus, fundamentum et distinctio inter subiectum ac terminum realia sunt.

Probatur: I. *In Deo esse relationes reales originis.* In Deo est realis Pater et realis Filius; ergo vera generatio; ergo et relatio realis inter Patrem et Filium, etc.

[1] Tract. de Deo trino, disp. 1, q. 6, concl. 3.

II. *Relationes illas esse praecise quatuor.* Duae sunt in Deo productiones immanentes; sed utrique productioni correspondent duae relationes: una producentis ad productum, altera producti ad producentem; ergo quatuor sunt relationes originis: paternitas et filiatio, spiratio activa et spiratio passiva.

THESIS II. **Hae relationes ab essentia divina non distinguntur realiter, sed saltem et iuxta plerosque tantummodo virtualiter.**

Probatur I. pars, quae est de fide,

I. **Ex doctrina Ecclesiae.** 1. Concilium *Lateranense IV.* cap. 2. contra Ioachim Abb. declaravit unam et eandem rem esse Patrem et Filium et Spiritum Sanctum.

« Nos autem sacro approbante Concilio credimus et confitemur cum Petro Lombardo, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus... quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina » (D. 358).

2. Conc. *Florentinum* in decreto pro Iacobitis edito praeterea ait in Deo omnia esse unum, ubi non obviet relationis oppositio.

« Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres dii, quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio ». (D. 598).

3. Conc. *Rhemense* a. 1148. habitum et ab Eugenio III. approbatum haec dicit: « Credimus et confitemur solum Deum Patrem, Filium et Spiritum Sanctum aeternum esse nec aliquas omnino res, sive *relationes,* sive proprietates, sive singularitates vel unitates dicantur, vel alia huiusmodi, adesse Deo, quae sint ab aeterno et non sint Deus ». (D. 329).

II. **Ratione theologica**: Relatio divina non potest esse accidens, quia accidens repugnat Dei simplicitati; ergo necessario est ipsa substantia seu essentia divina. Haec igitur una simul et absoluta est et relativa.

Nos quidem, quia non habemus conceptum absoluti, qui simul significet relativum, neque conceptum relativi, qui simul significet absolutum, unam rem, quae simul et absoluta sit et relativa, nobis repraesentare non possumus nisi duobus diversis conceptibus; sed inde non efficitur rem illam ipsam non posse esse unam eandemque.

Probatur II. pars, sc. saltem admittendam esse distinctionem virtualem:

Ratione theologica: Si inter essentiam divinam et attributa distinctio virtualis admittenda est, certe non minor distinctio est admittenda inter essentiam divinam et relationes. Nam distinctio, quae intercedit inter Dei essentiam et relationes, est fundamentum distinctionis realis, quae est inter divinas personas, cum e contrario distinctio, quae intercedit inter essentiam Dei et attributa, fundamentum realis distinctionis non sit.

Explicatur haec distinctio: Deus independenter a consideratione intellectus nostri ob infinitam suam perfectionem *diversos respectus* habet, qui in una eademque re finita esse non possunt, ita ut e. g. secundum unum respectum sit generans, secundum alterum non sit generans. Itaque Deus aequivalet pluribus rebus distinctis, et absque contradictione potest a nobis recipere praedicata, quae in rebus creatis sunt contradictoria.

A *Scotistis* inter divinam essentiam et relationes ponitur distinctio formalis, quae explicatur a Boyvin [1] dicente: « Deum esse quidem rem unam simplicissimam, in qua omnes perfectiones unitissime continentur, in ipsa tamen re esse *varias rationes formales* independentes ab intellectu, secundum quas res illa singularissime una modo est et dicitur essentia, modo bonitas; nunc paternitas, nunc filiatio etc. ».

Thesis III. **Paternitas a filiatione, spiratio activa a spiratione passiva realiter sunt distinctae; spiratio vero activa a paternitate et filiatione realiter distincta non est.**

Probatur: Quatuor relationes fundantur et quidem unice fundantur in duabus productionibus; ergo oppositio est et quidem unice est inter relationem producentem et relationem ab ea productam, sc. inter paternitatem et filiationem ex una parte et inter spirationem activam et passivam ex altera parte. Hae autem relationes sunt reales. Ergo etiam oppositio, quae est inter eas, realis est. Sed ubi est oppositio realis, ibi necessario est distinctio realis. Ergo paternitas a filiatione, spiratio activa a spiratione passiva realiter sunt distinctae.

[1] De Deo trino, cap. 4, q. 2.

Spiratio vero activa a paternitate et filiatione realiter distincta non est, quia neque eas producit neque ab iis producitur. (Ab his igitur eodem modo, quo ab essentia, distincta est). Hinc, sicut dicendum est spirationem passivam realiter distingui a spiratione activa, ita quoque dicendum est spirationem passivam realiter distingui a paternitate et filiatione.

THESIS IV. **Paternitate, filiatione, spiratione passiva divinae personae constituuntur.**

Explicatur: 1. Paternitate, filiatione, spiratione passiva personae divinae eodem modo constituuntur, quo divinitate constituitur Deus, unde et dici potest: Paternitas, filiatio, spiratio passiva sunt divinae personae, seu tres illae relationes sunt personae divinae.

2. Dicendo personas constitui relationibus non excluditur divina essentia, quacum relationes realiter sunt idem; sed significantur relationes et essentia simul; essentia quidem in obliquo, relationes vero in recto, quia hae solae exhibent illam incommunicabilitatem, quae voce personae directe significatur.

Probatur ratione theologica: 1. In sacris litteris tres divinae personae passim vocantur Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Sed haec nomina concreta propter absolutam simplicitatem Dei plane idem significant, quod respondentia nomina abstracta, sc. paternitas et filiatio et spiratio passiva.

2. Solummodo per illas relationes personae divinae realiter distinguuntur, cum nec distinguantur ulla perfectione absoluta utpote tribus personis communi, nec spiratione activa, quippe quae sit realiter idem cum paternitate et filiatione. Sed eo, quo personae divinae unice distinguuntur, necessario constituuntur.

Corollarium. Paternitas, filiatio, spiratio passiva, eo quod personas constituunt, etiam vocantur proprietates personales.

QUAESTIO I. **Utrum relationes originis formaliter sumptae sint perfectiones a perfectione essentiae virtualiter distinctae, an gaudeant absoluta solum perfectione essentiae.**

Controvertitur. I. *Scotistae* et *aliquot Thomistae,* in his *Gonet et Billuart,* negant relationes originis formaliter sumptas, i. e. ut sunt meri respectus, seu (iuxta modum dicendi aliquorum) secundum rationem « ad » esse perfectiones. Nam,

inquiunt, relationes ex se nec perfectionem habent nec imperfectionem, sed utramque habent ex fundamento. Si igitur fundamentum perfectum est, relatio in eo fundata est perfecta; sin illud est imperfectum, etiam haec imperfecta est. Rem ita se habere apparet in similitudine, quae formaliter sumpta nec perfecta est nec imperfecta, sed, si fundatur e. g. in virtute, perfecta est, si in vitio, est imperfecta. Sic relationes divinae esse suum infinite perfectum non habent ex se, sed ratione naturae, in qua sunt.

II. E contrario *aliqui Thomistae* et praecipue *recentiores* haec statuunt:

1. Relationes formaliter sumptae sunt perfectiones. Nam: *a)* Sunt relationes *reales*. Omne autem reale bonitate transcendentali bonum est. Sed haec bonitas est perfectio illa, quae hic intelligitur. — *b)* Tres ex his relationibus sunt ab invicem *realiter distinctae*. Sed id, cui transcendentalis bonitas non convenit, est nihil. Nihil autem realiter distinctum esse non potest.

2. Nulla relationum originis melior est, quam ea, quae ipsi est opposita. Paternitas v. g. non est melior, quam filiatio. Ideo relationes illae a scholasticis non vocantur perfectiones simpliciter simplices, sed simplices.

3. Ex eo, quod relationes originis formaliter sumptae sunt perfectiones, neque efficitur plus perfectionis esse in personis quam in essentia, neque efficitur plus perfectionis esse in tribus vel duabus personis quam in una.

a) Non est plus perfectionis in personis quam in essentia. Nam essentia cum personis realiter est idem, et quatenus ab iis (virtualiter vel formaliter) distinguitur, eas radicaliter includit.

b) Non est plus perfectionis in tribus vel duabus personis quam in una, quia unaquaeque persona perfectiones aliarum personarum continet α) *identice* (iuxta modum dicendi quorundum: eminenter): ratione essentiae, quacum realiter est idem; — β) *aequivalenter:* ratione propriae personalitatis, quae ipsi tam bona est, quam alia alteri, neque alia esse potest; — γ) *quasi formaliter:* ratione circuminsessionis, et quidem (non per modum intrinsecus constitutivi, sed) aut ut terminus immanens suae operationis aut ut principium immanens suae vitae. Sic Pater habet Filium et Spiritum Sanctum ut terminos imma-

nentes suae intellectionis et dilectionis. Et ita Filius et Spiritus Sanctus quodammodo sunt complementa Patris. — Sic Filius habet Patrem ut principium immanens vitae suae, quoniam a Patre per generationem immanentem procedit; Spiritum Sanctum vero habet ut terminum immanentem suae dilectionis. Et ita Pater et Spiritus Sanctus pertinent ad esse completum Filii, diverso tamen modo. — Sic Spiritus Sanctus habet Patrem et Filium ut principium immanens vitae suae, quoniam a Patre et Filio processione immanente procedit. Et ita Spiritus Sanctus completur per Patrem et Filium ut principium immanens vitae suae.

4. Singulae personalitates, quatenus ab essentia distinguuntur, sunt infinite perfectae in genere *suo;* quatenus cum essentia identificantur, sunt infinite perfectae in *omni* genere.

Quaestio II. **Utrum praeter tres subsistentias relativas admittenda sit una subsistentia absoluta necne.**

Controvertitur. I. Affirmatur a *multis Thomistis*, inter quos eminet Caietanus, a *multis Scotistis*, ut Henno, a *Suarez*, diversimode tamen; ab Henno e. g. sic: Distinguenda est duplex subsistentia: altera communicabilis, altera incommunicabilis. Subsistentia communicabilis, quae solummodo dat esse per se, excludit quidem dependentiam ab alio, non vero per se excludit communicabilitatem. Sed subsistentia incommunicabilis communicabilitatem per se omnino excludit. Subsistentia communicabilis competit naturae divinae qua tali seu ut praeintellectae personalitatibus. Subsistentia vero incommunicabilis convenit personae, i. e. naturae completae non tantum in esse naturae, sed etiam in esse personali.

Rationes, quas Henno [1] pro sua sententia affert, sunt hae:

1. « Essentia divina ut praeintellecta personalitatibus est verus Deus, adeoque includit omnem perfectionem possibilem, praesertim cum relationes personales nullam dicant perfectionem; sed subsistere per se est perfectio, ut clarum est; ergo ».

2. « Natura divina ut praeintellecta personalitatibus exsistit per se independenter ab alio ut sustentante, cum non dependeat a relationibus in existendo, sed hae potius per illius exsistentiam exsistant; atqui hoc est habere subsistentiam, de qua supra, ut patet ex eius definitione; ergo ».

II. Negatur imprimis a *recentioribus*, qui contendunt subsistentiam divinam accipiendam esse eo sensu, quo a Patribus

[1] De Deo trino, disp. 3, q. 4, concl. 2.

et Conciliis accipitur, sc. sensu stricto; ita autem acceptam excludere omnem communicabilitatem et consequenter esse solummodo relativam. Iuxta hos igitur divinitas non subsistit nisi subsistentiis relativis paternitatis, filiationis, spirationis passivae; seu una simplicissima essentia divina est subsistens sub formali ratione tripliciter relativi.

« Si autem volumus res in se physice et metaphysice indistinctas conceptibus inadaequatis distinguere, possumus dicere *essentiam tribuere relationibus substantialitatem, relationes vero essentiae tribuere incommunicabilitatem* ». Pesch [1].

ARTICULUS III.

DE NOMINIBUS, NOTIONIBUS, CIRCUMINSESSIONE, ORDINE DIVINARUM PERSONARUM.

§ I. *De nominibus divinarum personarum.*

Nominibus propriis appellatur:

I. Prima persona: 1. *Pater*, eo, quod generat Filium. 2. *Ingenitus* (ὁ ἀγέννητος), quatenus est idem ac non productus seu non procedens ullo modo (ἀνάρχος). Quatenus enim idem est ac non procedens per generationem seu non generatus, non solum Patri, sed etiam Spiritui Sancto competit. 3. *Principium*, quia ab hac persona aliae personae procedunt, ipsa tamen non procedit, seu quia est principium sine principio.

II. Secunda persona: 1. *Filius*, eo, quod a Patre procedit per generationem. 2. *Verbum* (ὁ λόγος), quia procedit ex Patris intellectu ut huius terminus.

Ex eadem ratione a veteribus etiam *sermo* et *ratio* vocatur.

Nomine Filii exprimitur processionem esse substantialem: nomine Verbi eam esse spiritualem et quidem intellectualem.

3. *Imago* vel imago Patris, propterea quod vi processionis suae formaliter sumptae Patris est similis, imo viva ac perfectissima eius expressio.

Ex eadem ratione vocatur quoque *speculum* (Sap. 7, 26), *figura* (Hebr. 1, 3), *character* Patris.

[1] Tom. 2, n. 612.

III. Tertia persona: 1. *Spiritus Sanctus* ideo, quod procedit ex Patris et Filii voluntate sancta ut huius terminus. 2. *Amor* vel caritas, quia procedit ex Patris et Filii mutuo amore ut huius terminus. 3. *Donum*, eo, quod ex voluntatis inclinatione procedit.

Ex iisdem rationibus vocatur quoque Patris et Filii *osculum, complexus, nexus* vel *unio* vel *vinculum*.

§ II. *De notionibus divinarum personarum.*

1. Personarum divinarum notiones sunt quaedam notae peculiares, quibus eaedem personae ut ab invicem distinctae innotescunt. Evidens est tres proprietates personales, sc. paternitatem, filiationem, spirationem passivam, esse etiam notiones. Sed praeter has notiones sunt alia personarum distinctiva, sc. spiratio activa, ut distinctivum Patris ac Filii a Spiritu Sancto, et distinctivum Patris a Filio atque Spiritu Sancto, sc. esse sine ullo principio, quod innascibilitas vocatur.

2. Sunt igitur notiones quinque, sc. *innascibilitas* et *paternitas*, quae competunt soli Patri; *filiatio*, quae soli Filio competit; *spiratio activa*, quae Patri et Filio simul competit; *spiratio passiva*, quae competit soli Spiritui Sancto.

3. Innascibilitate Pater distinguitur a Filio et Spiritu Sancto simul, paternitate a Filio solo, spiratione activa a solo Spiritu Sancto. Filius filiatione distinguitur a Patre, spiratione activa a Spiritu Sancto. Spiritus Sanctus spiratione passiva distinguitur a Patre et Filio.

§ III. *De circuminsessione divinarum personarum.*

Circuminsessio divinarum personarum:

1. Est inexsistentia divinarum personarum in invicem.

Vocatur quoque, praesertim ab antiquis scholasticis, *circumincessio, circumcessio, circumpermeatio, circummeatio; a Graecis vocatur* περιχώρησις, *a Germanis:* gegenseitige Innewohnung, wechselseitige Durchdringung, Perichorese.

2. Valet: *a)* ratione unius divinae *naturae* tribus personis communis; — *b)* ratione originum divinarum *personarum*, quarum (originum) termini manent in principiis, ex quibus pro-

cedunt; — *c)* ratione *relationum*, quae nec esse nec cogitari possunt sine terminis suis.

3. A Christo commemoratur Io. 10, 38 dicente: *Pater in me est, et ego in Patre.* Quae verba non sunt intelligenda de Christi natura humana, sed de eius natura divina, cum ipse antea (v. 30.) dixerit: *Ego et Pater unum sumus*, et cum in tota hac oratione de sua agat divinitate.

§ IV. *De ordine divinarum personarum.*

Ordo in ss. Trinitate non est ordo respectu perfectionis, dignitatis, antiquitatis, cum tres personae sibi coaequales sint et coaeternae; sed est ordo respectu *processionis seu originis*, ratione cuius Pater est persona prima, Filius secunda, Spiritus Sanctus tertia. Qui quidem ordo et a Scriptura et ab Ecclesia inviolate servatur, unde et ab omnibus fidelibus servari debet.

CAPUT II.

De Proprietatibus SS. Trinitatis In Relatione Ad Extra.

ARTICULUS I.

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

I. Missio personarum divinarum *definitur:* processio unius personae ab alia vel aliis adiunctum habens effectum aliquem temporalem. Duo igitur ad missionem requiruntur: 1. *Processio aeterna* personae missae a persona vel personis mittentibus. Nam una persona ab alia mitti nequit nisi per intimationem voluntatis. Divina autem voluntas personae divinae intimari non potest nisi per communicationem eiusdem voluntatis et consequenter naturae, quacum voluntas realiter est idem. 2. *Effectus aliquis temporalis*, sc. novus quidam exsistendi modus in creaturis, qui personae missae competit.

II. Missio singulis divinis personis in hunc modum *competit:* Pater solummodo mittere potest, et quidem Filium ac

Spiritum Sanctum. Filius potest mitti et mittere: mitti quidem a Patre, mittere vero Spiritum Sanctum. Spiritus Sanctus tantummodo mitti potest, et quidem a Patre et a Filio. Omnes autem tres personae possunt venire.

Haec patent non solum ex ratione theologica, quae manifesta est, sed etiam ex s. Scriptura, e. g. Gal. 4, 4: *Misit Deus Filium suum.* — Io. 14, 26: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero* (εἶπον) *vobis.* — Io. 15, 26: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* — Io. 14, 23: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

III. Missio *distinguitur* duplex: externa seu visibilis et interna seu invisibilis. Externa habetur, si praesentia personae missae extrinsecus apparet; interna habetur, si praesentia personae missae intrinsecus latet. De utraque haec sunt dicenda:

1. Missio visibilis iterum distinguitur duplex: substantialis et repraesentativa.

a) In missione visibili substantiali persona divina et ea quidem secunda naturam visibilem, sc. humanam, secum hypostatice univit in eaque apparuit. Quae humanitas effecta quidem est a tota ss. Trinitate, sed terminatur ad solam personam Verbi, in qua unice subsistit.

b) In missione visibili repraesentativa apparet persona divina in aliquo signo materiali. Quod signum efficitur quidem a tribus personis divinis, sed significat eam solam personam, quae se ipsam per illud vult manifestare. Sic Spiritus Sanctus se manifestavit seu apparuit in specie columbae (Luc. 3, 22) et in specie linguarum ignitarum (Act. 2, 3).

2. Missio invisibilis fit animas interius sanctificando. Ea sola missio, qua anima formaliter sanctificatur, seu quae fit per gratiam sanctificantem vel saltem non sine gratia sanctificante, secundum communem theologorum opinionem haberi potest missio simpliciter dicta. Nam etiam in Scriptura Spiritus Sanctus tum solum mitti dicitur, cum datur ad inhabitandum in nobis ut in templo (Io. 14, 17. 23. — 1. Cor. 3, 16; 6, 19 etc.). — In omni missione invisibili et Filius et Spiritus Sanctus mittuntur et Pater venit, seu tres personae veniunt, ut quoad substantiam speciali modo in anima iusti inhabitent.

Scholion. 1. Missio visibilis iuxta opinionem communem semper ordinatur ad missionem invisibilem sive efficiendam sive manifestandam.

2. Theophaniae veteris Testamenti iuxta alios missiones visibiles appellari non possunt, cum non sint factae ad significandam inhabitationem, personae vero divinae non dicantur mitti, nisi veniant ad inhabitandum seu manendum; iuxta alios missiones visibiles vocari possunt, cum fuerint missionis Christi visibilis quaedam praelusiones.

ARTICULUS II.

DE APPROPRIATIONE.

Appropriatio: 1. *Definitur:* modus loquendi in re fundatus, quo certae proprietates vel operationes tribus personis communes uni personae prae aliis attribuuntur.

2. *Ideo fit,* ut ex intellectis proprietatibus essentialibus vel operationibus ducamur ad intelligendas proprietates personales. Id fieri potest, quia proprietates essentiales magis perspicuae sunt, quam proprietates personales, et quia illae cum his specialem habent similitudinem.

3. *Admitti debet,* cum fiat et in s. Scriptura et a ss. Patribus et in symbolis, e. g. in symbolo apostolico, in quo dicitur: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

4. Praecipue *fit hoc modo: a) Patri* appropriatur attributum omnipotentiae et opus creationis, quia Deus per omnipotentiam et creationem est principium mundi, Pater vero est principium aliarum personarum. — *b) Filio* appropriatur sapientia, quia ipse procedit ex Patris intellectu. — *c) Spiritui Sancto* appropriatur attributum bonitatis et opus sanctificationis, quod est opus bonitatis seu caritatis, quia Spiritus Sanctus procedit ex voluntate seu ex amore.

Praeterea *Patri* appropriatur causalitas efficiens, *Filio* exemplaris, *Spiritui Sancto* finalis. Rom 11, 36: *Ex ipso* (Patre), *et per ipsum* (Filium) *et in ipso* (εἰς αὐτόν = in ipsum, sc. Spiritum Sanctum) *sunt omnia*, ubi *ex* significare potest causam efficientem, *per* exemplarem, *in* finalem.

ARTICULUS III.

DE RELATIONE SS. TRINITATIS AD RATIONEM.

SS. Trinitas est omnino supra, non est contra rationem. Hinc:

THESIS I. **Ss. Trinitas est mysterium, et id quidem primi ordinis.**

Opponitur Raymundo Lullo, Abaelardo aliisque, qui docuerunt Trinitatem vel ratione sola vel saltem ipsi praelucente fide (Abaelardus) demonstrari posse; et Guenther, qui asseruit hominem ratione cognoscere posse et exsistentiam et essentiam Trinitatis, non vero modum, quo ipsa se habeat.

Explicatur: Mysterium primi ordinis seu stricte vel simpliciter dictum est veritas, quae 1. nobis innotescere non potest nisi ex revelatione; 2. facta revelatione a nobis non potest perspici ad instar veritatum naturalium. Ideo nec ratione positive cognoscitur ut possibilis et apprehenditur conceptibus tantummodo analogicis.

Probatur: **I. E Scriptura** (solummodo quoad 1.). Matth. 11, 27: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.* Luc. 10, 22. Io. 6, 46. 1. Cor. 2, 7-11. Unde patet ss. Trinitatem ex sola revelatione nobis innotescere.

II. E Traditione et mente Ecclesiae.

1. *E testimoniis ss. Patrum*, ut Gregorii Nysseni et Hieronymi.

Greg. Nyss.[1]: « Nullo sermone declarari potest ineffabilis profunditas mysterii, quomodo res eadem et numerabilis est et numerum fugit, et cernitur in distinctione et in monade intelligitur, et distinguitur hypostasi et non dirimitur subiecto (i. e. subiecta natura) ». — *Hieron.*[2]: « De mysterio Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiae ».

2. *E doctrina theologorum*, e. g. ss. Thomae et Bonaventurae.

Thom.[3]: « Qui... probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione, fidei... derogat ». — *Bonav.*[4]: « Nullo modo Trinitas personarum est

[1] Orat. catech. c. 3.
[2] Prooem. ad l. 18 in Is.
[3] 1. q. 32, a. 1, c.
[4] Tom. 1. pag. 76, concl. 1.

cognoscibilis per creaturam, rationabiliter (i. e. ratione) ascendendo a creatura in Deum ».

3. *E declarationibus Ecclesiae,* inter quas eminent:

a) Definitio implicita Vatic. sess. 3, de fide et ratione can. 1 (D. 1663): « Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s. ». Sed omnium veritatum revelatarum ss. Trinitas summa est et maxime abscondita.

b) Damnatio explicita propositionis 25. Rosmini (a. 1887. facta ab Inquisitoribus Generalibus approbante et confirmante Leone XIII): « Revelato mysterio ss. Trinitatis potest ipsius exsistentia demonstrari argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis, huiusmodi tamen, ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur atque fiat propositio scientifica sicut ceterae ».

III. **Ratione.** Creaturae Trinitatem nullatenus manifestant. Nam illae omnes sufficienter explicari possunt, quin Deus supponatur trinus.

Illustratur simili. Ex artificio cognoscitur quidem exsistentia et ars artificis, non vero eius vita personalis ac privata. Similiter ex mundo cognoscuntur quidem Dei exsistentia et attributa, non vero eius vita interna.

Scholion. Mysterium ss. Trinitatis: I. *Quoad existentiam* quibusdam rationibus congruis aliquatenus potest suaderi, e. g. his:

1. Deus est infinita *bonitas.* Sed bonitatis est se communicare. Ergo infinitae bonitatis est se communicare infinite; ideoque ad intra, cum ad extra hoc sit impossibile.

2. Deus est infinita *beatitudo.* Sed ad beatitudinem pertinet consortium personarum aequalium. Ergo ad beatitudinem infinitam pertinet consortium personarum infinitarum i. e. divinarum.

II. *Quoad essentiam* variis similibus aliqualiter potest illustrari. Quae quidem similia:

1. Per modum *vestigii* inveniuntur in creaturis irrationabilibus. Sunt e. g.:

a) Triangulum aequilaterale, vel triplex eiusdem spatii dimensio in latum, longum, altum.

b) Ignis, splendor, calor unius solis.

c) Radix, truncus, cacumen eiusdem arboris, vel radix, caulis, fructus eiusdem herbae.

2. Per modum imperfectae *imaginis* reperiuntur in creaturis rationabilibus. Sunt praesertim:

a) Memoria, intellectus, voluntas unius animae.

b) Duplex animae productio immanens. Anima enim se ipsam intelligendo producit accidentalem sui imaginem (verbum) et hac mediante sui amorem.

THESIS II. **Demonstrari nequit mysterium ss. Trinitatis esse contra rationem.**

Probatur: 1. *Ex ipsa huius mysterii revelatione.* Deus nihil potest revelare, quod sit contra rationem. Nam secus, quia est auctor non solum revelationis, sed etiam rationis, sibi ipsi posset contradicere. id quod implicat.

2. *Ex huius mysterii incomprehensibilitate.* Tunc solum esset contra rationem, si in se contineret contradictionem. Sed ut haec habeatur, requiruntur duo clari conceptus, qui invicem excludant. Qui quidem conceptus in hac materia sunt conceptus divinae naturae et divinarum personarum. Iam vero hi conceptus a mente nostra abstrahuntur e rebus creatis. Ergo non sunt nisi analogici atque obscuri, et ratio naturae ac personarum alio modo est in Deo atque a nobis apprehenditur.

Scholion I. Ad solvendas difficultates contra mysterium ss. Trinitatis motas imprimis haec animadvertantur:

I. *Generatim.* Principia metaphysica rem considerant sub una eademque abstracta ratione, nec quidquam enuntiant de ordine physico, praesertim supernaturali, utrum sc. in ipso ea, quae sub una ratione realiter sint distincta, sub alia ratione realiter idem esse possint necne.

II. *Speciatim.* 1. Unum excludit eam tantum pluralitatem, quacum non identificatur. 2. Unum non potest quidem esse aequale tribus sub eodem respectu, potest tamen sub diverso. 3. Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se tantummodo sub eodem respectu, sub quo sunt eadem uni tertio, non vero sub quocunque respectu.

Scholion II. Ad recte loquendum de mysterio ss. Trinitatis haec animadvertantur:

I. *Quoad genus.* Genus masculinum adiectivorum etc., si haec non sunt coniuncta cum substantivis, adhibetur ad signi-

ficandam personam; genus neutrum ad significandam naturam. — Pater et Filius sunt alius et alius; sunt unum; (non: sunt aliud et aliud; sunt unus; sed): sunt unus creator. Pater est unum suppositum.

II. *Quoad numerum.* 1. Verba et adiectiva *adiective* sumpta multiplicantur multiplicatis personis. — Pater et Filius et Spiritus Sanctus creaverunt; sunt aeterni. Pater et Filius spirant; sunt spirantes.

2. Substantiva et adiectiva *substantive* sumpta non multiplicantur nisi multiplicata forma seu ratione formali. — Pater, Filius, Spiritus Sanctus sunt Deus; sunt creator (quia una est virtus creativa). Pater et Filius sunt spirator (quia una est virtus spirativa). Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt aeternus (ὁ ἀΐδιος — der Ewige). Sed: Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt personae (quia sunt tres formae seu rationes formales, quibus personae qua tales constituuntur).

III. *Quoad nomina absoluta seu essentialia.* 1. Abstracta significant *solam* formam. Hinc de iis praedicandum est, quod tribus personis (ratione unius formae) est commune; praedicandum non est, quod uni vel duabus personis est proprium. — Divinitas creavit. Non: divinitas generat vel generatur, spirat vel spiratur.

2. Concreta significant formam *una cum persona*, unde adhiberi possunt ad significandas personas tres et duas et unam. — Deus (tres pers.) creat. Deus (duae pers.) spirat. Deus (una pers.) generat.

Sed id, quod de propositionibus affirmativis valet, non valet de negativis, quia subiecto id generaliter denegari nequit, quod ipsi sub aliquo respectu convenit. Hinc dicere non licet: Deus non generatur, licet hoc respectu Dei Patris sit verum.

IV. *Quoad nomina (substantiva) relativa seu personalia.* Haec nomina:

1. *De invicem* praedicari non possunt. — Non potest dici: Pater est Filius. Paternitas est filiatio.

2. *De nominibus absolutis* praedicari possunt, idque non solum de concretis, sed etiam de abstractis. — Deus est Pater. Divinitas est Pater.

Ratio est, quia haec praedicatio non est formalis, sed identica, i. e. significat solum in Deo essentiam et personam rea-

liter esse idem. Quae significatio ut appareat, quando abstracta comparantur cum abstractis, ad aequivocationem vitandam dicatur: Paternitas realiter idem est ac divinitas, vel realiter est divinitas.

De propositionibus negativis valent dicta sub III, 2.

V. *Quoad nomina formaliter exprimentia unitatem naturae et distinctionem personarum. Ne* dicatur:

1. Tres personae sunt unitae vel coniunctae. (Sed: Tres personae sunt unum).

2. Deus est triplex. (Sed: Deus est trinus).

3. Personae divinae sunt ab invicem differentes, discretae, diversae, divisae. (Sed: Personae divinae sunt ab invicem distinctae).

4. In Deo sunt tria individua. (Sed: In Deo sunt tria suppositа seu tres personae).

TRACTATUS

DE DEO CREATORE.

PARS PRIMA.

DE OPERATIONE DEI CIRCA MUNDUM.

CAPUT I.

De Mundi Creatione.

THESIS I. **Deus universum mundum creavit.**

De fide ex *symb. Apost.:* Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae; ex *symb. Nic.-Const.:* factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; ex *Lat. IV.* cap. 1.: Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus,... unum universorum principium, creator omnium, visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (D. 355); ex *Vatic.* sess. 3, cap. 1. (D. 1632) et can. 1-5. (D. 1648-1652).

Opponitur: 1. *Materialismo*, qui docet materiam, praeter quam sit nihil, improductam esse et consequenter aeternam. 2. *Pantheismo*, a quo mundus habetur vel emanatio vel evo-

lutio entis absoluti. 3. *Dualismo*, iuxta quem duo sunt mundi principia, alterum bonum, alterum malum, et malum est causa materiae saltem.

Explicatur: Dicitur in thesi: 1. *Deus*, i. e. unus et trinus seu ss. Trinitas; 2. *universum mundum*, i. e. omnia, quae praeter Deum exsistunt: mundum sc. et spiritualem et materialem, et hunc quidem quoad primum eius esse; 3. *creavit*, i. e. produxit ex nihilo, seu non produxit ex aliquo seu ex materia praeiacente; idque non actione transeunte, sed voluntate immanente.

Probatur: I. E Scriptura. Gen. 1, 1: *In principio creavit Deus coelum et terram.* — 1. *Coelum et terra* usu loquendi biblico certe significat totum mundum aspectabilem, et quidem probabilius materiam informem, cuius formatio deinde describitur; forsitan vero non solum mundum corporalem significat, sed etiam spiritualem, seu universitatem rerum praeter Deum exsistentium. 2. *Creavit* est idem ac « produxit ex nihilo ». Nam: *a)* Vox hebraica « *barah* » non quidem vi radicis, sed tamen ex usu loquendi biblico in forma primitiva activa (Kal) et in forma primitiva passiva (Niphal; non vero in forma intensiva vel iterativa « Piel »), in quibus quadragies septies occurrit, vel productionem ex nihilo significat, vel saltem operationem solius Dei propriam. — Nec usquam verbum illud invenitur coniunctum cum materia, ex qua, aut cum instrumento, per quod operatio illa perficiatur. — *b) Versibus sequentibus* enarratur coeli et terrae formatio; ergo hoc versu docetur eorum productio quoad esse seu creatio.

2. Mach. 7, 28 mater *repleta sapientia* (v. 21.) provocat ad hanc veritatem ut notam atque vulgatam, et filium suum sic alloquitur: *Peto, nate, ut aspicias ad coelum et terram et ad omnia, quae in eis sunt, et intelligas, quia ex nihilo* (ἐξ οὐκ ὄντων) *fecit illa Deus.*

Io. 1, 3: *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt.* — Si omnia facta sunt per Verbum, etiam prima rerum elementa per ipsum sunt facta. Sed prima elementa produci non possunt ex materia praeiacente, quia, si ex hac producerentur, non essent prima. Ergo producta sunt ex nihilo.

Col. 1, 16: *In ipso* (Filio Dei) *condita sunt universa in coelis et in terra: visibilia et invisibilia, sive throni, sive*

dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia per ipsum et in ipso (εἰς αὐτὸν) *creata sunt.* — Hoc loco Deo speciatim adscribitur productio invisibilium, sc. angelorum.

II. E Traditione. A ss. Patribus creatio mundi:

1. *Statuitur* ut dogma credendum. *Hermas* [1]: « Primum omnium crede, quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit, ex non ente ad esse omnia adducens ».

2. *Probatur* tam contra philosophos gentiles quam contra haereticos, gnosticos sc. et Manichaeos) idque: *a) Ex Dei omnipotentia.* S. Athan. [2]: « Si... Deus non est materiae auctor, sed res ex materia subiecta facit, imbecillis demonstratur ». — *b) Ex Dei independentia.* Lact. [3]: « Quia nefas est Deum aliquid aliunde mutuari, cum in ipso vel ex ipso sint omnia ». — *c) Ex Dei infinita perfectione.* Tertull. [4]: « Totum, quod est Deus, aufert nolens illum ex nihilo omnia fecisse ».

III. Ratione. Materia neque a se est, neque per emanationem vel evolutionem orta ex substantia divina; ergo a Deo ex nihilo est producta.

1. Materiam non esse *a se* sic demonstratur: *a)* Ens a se est *immutabile.* Nam omnia, quae habet, vi essentiae habet; et omnia, quae non habet, vi essentiae excludit. Sed materia est ens mutabile. Nam singula entia materialia α) reapse mutantur quoad locum, qualitatem, quantitatem, substantiam; β) non possunt esse immutabilia, quia eorum proprium est posse agere et pati. Sed in rebus materialibus neque agere neque pati potest esse sine mutatione. Si autem singula entia materialia sunt mutabilia, tota materia mutabilis est. Nam in praedicatis essentialibus valet conclusio a singulis ad totum.

b) Ens a se est *infinite perfectum.* Complectitur enim omnia, quae sunt de ratione entis, seu omnes perfectiones. Sed materia non est infinite perfecta. Nam omnia entia materialia, sive viventia sive non viventia, non solum multis perfectionibus carent, sed etiam eas perfectiones, quibus sunt dotatae, non possident modo infinite extenso seu perfecto.

---

[1] Pastor, mand. 1, 1.
[2] De incarn. Verbi, n. 2.
[3] Div. instit. l. 2, c. 8.
[4] Adv. Hermog. 1.

c) Ens a se est esse purum seu *actus purus;* est sine ulla potentialitate. Nam vi essentiae suae determinatum est, ut, quidquid possit habere, id actu habeat. Sed esse, quod materiae competit, est mixtum cum potentialitate. Nam α) *viventia* sunt in potentia ad esse et non esse, ad esse huius vel illius speciei, ad hanc vel illam individualitatem; β) *elementa* sunt in potentia tam ad innumerabiles compositiones chemicas et physicas, quam ad participandam vitam plantarum et animalium.

2. Materiam non esse ortam per emanationem *ex substantia divina* vel per evolutionem eiusdem ex eo apparet, quod, si ita orta esset, inter Deum et materiam non posset esse *discrimen essentiale.* Sed hoc re vera adest. Nam Deus est ens necessarium, infinitum, simplex, immutabile. Materia autem est contingens, limitata, composita, mutabilis.

Si igitur materia neque ens a se est neque ex substantia divina per emanationem vel evolutionem orta, a Deo ex nihilo producta sit necesse est, cum alius modus, quo exsistentiam acquisierit, esse non potest.

Thesis II. **Deus solus mundum creavit, isque solus creare potest.**

Pars prior est *de fide* ex verbis Lat. IV: unum universorum principium, creator omnium.

Probatur e Scriptura. Is. 44, 24: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.*

Altera pars duo potest significare: 1. potentiam creandi nulli creaturae competere posse ut causae (secundae) *principali;* 2. virtutem creandi nulli creaturae communicari posse ut causae *instrumentali* (physicae).

Prius est certum et probatur 1. *ex ss. Patribus,* quorum aliqui, ut *Athanasius, Basilius, Augustinus* divinitatem Filii et Spiritus Sancti eo probant, quod ipsis adscribitur creatio mundi; 2. ex pluribus *rationibus internis,* e. g. hac: Certe competere nequit creaturae utpote enti limitato potentia *illimitata* creandi *quaecunque* creabilia. Sed, si creandi potentia creaturae ut causae principali inesset, nihil haberetur, unde ad certum genus creabilium posset limitari. Nam nec limitari potest a *seipsa,* quia in actum deducitur sola voluntate, voluntas au-

tem velle potest omnia creabilia usque in indefinitum. Nec limitari potest ab *obiecto*, quia hoc est creabile, ratio vero creabilitatis aeque invenitur in omnibus creabilibus atque in uno. Nec limitari potest ex *modo*, quo obiectum attingitur, quia hic consistit in eo, quod ens producitur ex nihilo, sed difficultas, quae in hoc reperitur, eadem est respectu unius creabilis atque est respectu omnium creabilium, et ab eo, qui vel unum creat, iam superatur. Nec limitari potest a *concursu Dei* ad omnia creanda non praestando, quia hic integram relinquit potentiam et solum respicit actum. Ergo potentia creandi creaturae ut causae principali nullatenus potest competere.

Alterum communiter tenetur contra Petrum Lombardum et Suarez. Ratio est, quia ad causam instrumentalem pertinet habere proprium actum, quo dispositive agat ad producendum effectum causae principalis. Sed neque in Deum creantem dispositive potest agi, cum ipse sit actus purus, neque in obiectum creandum, cum hoc sit nihil.

THESIS III. **Deus mundum iuxta ideas suas creavit.**

Explicatur: Ideae divinae sunt divina essentia, in quantum ut imitabilis ad extra ab intellectu Dei cognoscitur. Itaque *obiective* spectatae sunt essentia divina, in quantum ad extra est imitabilis. *Subiective* spectatae sunt actus intellectus, quo Deus essentiam suam ut ad extra imitabilem cognoscit. Qui quidem actus cum sit unus, una quoque est idea divina subiective spectata. Pariter ideae divinae obiective spectatae realiter non sunt plures, sed una, eo, quod una est essentia divina. Sed quatenus haec una essentia ad extra imitabilis est modis pluribus et a Deo etiam sub ratione pluriformis huius imitabilitatis cognoscitur, praebet nobis fundamentum concipiendi plures ideas divinas.

Probatur: **I. E Scriptura.** Ps. 135, 5 de Deo dicitur: *Qui fecit coelos in intellectu.* — Prov. 3, 19: *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit coelos prudentia.* — Prov. 8, 22-30.

II. Ratione. Deus mundum creavit sciens et volens. Ille autem, qui sciens et volens producit, in mente habet ideas rerum, quas producit. Sed ens infinite perfectum has ideas non potest haurire aliunde, sed necessario habet ex se ipso.

Corollarium. Per ideas suas Deus est vel ideae divinae sunt causa mundi *exemplaris*. Causalitas divinarum idearum,

si hae obiective sumuntur, reducitur ad genus causae formalis externae; si subiective sumuntur, ad genus causae *efficientis*, ita tamen, ut ipsae non sint principium exsecutivum, sed directivum.

THESIS IV. **Deus mundum libere creavit.**

De fide ex Vatic. sess. 3, can. 5: « Si quis... Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum.., a. s. ».

Opponitur errori iam prius damnato, quem docuerunt Abaelardus (D. 316), Wiclif (D. 503), Hermes (D. 1487), Guenther (D. 1509).

Explicatur: 1. Deus ad creandum nec coactus est nec naturaliter determinatus. Itaque et a creando abstinere potuit et alia creare atque creavit. Fuit igitur in actu divino creante libertas a coactione et a necessitate, libertas contradictionis et specificationis.

2. Actus, quo Deus mundum creavit, entitative spectatus non liber, sed necessarius fuit vel potius est, siquidem ita spectatus est ipsa divina essentia. Sed connotatio termini creati actui illi necessaria non fuit, sed libera.

Probatur: I. **E Scriptura.** Ps. 113, p. 2, v. 3: *Deus autem noster in coelo: omnia, quaecunque voluit, fecit.* Sed si emphatice dicitur aliquem facere, quaecunque velit, absque dubio significatur eum libere agere. — Eph. 1, 11: *Qui* (Deus) *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* — Sed in eo, in quo non est libertas, neque consilium potest esse.

II. **Ratione.** Deus ad creandum 1. non potest esse coactus ab alio, quia et ipse independens est neque alius tum, cum creavit, fuit; 2. nec potest esse determinatus a se ipso, *a)* quia ipse ob infinitam suam perfectionem sibi sufficit neque ulla creatura indiget; — *b)* quia infinita eius voluntas creaturis nequit expleri; — *c)* quia, si ipse creaturas necessario vellet, intellectus eius aut iudicaret bona contingentia necessario esse prosequenda, et tunc erraret, aut iudicaret ea non esse necessario prosequenda, et tunc esset discrepantia inter divinum intellectum et voluntatem, id quod est impossibile.

THESIS V. **Deus mundum non ab aeterno, sed initio temporis creavit.**

De fide ex Lat. IV. et Vatic. sess. 3, cap. 1: « simul ab initio temporis ».

Explicatur: Ab omni aeternitate, in qua omnia tempora possibilia virtualiter contenta sunt, Deus voluit mundum certo tempore incipere esse. Vi cuius aeternae voluntatis mundus tempore illo determinato esse incepit, quo quidem tempore voluntas divina non induit nisi novam externam relationem. Hoc potuit fieri, quia Deus mundum non produxit actione transeunte, quae cum termino suo necessario coincidit, sed voluntate immanente, quae cum termino suo coincidat non est necesse.

Si enim e. g pater filio absenti praecipit, ut post annum revertatur domum, filii reditus, respectu cuius praeceptum patris est causa moralis, hoc praecepto est anno posterior. — Praeterea, si sculptor solo voluntatis imperio statuam posset producere, eodem imperio etiam efficere posset, ut tempore fieret postero.

Probatur: I. E Scriptura. Prov. 8, 22 Sapientia de se ipsa dicit: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.* — Eccli. 24, 5.

Io. 17, 5 Christus Deum Patrem sic alloquitur: *Et nunc clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* — Eph. 1, 4.

II. E Traditione. Aliqui ss. Patres ex eo, quod Verbum est aeternum, probarunt illud non esse creaturam, sed Deum. Persuasum igitur habuerunt mundum ab aeterno non esse, imo ne posse quidem esse.

S. Basilius[1]: « Nos autem eiusdem insaniae esse putamus tum creaturae aeternitatem adscribere tum creaturae dominum hac dignitate privare ». — *S. Cyrill. Alex.*[2]: « Quod omnino per creationem ad hoc, ut esset, deductum est, non potest intelligi a principio exstitisse ».

III. Ratione, qua ostenditur « mundum *hunc, qui* (qualis) *de facto exsistit,* non esse aeternum. Res enim anorganicae fuerunt ante plantas, plantae ante bestias, bestiae ante homines. Immo constat in hoc mundo esse universalem tendentiam omnia perducendi ad aequilibrium, in quo omnis motus cessat. Motus caloris transformatur ita in aliud genus motus, ut numquam totus motus caloricus restituatur. Differentiam caloris paulatim tolli experientia docet. Ergo motus, qui est in mundo, non est ab aeterno; secus iam diu finem habuisset, sicut sine

[1] Contra Eunomium, l. 2, n. 17.
[2] Thes. assert. 32.

dubio post certum tempus sol et alia sidera frigescent, et vita omnis organica desinet, deficientibus conditionibus vitae necessariis, quemadmodum tempus erat, quando conditiones vitae necessariae nondum aderant, ut geologia docet. Hae et similes considerationes ostendunt mundum, qui (qualis) nunc exsistit, non fuisse ab aeterno.

Sed alia quaestio est, nonne saltem ipsa *materia, ex qua mundus constat,* cum suis essentialibus proprietatibus sit ab aeterno. Fides negative respondet. At quid ratio? Certe nulla species argumenti adest, qua ostendatur materiam necessario esse ab aeterno, vel non posse esse temporalem. At numquid absolute materia ab aeterno exsistens repugnare dicenda est, si solam rationem naturalem consultamus?

De quaestione philosophica, num absolute potuerit aliqua creatura ab aeterno produci, non convenitur inter doctos.

S. Thomas ait [1]: „Mundum non semper fuisse sola fide tenetur et demonstrative probari non potest...“ *Alii* [2] autem censent posse evidenter probari repugnantiam mundi ab aeterno producti. Sed hucusque argumenta, quae ab aliis proponuntur, ab aliis reiiciuntur. Et re vera fallaciae hac in re ex imaginatione facile oriuntur. Ante omnia memoria tenendum est non agi de quaestione, num aeternitas stricte dicta mundo convenire possit. Hoc enim est absurdum, cum ens potentiale non possit esse actus purus. Ergo mundus aeternus nihil aliud dicit nisi durationem, quae ex parte ante non possit esse maior, quamvis continuo crescat ex parte post. Ergo omnia argumenta, quae petuntur ex conceptu infiniti, quo non potest esse maius, sunt sophismata, quae solvuntur hac distinctione: Duratio mundi est infinita.. ex parte ante, *conc.;* ex parte post, *nego.* Huic durationi ex parte, qua est infinita, nihil addi potest; sed potest aliquid addi ex parte post. Neque enim repugnat illud, quod est ex una tantum parte infinitum, ex altera parte crescere, vel unum tale infinitum altero esse maius. Unde tali infinito applicari nequit definitio: Illud, quo maius cogitari nequit (haec enim est definitio infiniti simpliciter), sed illa potius: Id, quod finitis acceptionibus exhauriri nequit.

Porro non est obliviscendum rerum creatarum cum omnibus suis motibus et successionibus in mente divina ideas semper exstitisse. Neque enim umquam Deus vidit creaturas et earum mutationes esse obiective impossibiles et postea factas esse possibiles, sed semper vidit mundum a se creari posse. Ergo mundus idealis cum omnibus suis mutationibus obiective in mente Dei ab aeterno exstitit, et consequenter mundus aeternus in suo con-

[1] 1, q. 46, a. 2.

[2] Alex. Hal., Alb. M., Bonav., Rich. a Mediavilla, Henricus Gandav., Toletus, Valentia, recentiores plurimi.

ceptu non potest involvere ullas contradictiones. Secus obiectiva possibilitas creationis aliquando incepisset, id quod videtur absurdum. Quia igitur omnia fere, quae obiiciuntur contra mundum in ordine reali ab aeterno exsistentem, obiici possunt contra mundum in ordine ideali ab aeterno exsistentem, patet multas obiectiones esse sophismata.

Ex altera vero parte fatendum est conceptum creaturae ab aeterno exsistentis tam alienum esse a nostro intellectu, ut vix non videatur esse contradictio in terminis. Ergo optimum est fateri nostram ignorantiam». Pesch [1]. De hac philosophica quaestione cf. Kampmann, tom. 2, pag. 98-102.

THESIS VI. **Deus mundum ad suam gloriam creavit.**

De fide ex Vatic. sess. 3, cap. 1: Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam (D. 1632). Et can. 5: Si quis... mundum ad Dei gloriam conditum esse negáverit, a. s. (D. 1652).

Explicatur: 1. Universus mundus creatus est, ut ab ipso divinae perfectiones manifestentur: potentia, sapientia, bonitas, magnitudo, pulchritudo etc., et a creaturis rationalibus insuper divina misericordia, iustitia etc. In hac divinarum perfectionum manifestatione consistit gloria Dei externa *obiectiva*.

2. Entia rationalia non solum creata sunt, ut perfectiones divinas manifestent, sed etiam, ut ex mundo easdem divinas perfectiones cognoscant atque glorificent, aliis verbis: ut Deum agnoscant, laudent, diligant etc. Quae si in hac vita neglexerint, in altera vita poenas luendo cogentur glorificare divinam iustitiam. In hac Dei notitia et glorificatione consistit gloria Dei externa *formalis*.

3. Itaque gloria Dei externa est finis totius mundi; est finis, ad quem omnia creata (aut mediate, ut irrationalia, aut immediate, ut rationalia) referuntur, quique non refertur ad aliquid aliud seu ad finem superiorem. Unde recte vocatur finis totalis vel primarius vel ultimus.

4. Hac Dei gloria inferius est bonum creaturarum, etiam rationalium, quod quidem bonum a Deo creante etiam est intentum. Hic igitur finis creationis non est nisi secundarius, id quod omnino tenendum est contra *Cartesium*, *Hermes*, *Guen-*

[1] Tom. 3, n. 61-63.

ther aliosque, qui docuerunt felicitatem creaturarum rationalium esse finem creationis ultimum. Ex eo enim, quod Vatic. dicit Deum creaturas condidisse, ut per bona iis praestita manifestaret suam perfectionem, concludendum est bonum creaturarum, etiam rationalium, respectu gloriae divinae habere rationem medii, ultimum igitur creaturarum finem esse gloriam Dei.

Sub 1. et 2. dictum est: gloria Dei *externa*, quia haec distinguenda est a gloria Dei *interna*, quae pariter est duplex, sc. obiectiva et formalis. Gloria Dei interna *obiectiva* est perfectio divinae naturae dignissimae, quae ab omnibus cognoscatur et aestimetur. Gloria Dei interna *formalis* est cognitio et aestimatio, quam Deus habet de se ipso.

Gloriam Dei esse finem mundi et eum quidem ultimum:

Probatur: I. E Scriptura. Prov. 16, 4: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum* (hebr. aut « ad propositum suum implendum » aut « ad sibi respondendum). — His verbis certe, ut in Vulgata leguntur, indicatur Deo gloriam suam potiorem esse felicitate creaturarum.

Is. 43, 7: *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum et feci eum.*

Rom. 11, 36: *Ex ipso et per ipsum et in ipso* (εἰς αὐτόν) *sunt omnia. Ipsi gloria in saecula.* — Deut. 26, 18. 19. — His locis gloria Dei simpliciter exhibetur ut finis. Sed finis simpliciter dictus ille est, qui non habet rationem medii. Is vero est finis ultimus.

Apoc. 1, 8: *Ego sum* Α *et* Ω, *principium et finis, dicit Dominus Deus.* Item 21, 6; 22, 13. — Quibus locis Deus ita vocatur finis, ut vocatur principium. Sed Deus est principium omnium idque primum. Ergo etiam est finis totalis atque primarius.

II. E Traditione. Ss. Patres docent Deum creatione intendisse, ut ipse ab omnibus agnosceretur.

Athenagoras[1]: « Liquet Deum propter se ipsum et elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem et sapientiam adductum fuisse, ut hominem faceret ». — *S. Theophilus Antioch.*[2]: « Omnia Deus fecit ex non exstantibus

[1] De resurr. mort. n. 12.
[2] Ad Autolyc. l. 1, c. 4.

ad esse, ut per opera cognosceretur et innotesceret magnitudo eius ». — *Tertullianus* [1]: « Deus unus est, qui totam molem istam... de nihilo expressit in ornamentum maiestatis suae ». — *Origenes* [2]: « Cum in principio crearet ea, quae creare voluit, nullam habuit aliam creandi causam nisi propter se ipsum, i. e. bonitatem suam ».

III. Ratione, qua intelligitur:

1. Gloriam Dei externam esse *aliquem* mundi finem. Nam: *a) Ex naturali aptitudine* opificii patefit, ad quid sit destinatum. Sed homo naturaliter aptus est ad Deum ex mundo cognoscendum et ad eum glorificandum. Ergo ad hoc est destinatus. — *b) A recto ordine* exigitur, ut Deus a creaturis rationalibus ut summum bonum, auctor ipsarum et totius mundi, eximius benefactor etc. agnoscatur et glorificetur. Ergo ipsae ad hoc sunt destinatae.

2. Gloriam Dei externam esse finem mundi *ultimum*. Nam: *a)* Gloria Dei externa est bonum *ad Deum pertinens*. Sed Deus est tantae excellentiae, ut bonum ad ipsum pertinens, etiamsi eum intrinsecus non afficiat, pluris sit aestimandum, quam omne bonum omnium creaturarum. Ergo Deus, in quo voluntas inordinata esse nequit, potius intendere debet gloriam suam, quam bonum creaturarum. Ergo gloria Dei est finis mundi primarius, bonum vero creaturarum est finis tantummodo secundarius. — *b)* Finis mundi ultimus attingatur oportet *ab omnibus* creaturis. Sed a damnatis felicitas seu proprium bonum nequaquam obtinetur. Ergo bonum creaturarum finis mundi ultimus esse non potest.

Corollaria. I. Ex iis, quae thesibus I. III. VI. sunt dicta, intelligitur Deum esse causam mundi et *efficientem et exemplarem et finalem.*

II. Quamvis Deus bonum creaturarum ultimatim velit propter gloriam suam, nihilominus eius amor erga creaturas rationales est verus *amor benevolentiae.*

Nam: 1. Deus creaturas non diligit ut medium, per quod sibi paret aliquod commodum, cum econtra commodum integre obveniat creaturis Deo libere servientibus.

2. Nos proximum diligere debemus propter Deum. Nihilominus haec dilectio proximi est amor benevolentiae.

---

[1] Apol. c. 17.

[2] De princip. l. 2, c. 9, n. 6.

III. Probabilior est sententia, quae tenet, si non essent creaturae rationales, mundum carere *complemento necessario*, cum tunc esset quasi liber, qui a nullo legeretur, vel vox, quae a nullo audiretur.

Thesis VII. **Deus mundum meliorem creare potuit ac potest, quam reapse creavit.**

Est *fidei proximum*, utpote collectum ex Dei omnipotentia et libertate.

Opponitur optimismo, quem docuerunt Leibnitz et alii, iuxta quos hic mundus tam bonus est, ut melior a Deo creari non possit.

Explicatur: Et singula a Deo creata et complexus eorum seu mundus in entitate sua tam perfecta non sunt, ut perfectiora ab ipso non potuerint vel possint produci.

Probatur ratione et experientia. 1. Mundus in entitate optimus *repugnat*, quia mundus est creatura, et omnis creatura est finita, unde alia perfectior esse potest quam ipsa.

2. Experientia constat in mundo esse multa *mala*. Quae quidem mala secum ferunt multa bona. Tamen haec bona vel alia aequivalentia, imo maiora, aliis viis possunt obtineri.

Corollarium. Hic mundus, quamquam in entitate non est optimus, qui esse potest, tamen 1. est *valde bonus*, iuxta Gen. 1, 31: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*; 2. est quoque *optimus*, qui esse potest, *ratione principalium generum rerum*, quatenus mundus a Deo creatus continet omnia genera principalia rerum, quae esse possunt, sc. anorganica, vegetativa, sensitiva, rationalia, intellectualia, et ea quidem ad pulcherrimam harmoniam coniuncta.

Praeterea hic mundus, ut per se patet, optimus est ratione causae *efficientis*, quae est ipse Deus, et ratione *operationis* eiusdem, quae fuit productio ex nihilo; deinde ratione causae *exemplaris*, quae sunt ipsae ideae divinae, et ratione *convenientiae* cum iisdem, quatenus mundus eas ideas optime exprimit, quas Deus per mundum exprimi vult, cum divina operatio in exsecutione nequeat deficere; postremo ratione causae *finalis*, quae est gloria Dei, et ratione *ordinationis* ad eandem, quatenus Deus sapientissimus optima elegit media ad eum gradum gloriae obtinendum, quem obtinere libere vult. Sed his rationibus optimus esset etiam *quilibet alius* mundus.

APPENDIX.

De cosmogonia Mosaica (Hexaëmero).

I. A creatione stricte dicta hucusque tractata et Gen. 1, 1 commemorata, quae respectu mundi corporei vocari solet creatio prima, distinguitur eiusdem mundi corporei formatio, quae etiam creatio secunda vocatur, quaeque refertur Gen. 1, 2-27 et respectu solius terrae Sap. 11, 18, ubi legitur: (Omnipotens manus Dei) *creavit orbem terrarum ex materia invisa* (ἐξ ἀμόρφου ὕλης).

II. Formatio mundi corporei iuxta Gen. facta est per certos sex dies. Attamen:

1. Non est obligatio hos dies intelligendi dies, qui proprie vereque dicuntur, i. e. spatia viginti quatuor horarum. Sed potius licet tenere dies illos esse *spatia incertae durationis*, ideoque etiam magna aetatum intervalla.

Nam: *a)* Vocabulum hebr. *iom* saepe significat tempus indeterminatum. Dicitur enim e. g. Gen. 2, 2: *Deus... requievit die septimo ab universo opere, quod patraverat.* Sed hic septimus dies adhuc durat. — Pariter legitur Gen. 2, 4. 5: *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus coelum et terram et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.* Hoc igitur loco dicitur coelum atque terram et herbam creata esse in die (numero singulari), cum immediate ante dictum sit coelum et terram creata esse in principio (1, 1), et herbam die tertio (1, 11-13). — Insuper legitur Os. 8, 11. 13: *Ecce dies veniunt, et mittam famem in terram... In die illa* etc.

b) Voces « vespere et mane » (hebr. ereb-boker) α) in Scriptura numquam significant diem noctemque seu diem viginti quatuor horarum seu civilem, uti eam significat vox graeca νυχθήμερον; — β) respectu trium primorum dierum stricte intelligi nequeunt, quia sol tunc nondum erat vel potius nondum erat aspectabilis; — γ) iuxta etymologiam intelligi possunt

de statu informi et formato rerum diebus respondentibus formatarum.

2. Neque prohibitum est sentire tempora illa, quae dies vocantur, a Moyse *non eodem* ordine narrari, quo reapse invicem successerunt. Nam modus narrandi ab eo adhibitus potest esse is vel ei similis, qui proprius est prophetarum. Sed hi cum initio alicuius eventus non raro statim coniungunt totum eius progressum usque ad finem, quamvis hic progressus eiusdem vel etiam posterioris temporis sit, quam eventus, qui postea narratur.

III. Ex variis theoriis, quae de cosmogonia Mosaica excogitatae sunt, hodie multis ea imprimis placet, quae vocatur theoria *concordantiae idealis*. Secundum hanc theoriam Deus materiam ex nihilo productam paulatim ac per longa temporis spatia per vires ei inditas formavit. Quae quidem totius materiae formationes a Moyse narrantur, quatenus vel unice vel praecipue saltem ad terram spectant. Ab eodem revocantur ad sex summa capita et ita ordinantur, ut elucescat triplex rerum confusarum distinctio (lucis, aëris et aquae, terrae) et (eodem ordine) triplex rerum distinctarum ornatus. In re autem non fuit idem formationum ordo; alii verbis: ordo temporis spatiorum, quibus formationes illae re vera factae sunt, non respondet ordini sex dierum, qui a Moyse ponitur. Sex illae formationes et subsequens earum finis sunt exemplar hebdomadis humanae.

Probabile saltem est sex illas formationes Adae per visionem esse ostensas, fortasse mediante luce sexies apparente.

Aliae praecipuae theoriae sunt: 1. Theoria stricte *litteralis*, iuxta quam mundus formatus est sex diebus naturalibus vicenarum quaternarum horarum immediate successivis et eo ordine, qui verbis Scripturae obvie intellectis describitur. Vocatur quoque *diluvialis*, propterea quod ab eius patronis asseritur omnia, quae ex parte geologiae ac palaeontologiae contra eam afferuntur, per diluvium posse explicari. — Hanc theoriam olim statuebant longe plurimi ss. Patrum et scholasticorum, nunc adhuc recipiunt pauci, in his *Bosizio*, S. I. et *Bern. Iungmann*, prof. Lovaniensis.

« Verum recentiorum theologorum sententia multo communior est hexaemeron non posse explicari ita, ut mundus per spatium viginti quatuor horarum sexies repetitum formatus dicatur. Rationes autem, quibus id evincatur, hae afferuntur praecipuae: *a) Astronomia* docet sidera, cum iuxta theoriam, quae a Kantio et Laplacio dicitur, ex legibus gravitationis et repulsionis a statu summi ardoris et extenuationis paulatim frigefacta et

condensata certo inter se ordine collocarentur, ingentia, ut fierent, temporis spatia requisivisse nec nisi temporibus inter se dissitis facta fuisse. — *b) Geologia* docet, quemadmodum ex eius cortice recte considerato efficiatur, tellurem non secus ac reliqua sidera aliquando massam liquefactam vi earundem legum ad eum, in quo nunc est, statum adduci non potuisse nisi paulatim et per diuturnas temporum periodos. — *c) Palaeontologia* docet, priusquam terra nostra ad praesentem suum statum perveniret, fuisse, quae hodiedum in profundis eius stratis cernuntur fossilia, haud pauca viventia, alia porro plantarum et animalium genera diu periisse, antequam alia orirentur, fuisse denique iam animalia aliqua, priusquam plantarum creatio absolveretur». Einig [1].

2. Theoriae *concordantiae chronologicae*, iuxta quam mundus per vires ei inditas formatus est sex longis temporis periodis, quae ad amussim respondent sex illis diebus, quae a Moyse statuuntur. — Hanc theoriam amplexi sunt aliqui physici Francogallici, in his *De Luc* et *Cuvier*. — Sed haec perfecta hexaëmeri cum periodis geologicis harmonia cum iis, quae ex scientiis naturalibus certa sunt, non potest componi.

3. Theoria *restructionis*, iuxta quam in Genesi a versu 3. non narratur formatio mundi, sed reformatio terrae, postquam haec ex statu ordinato in statum inordinatum seu devastatum devenit. Fautores praecipui huius theoriae fuerunt *W. Buckland*, geologus Anglicus, et Card. *Wiseman*. — Nonnulli, ut *Kurtz*, addiderunt vastationis illius causam fuisse angelos malos, quibus utpote corporibus aethereis praeditis ante eorum lapsum terra ad habitandum fuerit tradita. — Sed haec theoria et positivis argumentis prorsus est destituta nec difficultatibus geologicis et palaeontologicis omni ex parte satisfacit.

4. Theoria *idealis* (ab aliquibus vocata *allegorica*), iuxta quam dies Genesiaci nequaquam designant certa temporis spatia: nec dies nec longas periodos sive diebus hexaemeri respondentes, sive non respondentes, sed tantummodo ordinem, quo diversa rerum genera mente concipiantur. Secundum hanc theoriam teneri potest omnia eodem momento, quo ex nihilo sint producta, ad totam suam perfectionem esse adducta, seu mundi creationem et formationem uno instanti contigisse. Et hoc quidem statuerunt ut probabile saltem *Clemens Alex., Origenes, s. Athanasius, s. Augustinus, Isidorus Hispalensis, Cassiodorus, b. Albertus M., s. Thomas*, qui scribit [2]: Haec opinio «est rationabilior... plus mihi placet». Et [3]: «Est subtilior, magis ab irrisione infidelium Scripturam defendens..., neutra (sc. neque haec neque literalis) a veritate fidei discordat». — Iuxta hos igitur Patres et theologos Moyses, ut populum rudem instrueret, per partes divisit ea, quae simul facta sunt, vel etiam, ut s. Augustinus opinatus est, allusit ad cognitionem angelorum de rebus creatis habitam, tam naturalem (*vespere*, unde cognitio vespertina vocatur), quam supernaturalem, quae est per visionem beatifi-

[1] De Deo creante, p. 2, th. 8.

[2] 2. Sent. d. 12, q. 1, a. 2, c.

[3] De potentia, q. 4, a. 2, c. in: Secundum vero alios etc.

cam (*mane*, unde vocatur cognitio matutina). — Theoria idealis ut nimis libera nunc satis communiter reiicitur: eam tamen defenderunt *Michelis*, *Baltzer* aliique pauci, e quibus *Clifford*, episcopus Cliftoniensis, sensit hexaemeron non esse narrationem historicam, sed *carmen liturgicum*, quo singulis hebdomadis diebus singula opera Dei laudentur.

IV. Explicatio hexaëmeri, quam theoria concordantiae idealis vel quaevis alia fundata theoria exhibet, menti Ecclesiae non adversatur. Nam cosmogonia Mosaica ad ea pertinet, quae sunt quidem revelata, ideoque firmiter sunt credenda, tamen revelata sunt *per accidens*, i. e. solummodo propter historicum vel logicum nexum, quem habent cum veritatibus fidei vel morum, quae unicae revelatae sunt per se. Respectu quidem veritatum fidei et morum seu veritatum per se revelatarum iuxta Trid. s. 4. (D. 668) nemini licet interpretari s. Scripturam contra eum sensum, quem tenuit et tenet s. mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem sensum Patrum. Respectu tamen veritatum solummodo per accidens revelatarum illa constituta non sunt. Praeterea circa eas veritates unanimis consensus Patrum vel etiam theologorum aut non exsistit, aut, si exsistit, ortum non habet ex persuasione fidei, sed aliunde, praesertim ex scientiae naturalis placitis, in quibus consentiunt. Itaque authentica expositio hexaëmeri neutiquam habetur, et optimum eius commentarium sunt ipsa opera, de quibus ibidem agitur, rite inspecta.

Praeterea Ecclesia numquam condemnavit theoriam idealem, quae liberior est, quam theoria concordantiae idealis vel alia similis. Neque ullo tempore patroni illius a cordatis catholicis habiti sunt utcumque in fide errantes.

CAPUT II.

De Creaturarum Conservatione, Motione, Gubernatione.

ARTICULUS I.

DE CONSERVATIONE CREATURARUM.

THESIS. **Deus omnes creaturas positive et directe conservat.**

Est *de fide* (testibus e. g. Heinrich et Jungmann) vel saltem ad fidem pertinens ex ordinario magisterio Ecclesiae; insuper

innuitur saltem a Vaticano dicente: Universa vero, quae condidit Deus, providentia sua tuetur. (Tueri etiam idem est atque conservare).

Opponitur Deistis, qui censent peracta creatione omnem Dei actionem in creaturas cessasse.

Explicatur: 1. Deus creaturas conservat non solum negative, i. e. eas non destruendo, nec solum indirecte, i. e. et creaturas, quae eas destruere nituntur, arcendo et conditiones ponendo, quae ad earum conservationem necessariae sunt, sed positive et directe, i. e. iis ipsum esse, quod creatione acceperunt, communicare pergendo.

2. Conservatio igitur et creatio in eo conveniunt, quod utraque ipsum esse communicat; in eo differunt, quod creatio dat esse, quod prius non erat, conservatio hoc esse communicare continuat, unde merito vocatur continuata creatio. Proinde solius Dei est res, sicut creare, ita et conservare.

3. Hac Dei conservatione omnes creaturae continuo indigent, idque quoad omnes suas partes et potentias, ita ut, si positiva haec divina actio aliquo momento intermitteretur, eodem momento redigerentur in nihilum. Unde patet etiam annihilare, quippe quod nihil aliud sit nisi ab actione conservante abstinere, soli Deo competere. Sed quamvis Deus omnia annihilare possit, nihil tamen annihilat testante Ecclesiaste (3, 14): *Didici, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum.* Neque id postulant sive naturae rerum sive perfectiones divinae. E contrario tam bonitas quam potentia divina magis elucescunt ex creaturarum conservatione, quam ex earum annihilatione.

Probatur: **I. E Scriptura.** Sap. 1, 7: *Spiritus* (πνεῦμα) *Domini replevit orbem terrarum, et hoc* (sc. Spiritus), *quod continet omnia* (τὸ συνέχον τὰ πάντα), *scientiam habet vocis* (i. e. omnium rerum).

Sap. 11, 26: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu* (Deus) *voluisses?*

Col. 1, 17: *Omnia in ipso* (Dei Filio) *constant* (τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε).

Hebr. 1, 3: *Qui* (Filius Dei), *cum sit splendor gloriae... portansque omnia* (φέρων τε τὰ πάντα) *verbo virtutis suae... sedet ad dexteram maiestatis in excelsis.*

II. **E Traditione**, nimirum ex unanimi doctrina ss. Patrum, ut Chrysostomi, Augustini, Gregorii M.

Chrys. [1]: « Non solum creaturam produxit Deus, sed productam etiam fovet et conservat; sive tu angelos dixeris sive archangelos sive coelestes virtutes sive visibilia omnia sive invisibilia, haec illius providentia feruntur, ac, si eius efficientia destituantur, abeunt, diffluunt ac pereunt ». — *Aug.* [2]: « Sic credamus vel, si possumus, etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut, si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intercidant ». — *Greg. M.* [3]: « Cuncta ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu teneret ».

III. **Ratione.** 1. *Ex parte Dei.* Deo competit dominium creaturarum, quo perfectius cogitari nequit. Sed dominium Dei perfectius est, si creaturae quovis momento quoad totum esse ab eo dependent, quam est, si independenter ab eo in esse possunt permanere. — Aut sic: Perfectum Dei dominium postulat, ut creatura independenter a Dei voluntate permanere non possit, sed potius in nihilum redigatur, si Deus velit. Sed creatura in nihilum rediqi non potest actione Dei positiva, cum nihilum terminus positivae actionis esse nequeat, ergo tantummodo actionis positivae omissione. Ergo in nihilum non redigitur seu conservatur positiva actione.

2. *Ex parte creaturarum.* Creatura est ens *ab alio*, i. e. ens, cuius tota ratio essendi non est in eo ipso, sed in causa ipsius, sc. Deo. Ergo etiam tota ratio permanendi in esse est in ipsius causa, et quidem in eadem, in qua est ratio essendi, sc. in Deo. — Vel sic: Creatura essentialiter est ens *contingens*. Ergo quovis momento ex se est indifferens ad esse et ad non esse. Ergo quovis momento indiget causa et ea quidem prima, ut actu sit.

Illustratur similibus: Corpus opacum, quia ex se non habet lucem, cessante illuminatione extrinsecus accepta statim tenebrescit. — Cogitatio mentis statim cessat, quando cessat positivus mentis influxus, propterea quod ipsum cogitationis esse ab hoc influxu pendet. — In omni materia, quae aptitudinem retinendi aliquam formam ex se non habet, sed a causa externa recipit, haec forma solummodo tam diu manet, quam diu manet externae causae influxus, id quod apparet e. g. in massa aliqua liquida rotundata. Plerumque quidem materia formam, quam a causa creata accepit, ex se retinet. Sed

[1] Contra Anom. hom. 12, n. 4.
[2] De Gen. ad lit. l. 5, c. 20, n. 40.
[3] Moral. l. 16, c. 37, n. 45.

hoc tantummodo fit, quia ad eam retinendam ex se iam est apta. Id videtur e. g. in saxo, quod iam, antequam ex ipso statua sculpitur, aptum est ad eam formam retinendam, quam a sculptore accipit. Et inde quidem evenit, ut forma non quoad perdurare, sed solummodo quoad fieri a sculptore dependeat.

ARTICULUS II.

DE MOTIONE CREATURARUM.

§ 1. *De eo, quod circa divinam motionem creaturarum communiter admittitur.*

THESIS. **Deus omnibus creaturarum actibus physice et immediate cooperatur, et sine hac cooperatione nulla creatura potest agere.**

Est *sententia communis* theologorum, si excipias Durandum, qui cum Pelagianis opinatus est Deum actibus creaturarum non cooperari nisi mediate, i. e. quatenus eis vires agendi dederit et conservet.

Probatur: I. E Scriptura, in qua:

1. *Deus exhibetur ut omnia in nobis operans.* Act. 17, 28: *In ipso enim vivimus et movemur* (κινούμεθα) *et sumus.*

1 Cor. 12, 6: *Idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus* (ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν).

2. *Aliqui creaturarum effectus immediate tribuuntur Deo,* in his:

a) Formatio corporis humani. Iob 10, 10: *Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.* — 2. Mach. 7, 22. 23: (Mater) *dixit ad eos* (filios): ... *singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim mundi creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem* (ὁ πλάσας ἀνθρώπου γένεσιν καὶ πάντων ἐξευρὼν γένεσιν), *et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet.*

b) Origo nubium et pluviae, foeni et herbae. Ps. 146, 8: *Qui operit coelum nubibus et parat terrae pluviam. Qui producit in montibus foenum et herbam servituti hominum.* (verba: « et herbam servituti hominum » in textu hebr. desunt). — Matth. 6, 30: *Si autem foenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicae fidei?*

II. **E Traditione.** Ss. Patres hanc doctrinam disertis verbis proposuerunt; eandem ss. Hieronymus et Augustinus potissimum contra Pelagianos defenderunt.

Theoph. Antioch. [1]: « Dei est operari et nutrire et providere et gubernare et vivificare omnia ». — *Orig.* [2]: « Semper videmus Deum operari, et nullum sabbatum est, in quo Deus non operetur, in quo non producat solem suum super bonos et malos et pluat super iustos et iniustos ». — *Chrysost.* [3]: « Cum solem orientem, lunae cursum, stagna, fontes, fluvios, naturae vim in seminibus, in nostris et brutorum corporibus progressum, cetera omnia, quibus hoc totum constat, vides, intellige perpetuam Patris operationem ». — *Hieron.* [4]: « Si in singulis rebus, quas gerimus, Dei utendum est adiutorio, ergo et calamum temperare ad scribendum et temperatum pumice terere manumque aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, ridere et cetera huiusmodi, nisi Deus iuverit, non poterimus? Iuxta meum sensum non posse perspicuum est ». — *Aug.* [5]: « Quomodo negare poterimus Deum etiam nunc operari cuncta, quae creantur, cum Dominus dicat: Pater meus usque nunc operatur?... Nam si Deus nunc ista non format, quomodo legitur: Priusquam te formarem in utero, novi te? Quomodo etiam accipi potest: Quodsi foenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestis?... Cum enim dixit: vestit, non de praeterita ordinatione, sed de praesenti operatione satis indicat ».

III. **Ratione.** Si creaturae sine cooperatione Dei possent agere, haec sequerentur absurda:

1. *Respectu agentium. a)* Agentia creata eorumque potentiae penderent quidem a Deo, quatenus sunt *entia*, non vero, quatenus sunt agentia, cum alioquin agere semper sequatur esse. — *b)* Agentia creata et eorum potentiae indigerent operatione Dei ad *permanendum*, non ad agendum, quamvis per hoc physice perficiantur.

2. *Respectu actuum.* Cum actus creaturarum, quatenus sunt actus, ex una parte sint entia physica, ex altera parte sint entia contingentia, exsisterent entia physica et contingentia, quae ab ente necessario, i. e. Deo directe non penderent, id quod adversatur perfectissimo atque absoluto Dei dominio.

3. *Respectu effectuum.* Res contingentes a creaturis factae indigerent quidem directa Dei actione, postquam factae sunt,

[1] Ad Autolyc. l. 1, n. 4.
[2] Hom. 23. in Num. n. 4.
[3] Hom. 37. in Io. 5, 17.
[4] Dial. contra Pelag. l. 1, n. 2.
[5] Epist. 205. ad Consent. c. 2, n. 17.

ut sc. permanerent, non vero eadem Dei actione tum indigerent, cum subsunt virtuti causae creatae, ut sc. fierent. Et tamen etiam eo momento, quo fiunt, sunt entia per participationem. Et tamen alioquin nihil a causa tum magis dependere potest, postquam factum est, quam cum fit.

Explicatur: 1. Ab omnibus admittitur cooperatio divina ad verbum accepta, i. e. ea operatio, quae nihil sola, sed omnia cum creatura facit, quae igitur potentiam creaturae ad agendum neque determinat neque inclinat, sed immediate attingit creaturae actum. Eadem operatio nunc communiter vocatur *concursus simultaneus*.

2. Concursus simultaneus requiritur ad *omnes omnium creaturarum actus*, tam internos quam externos, etiam ad actus quomodocumque (sive physice sive moraliter) defectivos vel malos, in quantum sunt actus, non in quantum sunt defectivi vel mali.

3. Concursus simultaneus est *physicus*, quo Deus ut causa efficiens in actum creaturae physice influit eumque una cum creatura physice producit. Non est moralis, quo Deus illustrando, suadendo, praecipiendo etc. ad agendum alliciat.

4. Concursus simultaneus non prohibet, quominus creatura agens sit *vera causa* eorum, quae agit; nec prohibet, quominus creatura libera libere agat. Tamen Deus est causa actuum creaturarum prima, creatura est causa tantummodo *secunda*. A sola causa secunda proveniunt actuum defectus, quatenus sunt defectus.

5. Totus igitur creaturae actus fit a Deo, et totus fit a creatura. Itaque tam Deus quam creatura est eius causa totalis totalitate effectus, ut dicitur, sed causa partialis partialitate causae. Nam nec Deus nec creatura eam virtutem exercet, quae sola sufficiat respondenti effectui producendo. — Neque implicat unam eandemque operationem fieri a duobus agentibus diversi ordinis et sub diversa ratione, sc. a causa prima sub universalissima ratione entis (qua talis) et a causa secunda sub ratione particulari. Causa enim secunda per se non valet ad rationem entis qua talis, sed tantummodo ad aliquid particulare; et inde potissimum est, quod ipsa divino concursu indiget.

6. Ob eandem rationem, et etiam, quia causa prima altior ac nobilior est, quam causa secunda et sine hac agere potest,

non vero e converso, operatio creaturae *principalius* est a causa prima, quam a causa secunda.

§ II. *De eo, quod circa divinam motionem creaturarum controvertitur.*

Controvertitur utrum praeter concursum simultaneum admittendus sit concursus praevius necne; et, si admittitur, utrum sit physica praedeterminatio an tantummodo praemotio indifferens.

Punctum I. **Sententia, quae tenet praedeterminationem physicam.**

Explicatio sententiae.

Praeter concursum simultaneum omnino admittendus est concursus praevius. Hic per se solus causam secundam nondum agentem ad agendum physice movet. Vocatur praemotio physica vel planius praedeterminatio physica. De ea praecipui Thomistae, ut Gonet, Goudin, Gotti, Billuart haec statuunt:

1. *Quaeris creatura* ad unumquemque actum, quem ponit, a Deo physice movetur per virtutem quandam, ut dicit Gonet, fluentem ac transeuntem. Haec motio praedeterminatio physica omnino apte vocatur. Est enim *a) determinatio.* Nam 2) non movet ad agendum in genere, sed ad agendum praecise hoc vel illud; — 3) non est a creatura, quae agit, sed a Deo. — Est quoque *b) praedeterminatio, non condeterminatio.* Nam actum creaturae natura et causalitate praecedit. — Est denique *c) physica.* Nam non moraliter movet, sed physice. Imo ita movet, ut metaphysice repugnet creaturam non praedeterminatam agere et creaturam praedeterminatam non agere.

2. Etiam *creatura libera* ad quemlibet actum liberum a Deo physice praedeterminatur, priusquam ipsa se determinat. Sed haec praedeterminatio *a)* non solum non tollit vel laedit *libertatem,* sed eam potius constituit. Deus enim non solum praedeterminat ad actum, sed etiam ad actus libertatem, i. e. ita creaturam liberam ad actum liberum prius determinat, ut ipsa deinde se ad eundem actum determinet, et ei potentiam ad oppositum servat. Ita vero creaturae libertas plene et perfecte salvatur. Nam liberi arbitrii non est nisi se ipsum deter-

minare et cum positione actus coniungere potentiam ad oppositum. — Eadem praedeterminatio *b)* non efficit ullum *defectum moralem*, qui in actu libero forte invenitur, sed eum permittit tantum, solummodo efficiendo entitatem actus physicam.

Argumenta a ratione petita, quae pro hac sententia afferri solent.

Unice fere ea argumenta hic proponuntur, quae spectant ad liberas creaturarum voluntates, quia hae speciales afferunt difficultates.

A. Argumenta directa, quae desumuntur:

1. *Ex parte Dei, primae causae omnium.* Deus est causa prima omnino omnium. Eiusmodi autem causa non est per hoc, quod praestat concursum simultaneum, sed solummodo tum, si etiam praestat concursum praevium, et quidem eum, qui physice praedeterminat, idque omnia, etiam liberas creaturarum voluntates.

Nam: 1. Si Deus liberam creaturae voluntatem physice non praedeterminaret, sed ei solummodo praestaret concursum simultaneum, re vera esset *aliquid*, sc. libera voluntatis creatae determinatio, quod Deus non causaret, sed exspectaret; esset aliquid, quod Deus non determinaret, sed quo Deus cooperans seu concursus Dei determinaretur; esset aliquid, quod Deo non subiaceret, sed cui Dei concursus subiaceret.

2. Exercitium libertatis seu libera voluntatis determinatio est *perfectio*. Si enim facultas se libere determinandi est perfectio, certe etiam ipsa libera determinatio perfectio est. Nam illa est potentia, haec est actus. Potentia autem est propter actum et ab actu perficitur. Imo exercitium libertatis seu libertas actualis est perfectio (*simpliciter*) *simplex*. Nam etiam in Deo reperitur. Quis autem negabit eiusmodi perfectionem esse effectam et participatam ab eo, qui est liber per essentiam et fons cuiusvis perfectionis, sc. a Deo? Iam vero Deus causa efficiens liberae determinationis voluntatis creatae non est per concursum simultaneum. Hic enim non confertur, ut voluntatem determinet, sed ut concurrat cum voluntate se ipsam determinante. Ex se igitur indifferens est circa modum, quo voluntas se ipsam determinat. Sed ab indifferenti qua tali non magis procedere potest aliquid determinatum, quam a frigido calidum,

ab albo nigrum. Ergo admittendum est Deum esse causam efficientem creatae libertatis actualis per praemotionem suam physicam.

Alios modos, qui excogitati sunt ad salvandam in Deo rationem causae primae respectu liberae determinationis creaturarum, *non sufficere* a Billuart sic fere ostenditur[1]:

1. Non sufficit dicere liberam voluntatis determinationem esse a Deo, quatenus Deus creaturae *liberum arbitrium dederit*. Nam: *a)* Si ideo determinatio libera voluntatis est a Deo, quia liberum arbitrium seu posse se libere determinare divinitus est datum, libera determinatio illius ad bonum nulla ratione magis est a Deo, quam ea, quae est ad malum, cum liberum arbitrium sit indifferens ad utrumque. — *b)* Manent omnia inconvenientia supra proposita.

2. Nec sufficit dicere liberam determinationem voluntatis causari a Deo *per motiones morales*. Nam: *a)* Motio moralis proprie loquendo non determinat voluntatem, sed eam allicit tantum, ut ipsa se determinet, ita ut posita quacunque motione morali voluntas semper maneat indifferens et indeterminata, quia illa non agit intra voluntatem eam immutando et faciente de nolente volentem, sed ipsi dumtaxat proponit obiectum alliciens ad amandum; nullum vero obiectum praeter Deum clare visum infallibiliter rapit et determinat voluntatem nostram, quia, cum nullum obiectum praeter Deum clare visum proponatur ut ex omni parte bonum, semper remanet indifferentia iudicii ex parte intellectus et consequenter indeterminatio ex parte voluntatis, quae ideo aliunde est determinanda. — *b)* Deus est causa consensus nostri in bonum potiori titulo, quam angelus et homo. Sed angelus et homo concurrunt ad consensum nostrum in bonum per motiones morales. Ergo hae non sufficiunt in Deo.

3. Nec sufficit dicere determinationem voluntatis liberam etiam *per concursum simultaneum* efficienter esse a Deo. Nam: *a)* Concursus simultaneus offertur indifferenter ad consensum vel dissensum: ergo non est determinativus voluntatis ad consensum potius, quam ad dissensum. — *b)* Concursus simultaneus non influit in voluntatem ut ipsam determinet, sed in effectum tantum. Sunt enim voluntas divina et humana iuxta adversarios duae causae partiales, sicut duo trahentes navim, quarum una non influit in alteram. Agit igitur Deus per concursum simultaneum, cum nos agimus: sed non facit, ut faciamus; neque est causa consensus nostri, ut liber est, et ut a voluntate nostra procedit; attamen sub hac ratione est aliquid reale. — *c)* Si Deus per concursum simultaneum est causa consensus nostri in bonum, est quoque causa consensus nostri in malum. Nam eodem modo concurrit ad utrumque. — *d)* Si libera determinatio voluntatis nostrae a Deo est, quia Deus nobis cooperatur, eodem iure cooperatio Dei dici potest esse a nobis. Nam etiam nos cooperamur Deo, nec ipse sine nobis actum nostrum liberum potest efficere. — *e)* Si Deus per concursum simultaneum causat libe-

[1] Curs. theol. diss. 8, art. 8, § 4.

ram determinationem voluntatis nostrae, concursus iam non est simultaneus tantum, sed etiam praevius. Nam omnis causa suo effectu est prior, natura saltem atque causalitate.

4. Nec sufficit dicere cum congruistis determinationem voluntatis liberam esse a Deo, quatenus Deus liberam creaturam *ponat in iis circumstantiis*, in quibus per scientiam mediam praevideat eam concursui oblato indifferenti esse consensuram, cum et possit eam constituere in iis circumstantiis in quibus eam non esse consensuram praevideat. Nam evidentissime patet neque iuxta hunc dicendi modum Deum causare determinationem illam liberam. Eo enim non secus, ac modis praecedentibus, dicitur Deum offerre concursum indifferentem et exspectare atque explorare creaturae consensum. Unde patet Deum hunc consensum non causare. Nec res mutatur eo, quod Deus praevidens consensum creaturae conditionate esse futurum, si ipse in certis circumstantiis cum ea concurrat, absolute decernit in iisdem circumstantiis concurrere, ut consensum illum obtineat.

Nam: *a)* Inde solummodo efficitur Deum velle consensum a creatura poni, non vero Deum ipsum consensum causare. Qui enim circumstantias ponit, ex eo praecise nihil amplius agit, quam agunt ipsae circumstantiae. Sed circumstantiae determinationem voluntatis non causant, seu non faciunt, ut creatura libera velit, id quod per se patet, et ab adversariis conceditur. — *b)* Tunc dici debet Deum etiam esse causam dissensus creaturae, si eam constituat in iis circumstantiis, in quibus eam non consensuram esse praevideat. — *c)* Iuxta hunc dicendi modum infallibilis efficacia divinae operationis non oritur ex omnipotentia Dei, sed ex eius praescientia; neque Deus de voluntatibus hominum id facit, quod vult, sed id quod praevidet eas velle; nec potest salva libertate efficere, ut voluntas consentiat in iis circumstantiis, in quibus eam non esse consensuram praevidet.

II. *Ex parte voluntatis creatae ex se indifferentis.* Quod est indifferens ad agendum et non agendum, non agit, nisi per aliquid aliud ad agendum determinatur. Nam illud sub eo respectu, sub quo indifferens est, est ens potentiale seu potentia. Principium autem agendi non est potentia, sed actus. Iam vero voluntas creata libera ex se est principium indifferens atque indeterminatum. Ergo non potest ponere actum determinatum, nisi ad eum ponendum ab alio ente determinatur. Ens autem, quod voluntatem creatam liberam ad aliquid potest determinare, aliud esse non potest nisi illud, quod voluntatem liberam creavit, sc. Deus.

Non valet dicere 1. voluntatem propter eminentiam suae virtutis et ob suam libertatem ac perfectum dominium, quod in suos actus habeat, esse *virtualiter in actu*, ac proinde non indigere, ut determinetur et ab agente sibi externo in actum reducatur. Nam quamvis voluntas ratione suae libertatis habeat dominium in suos actus, hoc tamen dominium non est su-

premum atque absolutum, sed dependens a dominio Dei eique subordinatum. Ergo licet voluntas creata in suo ordine, sc. ut liberum *secundum* et movens *secundum* se possit determinare et in actum reducere, id tamen praestare nequit nisi ut *subordinatum* libero *primo* ac moventi *primo*, proindeque nisi dependenter ab eius motione et determinatione.

Nec valet dicere 2. hoc solummodo probare voluntatem creatam a Deo debere praemoveri ad volendum *bonum in communi*, unde se ipsam moveat ad volendum bonum particulare. Nam a principio indifferenti, ut est indifferens, non potest exire actus determinatus, nisi illud prius determinatur ab alio. Sed posito amore boni in communi voluntas adhuc manet indifferens ad volendum hoc vel illud bonum in particulari; ergo adhuc indiget divina determinatione. — Ita fere Gonet[1].

B. Argumenta indirecta, quae feruntur contra difficultates ortas:

1. *Ex parte libertatis creaturarum.* Praedeterminatio Dei physica nec tollit nec laedit voluntatis libertatem, sed eam potius perficit. Ad quod intelligendum haec potissimum animadvertantur:

1. Nos quidem positive intelligere nequimus fieri posse, ut libertas sub physica praedeterminatione maneat illaesa. Sed hoc inde est, quod ex una parte conceptum praederminationis, sicut omnes nostros conceptus, haurimus ex creaturis, et quod ex altera parte praedeterminatio a creatura fieri non potest, quin libertatem praedeterminati tollat. Sed hic conceptus noster non univoce, sed tantum *analogice* ad Deum est applicandus, et mente tenendum est voluntatem increatam atque infinitam et eam quidem solam voluntates creatas ac finitas sibique omnino subiectas ita posse praedeterminare, ut hae etiam determinent se ipsas.

2. *In intellectu* creaturae liberae sub praedeterminatione Dei manet *indifferentia obiectiva iudicii.* Nam praedeterminatio natura prius, quam voluntatem applicat ad eligendum vel respuendum aliquod bonum particulare, intellectum applicat ad iudicandum hoc bonum ut particulare non necessarium esse, sed indifferens, et consequenter tam eligi posse quam respui. Voluntas autem est appetitus rationalis, sequens cognitionem intellectus et directionem rationis. Ergo fieri non potest, ut in obiectum, quod ipsi ab intellectu proponitur ut indifferens, feratur necessario.

[1] Manuale Thom., tom. 1, tract. 4, cap. 4, § 3.

3. *In voluntate* creaturae libera sub praedeterminatione Dei illaesa manet *potentia* non ponendi eum actum, quem reapse ponit, vel ponendi alium, etiam illi contrarium; manet potentia divinae motioni resistendi, eam frustandi, eam abiiciendi. Sicut voluntas creata, dum se ad actum determinat, sibi non aufert potentiam eundem actum non ponendi vel ponendi alium, ita praedeterminatio Dei physica voluntati creaturae eandem potentiam non aufert. Imo, sicut voluntas creata, cum libere se determinat, ratione dominii, quod in suos actus habet, libertatem suam non solum non laedit, sed potius perficit, reducendo sc. actum primum ad actum secundum, ita Deus, cum liberam voluntatem creatam ad aliquem actum praedeterminat, ratione supremi dominii, quod in eam habet, libertatem eius non destruit vel impedit, sed fovet et promovet, causando non solum actum, sed etiam actus libertatem.

4. Quamvis voluntas creata praedeterminationi divinae resistere possit, numquam tamen ei resistere vult et consequenter numquam ei resistit. Nulla autem voluntas praedeterminationi umquam vult resistere, quia haec *infallibiliter confert voluntatem non resistendi*. In hoc enim consistit efficacia divinae praedeterminationis, quod ex una quidem parte potentiam ipsi resistendi non tollit, ex altera autem parte invictam confert voluntatem non resistendi.

Neque haec invicem repugnant, ad quod demonstrandum a Contenson [1] afferuntur aliqua exempla, v. g. haec: «Qui *delectatione* alicuius obiecti capitur, posset quidem, si vellet, illud relinquere et repudiare; verum infallibiliter praevalente maiori delectatione numquam relinquet, numquam repudiabit; voluptas enim sine necessitate quidem, sed indeclinabiliter voluntatem rapit... Quis autem mentis compos asserat voluntatem delectatione illectam amittere libertatem?... Atqui non debemus denegare Deo, centro deliciarum solidarum, vim illam, quam habent lenocinia in creaturis dispersa. Si *amor* sit dominus voluntatis, si nihil difficile, nihil impossibile amanti... Deus, quem discipulus amoris amorem essentialem vocat... infirmior erit passione amoris creati? Pater et creator voluntatis, qui Deus est, in voluntatem non poterit, quod valet amor, filius voluntatis? Absit! Absurdum est. Quae enim potest esse ratio, cur effectus consequens libertatem non laedat libertatem, quantumvis sit incompossibilis cum actu opposito, et quod causa ipsius libertatis, quae illam ponit et causat, tollat illam?... In omnibus paene officiis libera quidem, sed tamen *infallibili propensione* homines de-

[1] Tom. 1, lib. 2, diss. 4, cap. 2, speculatio 3.

terminantur; et pauca sunt, in quibus appareat instabilis et versatilis indifferentia. . Sane, si ad certas actiones semper et infallibiliter movet ratio, movet cupiditas, movet consuetudo, cur ipsum gratia (vel praemotio divina) non poterit».

Divina voluntas, dicit idem Contenson, non minus fortiter, quam suaviter omnia disponit, et voluntatibus impressionem, vigorem simul et suavitatem infundit, et miris ac veris modis mutationem in iis operatur, ita ut hae, quidquid voluntas divina statuerit et prout statuerit, semper exsequantur ita temperato cum libertate decreto, ut nec decreto libertas nec libertati quidquam deroget immutabilis decreti efficacia.

5. Cum creatura obligata ad actum ponendum respectiva *praemotione caret*, habet libertatem expeditam ad illum actum ponendum. Nam non caret aliquo ex praerequisitis, ut agere possit, sed sola applicatione, qua agat. Et hac quidem caret *ex propria culpa*, quia sc. libere se applicat actui cum actu debito incompossibili.

Cum enim omissio voluntaria nequeat esse sine actu aliquo, planum est hominem, qui omittit aliquid imperatum, non debere se excusare ob denegationem praemotionis ad hoc imperatum faciendum. Deus enim respondentem praemotionem non denegat nisi ob voluntarium impedimentum ipsius hominis, qui se reddit impotentem ad praeceptum implendum per hoc, quod ponit actum liberum, qui cum auxilio ad praeceptum implendum necessario est insociabilis.

II. *Ex parte defectuum moralium.*

1. *Materiale peccati* materialiter acceptum est aliquid bonum, non quidem bonitate morali, sed tamen physica. Nam materiale peccati secundum esse suum physicum non cadit in rationem esse moralis, sed esse physici, quod bonitate physica bonum est, unde et potest esse obiectum divinae voluntatis.

2. Etiamsi materiale peccati cum formali peccati seu cum malitia morali *inseparabiliter sit connexum*, id quod in iis est, quae intrinsecus sunt mala, v. g. in odio in Deum habito, tamen Deus materiale peccati directe praedefinire potest, quin indirecte praedefiniat formale peccati. Nam quamvis duo ab invicem nullatenus possint separari, tamen non sequitur causam, quae unum attingit, non posse non attingere alterum. Hoc patet in bono, quod, licet identificetur cum vero, imo in eo transcendentaliter includatur, ita tamen attingitur a voluntate, ut verum nullo modo ab ea attingatur, siquidem non verum est obiectum voluntatis, sed bonum. Ergo similiter, licet in actibus intrinsecus malis, v. g. in odio Dei, materiale peccati non possit

realiter separari a formali peccati seu a malitia morali, eo ipso tamen, quod haec malitia non continetur intra obiectum adaequatum divinae voluntatis, bene tamen eius materiale, potest Deus praedefinitione sua attingere materiale illius peccati, quin ullo modo, etiam indirecte attingat eius formale. — Ita Gonet [1].

Confirmatur simili: Cum anima movet et applicat tibiam curvam ad gressum, hunc quidem efficit quatenus est physicus et vitalis, non vero efficit, quatenus est obliquus et defectuosus. Sed enim defectus claudicationis totaliter reducitur in tibiam curvam, quia nimirum ad obiectum adaequatum potentiae locomotivae non spectat.

Punctum II. **Sententia, quae tenet praemotionem physicam indifferentem.**

Aliqui theologi, in his praesertim *Schceben*, statuunt divinam actionem physicam, quae creaturam libere agentem non determinet ad agendum praecise hoc vel illud, sed quae eam solummodo moveat ad agendum in genere. Haec igitur Dei actio non potest vocari praederminatio physica, vocari tamen potest praemotio physica et aptissime vocatur praemotio physica indifferens.

Dicit Scheeben [2]: «Speziell auf den geschaffenen Willen angewandt, ergibt diese Lehre, dass Gott auch in seiner Selbstbewegung als solcher nicht bloss durch einen concursus simultaneus mitwirkt, auch nicht bloss durch die Erweckung der dem actus deliberatus vorausgehenden actus indeliberati den Willen zu den Freiheitsakten bewegt; dass vielmehr der Wille in seiner Selbstbewegung ebenso unmittelbar, wie in seinen nicht frei gewollten Affekten, von einem auf das Zustandekommen derselben gerichtetem Impulse Gottes abhängig ist, und folglich auch zu dieser nicht bloss moralisch durch die Anziehung des Objektes (ex parte obiecti), sondern physisch durch Anstoss der Willenskraft selbst (ex parte potentiae) bewegt wird, und auch dieses nicht bloss insofern, als die natürliche habituelle Neigung des Willens zur Selbstbewegung von Gott verursacht wird, sondern durch einen aktuellen auf die wirkliche Bethätigung der Selbstbewegung als solcher gerichteten Anstoss.

Dass diese Anschauung, soweit sie hier entwickelt, die des h. Thomas ist, kann nicht bezweifelt werden... Näher spricht sich der h. Thomas selbst über dar Wesen dieser applicatio nicht aus, wie er überhaupt vermeidet, *Begriffe von so zarter Natur zu pressen*. Seine Schüler haben später versucht, diese applicatio in irgend eine besondere Kategorie unterzubringen, was aber durchaus nicht geht und den Begriff, statt klarer, nur verwickelter

[1] Manuale Thom., tom. 1, tract. 4, cap. 4, § 7.
[2] 2. Band, 3. Buch, n. 59-61.

macht. Eher war es angebracht, und durch die Umstände gefordert, dass die Thomisten gegenüber der molinistischen Auffassung der motio den Ausdruck für dieselbe zu verschärfen suchten, indem sie dieselbe als eine *praemotio* und beim Willen als praemotio *physica* bezeichneten. Dagegen konnte es nur zur Verdunkelung des thomistischen Begriffes dienen, wenn die Gegner der Molinisten aus der prae*motio* nun auch eine prae*determinatio* machten, weil dieser Ausdruck bei den Willensakten nicht bloss einen Anstoss zu denselben, sondern eine vorhergehende *innere und bindende Bestimmung* des Willens nach einer bestimmtens Richtung hin andeutet.

Punctum III. Sententia, quae tenet concursum tantum simultaneum.

Explicatio sententiae.

Modus, quo Deus per concursum simultaneum, et eum quidem solum, in actus creaturarum influat, ab aliquibus, ut Hontheim [1], sic fere explicatur:

1. Concursus active consideratus, qui simpliciter dici solet concursus, est voluntas seu volitio divina, cuius terminus est actus creaturae. Deus enim concurrit per solam suam voluntatem, siquidem in ipso agere et velle sunt idem.

2. Volitio illa divina seu actus ille divinae voluntatis respectu actuum *liberorum* creaturarum duplex distinguitur: alter, quo Deus hypothetice decernit, ut hic vel ille actus creaturae sit, prout liberum huius arbitrium ad hunc vel illum actum se determinet; alter, quo Deus absolute decernit, ut existat hic determinatus actus. Prior actus divinus vocatur concursus *oblatus* vel praeparatus vel concursus in actu primo. Alter actus divinus vocatur concursus *collatus* vel exhibitus vel exercitus vel praestitus vel actualis vel concursus in actu secundo.

3. « Concursu *oblato* nihil in voluntate efficitur, sed per eum voluntas habet Deum sibi assistentem et paratum ad iuvandum, ut libere agere *possit*, quod voluerit, in quantum vi illius assistentiae voluntas, ubi primum se ad quamcunque partem determinaverit, simul collatum sibi habet Dei concursum actualem et determinatum ». Hontheim [2].

Itaque concursus oblatus est *hypotheticus* tantum et *indeterminatus* seu indifferens ad multa. Ex altera autem parte

[1] Institutiones Theodicaeae, n. 867. sqq.
[2] Ib. n. 868.

necessarius est, ut voluntas ad agendum sit expedita. Si enim ad aliquem actum non offertur, voluntas ad illam partem se determinare non potest.

4. Si voluntas creata sub concursu oblato constituta se ad unum libere determinat, *eo ipso* habet concursum Dei iam non indifferentem ud multa seu oblatum, sed determinatum ad unum seu *collatum*. Libera igitur determinatio voluntatis est *conditio* necessario requisita, ut concursus indifferens ad multa reddatur determinatus ad unum. Est tamen conditio non praevia, sed *simultanea*. Nam concursus et determinatio liberi arbitrii necessario sunt absolute simul, cum secus aut libertas creaturae aut absolutum dominium Dei non posset stare.

« At, inquies, difficile intelligitur, quomodo Deus concursum suum ita offerre possit, ut libertatis creatae determinatio per modum conditionis simultaneae unum ex iis reddat actualiter exhibitum. Rem difficilem esse concedo. Sed demonstrari nequit eam repugnare; idque in re praesenti satis nobis esse debet. Si theologum agere volumus, ipsa obscuritas rei est argumentum veritatis. Nam modum, quo Deus voluntates nostras salva libertate concursu suo moveat, magnum mysterium esse semper visum est ss. Patribus et Doctoribus Recordemur igitur Deum esse *omnipotentem*. Neque dubitemus, quin infinita Dei potentia oblationem concursus perfectissime naturae voluntatis liberae accommodare possit, ut ea vere in virtute Dei simultanee concurrentis agat, neque tamen ab eo ad unum praedeterminetur, sed ipsa intacta libertate se determinet. Ad eandem Dei omnipotentiam in hac difficultate provocat s. Thomas [1].... At, instabis, illa ad omnipotentiam Dei provocatio difficultatem bene solveret, si determinatio creaturae liberae ab aeterno fieret. Sed nunc, cum determinatio sit in tempore, non modica manet dubitatio. Nimirum concursus Dei collatus aeternus est. Quemadmodum enim Deus aeterno voluntatis suae actu mundum creat, sic etiam aeterno eiusdem voluntatis actu ad operationes liberas creaturarum concurrit. Quomodo igitur libera creaturae determinatio, quae in tempore fit, unum ex concursibus, qui aeterno decreto offeruntur, ab aeterno actualiter exhibitum reddere potest? Ad hunc nodum expediendum consideratio *aeternitatis* Dei conducit. Cum Deus aeternus sit, ad omnia tempora ex aequo se habet; itaque non aliter se habet ad res futuras, ac si ante omne tempus in ipsa aeternitate ei realiter praesentes fuissent. Propterea determinatione creaturae futura concursus Dei determinatur non solum tempore futuro, sed absolute ab aeterno. Hic ad aeternitatem Dei recursus frequentissimus est apud s. Thomam ». Hontheim [2].

5. Creatura *necessario* agens transit in actum, qui a natura et consequenter a Deo, naturae conditore et conservatore,

[1] 1. 2, q. 10, a. 4, ad 1.
[2] Ib. n. 870. et 871.

ei est praedeterminatus. Illi igitur non offertur concursus indeterminatus seu indifferens ad multa, sed *determinatus ad unum*, qui semper et necessario eo ipso, quod ipsa pro naturali sua determinatione ad actum transit, fit collatus.

Argumenta a ratione petita, quae pro hac sententia solent afferri.

I. Ut integra sit et in creaturis summa a Deo dependentia et in Deo ratio primi moventis atque supremi domini, non est necessaria sive praedeterminatio sive praemotio indifferens immediata.

Nam 1. *Dependentia* illa salvatur, si haec tria statuuntur, quae ab omnibus statui solent:

a) Deus creaturis et esse et virtutem agendi largitus est ac iugiter conservat.

b) Deus creaturas etiam ad agendum applicat, idque mediantibus causis secundis, quae ipsi perfecte sunt subiectae et virtute ab ipso recepta agunt.

« Nimirum creatura, ut agat, applicatione indiget. Ita... ad intellectionem requiritur, ut per sensus et phantasiam species intelligibilis ad mentem derivetur; ad volendum requiritur, ut intellectu obiectum proponatur. Iam vero omnis haec applicatio a causis secundis fit, ut subsunt Deo tamquam agenti principali et primo motori immobili. Et ideo Deus creaturam ad agendum applicat, in quantum causae secundae in virtute Dei eam applicant. Ita sine ullo dubio applicationem causarum, quae fit per Deum, intellexit s. Thomas ». Hontheim[1].

c) Deus creaturis ad agendum offert et confert suum concursum.

2. Cum Deus haec tria praestet, recto quodam sensu dici potest eum creaturas physice *movere*, imo *praemovere*. Nam eas praemovet non solum creatione, conservatione, applicatione virtutis agendi, quae concursus mediatus dici possunt, sed etiam concursu immediato: et quidem realiter concursu oblato, quatenus hic est quaedam motio in actu primo; secundum quendam vero modum intelligendi concursu collato. Ita intacta inviolataque manent haec duo principia: « Causa prima movet causam secundam », et « motio moventis natura et causalitate praecedit motum mobilis ».

[1] Instit. Theod., n. 969, IX, 3.

Etiam s. Thomas dicit Deum creaturas ad agendum movere et quatenus eis virtutem agendi sit largitus et quatenus eas ad agendum applicet per causas secundas. Scribit enim quoad prius[1]: « Sciendum namque est, quod actionis alicuius rei res alia potest dici causa multipliciter. Uno modo, quia tribuit ei virtutem operandi, sicut dicitur... quod generans *movet* grave et leve, in quantum dat virtutem, per quam consequitur talis motus: et hoc modo Deus agit omnes actiones naturae, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt ». Et quoad motum intellectus speciatim[2]: « Respondeo dicendum, quod, sicut in motibus corporalibus movens dicitur, quod dat formam, quae est principium motus, ita dicitur movere intellectum, quod causat formam, quae est principium intellectualis operationis, quae dicitur motus intellectus. Operationis autem intellectus est duplex principium in intelligente: unum scilicet, quod est ipsa virtus intellectualis, quod quidem principium est etiam in intelligente in potentia (i. e. in eo, qui est intelligens in potentia). Aliud autem est principium intelligendi in actu, scilicet similitudo rei intellectae in intelligente. Dicitur ergo aliquid movere intellectum, *sive det intelligenti virtutem ad intelligendum*, sive imprimat ei similitudinem rei intellectae ».

Quoad alterum, sc. applicationem ad agendum per causas secundas, scribit[3]: « Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis. Artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem dicitur esse causa illius actionis, sicut coquus decoctionis, quae est per ignem. Sed omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter et primo a Deo. Applicantur enim virtutes operativae ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animae. Primum autem principium utriusque motus est Deus; est enim primum movens omnino immobile... Et similiter omnis motus voluntatis, quo applicantur aliquae virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primum appetibile et in primum volentem. Omnis igitur operatio debet attribui Deo sicut primo et principali agenti ».

Non solum autem largitio virtutis agendi et applicatio ad agendum per causas secundas facta cum s. Thoma recte dici potest motio, sed etiam « concursus simultaneus est vera motio creaturae. Is enim vere movet, qui actionem alterius causat; concursus autem Dei vere efficit actionem creaturae ». Hontheim[4].

3. Etiam perfectum manet *supremum et absolutum dominium*, quod Deo in omnem creaturam competit. Nam hoc postulat quidem, ut Deus quemlibet actum creaturae impedire possit, id quod praestare potest denegando concursum; non autem postulat, ut quemlibet actum secundum ex quolibet actu

[1] De potentia, q. 3, a. 7, c.
[2] q. 105, a. 3, c.
[3] Contra gentes, l. 3, c. 67, n. 4.
[4] Ib. n. 969, IX, 4.

primo immediate possit educere, v. g. ut ex lapide actum intelligendi educat. « Et sic non requiritur, ut Deus ex quolibet actu primo voluntatis *immediate* quemlibet actum secundum libere educere possit. Nihilominus concedimus ad perfectionem Dei pertinere, ut quemlibet actum liberum *honestum* infallibiliter ab homine obtinere possit, si ita voluerit. Sed tunc Deus actum primum illustrationibus et inspirationibus congruis praevenire debet. Nimirum Deus in latitudine scientiae mediae videt, sub quibus inspirationibus homo illum actum, quem Deus intendit, infallibiliter sit eliciturus; et quidem videt illum actum infinite multis viis obtineri posse. Si igitur Deus absolute vult, ut ille actus liber fiat, una ex illis viis uti i. e. inspirationes congruas adhibere debet ». Hontheim [1].

Sed *obiicitur:* Est axioma ab omnibus receptum: Ex eo, quod est indifferens ad utrumlibet (sc. ad agendum et ad non agendum), non sequitur actio, nisi illud ab alio determinatur. Atqui voluntas creata in actu primo considerata est indifferens ad utrumlibet. Ergo voluntas creata non agit, nisi aliunde i. e. a Deo praedeterminatur ad unum.

Respondet Hontheim [2]: « Eiusmodi adagia non caece adhibenda sunt; sed antea caute sensus eorum undique definiendus est, ne, dum argumentari tibi videris, misere decipiaris... Profecto, si adagium ab obiiciente laudatum non recte explicatur, aliquis inde probaverit ipsum Deum libera decreta capere non posse, nisi aliunde praedeterminetur. Igitur respondendum est:

Dist. mai. Ex virtute, quae est indifferens ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi determinatur, si virtus indifferens est *ex parte sui*, i. e. si indifferentia eo oritur, quod virtuti deest aliquid ad agendum praerequisitum, conc.; si virtus indifferens est *ex parte eius, ad quod dicitur*, i. e. si virtus plenam sufficientiam habet ad utrumlibet, nec tamen ab alterutro dependet et sic libere eligere potest, utrum maluerit, subdist.: si virtus electione sua libera nihil perficitur nec novum actum acquirit, sed tantum novam terminationem actus substantialis, ut fit in Deo, neg.: si virtus electione sua libera perficitur, ut fit in voluntate creata, iterum dist.: tunc ex hac virtute non sequitur actus, nisi iuvatur concursu simultaneo causae primae, qui actum virtutis non determinat, sed una cum causa secunda elicit, conc.; tunc haec virtus non agit, nisi determinatur et praedeterminatur a causa prima, neg.

Etiam dist. min. Libertas creata in actu primo est indifferens ad utrumlibet ex parte eius, ad quod dicitur, et quidem ita, ut agendo perficiatur, conc.; est indifferens ex parte sui, subd.: si consideratur in actu primo remoto, conc., in actu primo proximo, neg.

[1] Ib. n. 972, Obi. 8.
[2] Ib. n. 972, Obi. 9.

Denique dist. consqs. Libertas creata, ut agat, postulat concursum simultaneum, conc., postulat motionem praeviam, subd.: si ex actu primo remoto ad actum perducenda est, conc.; si agitur de actu primo proximo, neg.».

Nota. Libertas creata secundum mentem Hontheim est in actu primo remoto, si voluntati intellectu obiectum suum nondum est propositum; est in actu primo proximo, si voluntati intellectu obiectum suum iam propositum est.

II. Una cum praedeterminatione physica non potest stare creaturae *libertas;* ergo praedeterminatio physica est reiicienda.

Nam 1. Exercitium libertatis seu libertas actus consistit in libera electione. Sed praedeterminatio physica liberam electionem seu libertatem actus metaphysice reddit impossibilem. Ergo etiam metaphysice impossibilem reddit libertatem potentiae. Nam potentia ad id, quod metaphysice impossibile est, nulla est.

Praedeterminatione autem physica liberam electionem reddi metaphysice impossibilem sic demonstratur: Cum praesentia praedeterminationis non-actus metaphysice repugnat. Et cum absentia praedeterminationis actus metaphysice repugnat. Nec potest voluntas quidquam agere ad praedeterminationem accipiendam. Nam ut hoc ageret, rursum indigeret praedeterminatione. Ergo voluntati nulla relinquitur libera electio inter actum et non-actum; sed ad actum vel non actum per praesentiam vel absentiam praedeterminationis sine sua electione determinatur. — Ita fere Pesch [1].

Vel sic: Qui vere libere agit, stantibus omnibus ad agendum praerequisitis actionem omittere possit necesse est. Hoc enim ad libere agendum requiri et sensus noster intimus et consensus universi generis humani invicte testantur. «Atqui non videtur intelligi posse, quomodo homo omittere possit actionem ullam, stantibus omnibus ad agendum praerequisitis, si admittitur theoria praedeterminationis illius physicae. Nam secundum eam ad omnem actionem illa praedeterminatio praerequiritur ut aliquid, quod in creatura *natura* prius *passive* recipitur, quam ipsa creatura actualiter activa est. Et praeterea illa praedeterminatio secundum explicitam doctrinam eorum, qui eam defendunt, est aliquid, quocum stare nequeat nisi *una certa actio,* illa sc., ad quam creatura vi praemotionis receptae trahatur». Boedder [2].

2. Nec quidquam iuvat asseverare *Deum esse, qui praedeterminet,* et praedeterminationem a Deo factam libertatem non

[1] Tom. 5, n. 256.

[2] Theologia naturalis, n. 514.

destruere, quamvis praedeterminatio, si a creatura fieret, eam destrueret.

Nam conceptus praedeterminationis, ex quo libertatis destructio colligitur, non sumitur « ut est restrictus ad creaturas, sed ut est formaliter et proprie Deo et creaturis communis, etsi analogice. Si eiusmodi syllogismi non admittuntur, de Deo nihil amplius ratiocinari et intelligere possumus, cum semper aliquis possit dicere: in maiori sumis conceptum medium, ut convenit creaturis; in minori, ut convenit Deo; ergo nulla consequentia. Hoc modo theodicaeae fundamenta penitus evertuntur, omnis de Deo cognitio per universalem circa divina scepticismum destruitur ». Hontheim [1].

3. Non maiorem vim habet, quod dicitur praedeterminationem non necessitare, cum sub ea *iudicium intellectus maneat indifferens*. Nam indifferentia iudicii non est id, quod libertatem vel exercitium libertatis formaliter constituit, sed est id, unde colligitur voluntatem esse potentiam liberam et libertatem reapse exercere. Hinc non est concludendum sic: Praedeterminatio non necessitat, quia sub ea iudicium intellectus manet indifferens. Sed sic est concludendum: Ubi in agendo iudicium est indifferens, ibi non est praedeterminatio. Nam secus non obstante iudicio indifferenti voluntas libera divinitus determinaretur et contra suam naturam moveretur, id quod non est admittendum.

Contradictio tamen in eo non est, quod voluntas stante indifferentia iudicii necessitetur, unde quoque patet hanc indifferentiam non esse formale constitutivum libertatis.

4. Praedeterminatione libertatem non laedi aeque insufficienter explicatur per hoc effugium: Sub praedeterminatione *integra manet potentia ad oppositum*; ergo salva stat libertas. Quaeritur enim: Num exsecutio huius potentiae ad oppositum seu ipsum agere oppositum stare potest cum praedeterminatione? Utique non potest, ut omnes Thomistae fatentur. Nonne igitur repugnat sub praedeterminatione potentiam ad oppositum transire in actum? Certe repugnat, repugnat metaphysice, ut ipsi Bannesiani affirmant.

[1] Ib. n. 972, Obi, 1.

Num vero potentia, cui metaphysice repugnat transire in actum, est ea potentia, quae ad libertatem sufficit? Num genus humanum, quando ad libertatem potentiam ad oppositum requirit, eiusmodi potentiam intelligit? Nonne beati in coelo Deum visione beatifica cognoscentes et amore beatifico diligentes potentiam retinent eum non diligendi? Certe retinent, siquidem retinent naturam creatam ideoque defectibilem. Et tamen Deum non libere diligunt, sed necessario. Repugnat enim eorum potentiam Deum non diligendi stante visione beatifica in actum transire: et ideo ad Deum diligendum sunt necessitati.

III. Praedeterminatio physica etiam ad materiale tantum peccati repugnat *sanctitati Dei*. Nam iuxta eos, qui physicam praedeterminationem tenent, Deus creaturam immediate praemovet ad unum certum actum, quocum deformitas seu pravitas moralis infallibiliter connectitur; creaturam ad hunc actum ita praemovet, ut ex natura praemotionis ipse actus certissime sequatur; creaturam ad hunc actum praemovet motione, quae ab ipso (Deo) solo procedit, quin in potestate creaturae sit hanc motionem aut non recipere aut cum motione recepta componere omissionem actus, cui pravitas seu malitia moralis adiungitur. Sed, qui creaturam ad actum moraliter malum seu ad peccatum ita movet, is, sicut per se efficit materiale peccati, ita *per accidens* efficit formale peccati, neque hoc sullummodo permittere dici potest. Deus igitur iuxta Bannesianos, quamquam per accidens, tamen re vera est auctor peccati qua peccati. Profecto, si is, qui ita ad peccatum praemovet, auctor peccati non est, quis tandem auctor erit? Malitiam enim moralem qua talem nec ipse peccator intendit.

Rem esse diversam, si statuatur solus concursus simultaneus vel etiam praemotio physica indifferens, manifestum est. Nam tunc Deus concurrit ad materiale seu entitatem actus mali non ex determinatione propria, sed ex determinatione creaturae; vel etiam creaturam physice numquam amplius praemovet nisi ad utrumlibet.

Quod autem attinet ad illud, quod dicitur: Sicut in *motione tibiae claudicantis* ipse motus provenit ex virtute motiva, defectus vero claudicationis reducitur ad tibiam ut causam, ita actus peccati, prout est actus, provenit a Deo, prout vero est peccatum, reducitur ad creaturam ut causam, *Hontheim sic respondet*[1]: «Si quis tibiam per se indifferentem ad motum re-

[1] Ib. n. 972, Obi. 6.

ctum et obliquum de industria ad motum obliquum impelleret, is esset causa et motus et obliquitatis, sicut accidit in iis, qui data opera claudicant. — Sed si quis impulsum dat, qui per se est ad motum rectum, et deinde tibia ex suo defectu hunc impulsum ad claudicationem determinat, obliquitas imputatur tibiae soli. Atqui secundum Bannesianos voluntas non praedeterminata indifferens est ad bonum et malum; haec autem indifferentia a Deo primum determinatur ad motum obliquum. Ergo voluntas non est, quae se obliquat a motione divina, sed motio divina voluntatem a divinae legis semita detorquet; et per consequens obliquitas non voluntati tribuenda est, sed Deo. Vides exemplum allatum favere Molinistis, non Bannesianis. Nos enim dicimus Deum voluntati offerre concursum indifferentem, quem deinde determinatio solius voluntatis ad malum detorquet ».

IV. Praeterea « *iustitiae* divinae non congruere videtur, ut Deus aliquem hominem creet; deinde eum, quin ulla ex parte hominis sit ratio, cur tam fatalis motio in eum exerceatur, ad actum physicum peccati gravis praedeterminet et deinde eum propter peccatum, cuius omissionem cum praedeterminatione divina infelix homo nullo modo componere potuit, aeterna beatitudine privet et aeterni ignis terribili supplicio cruciet. Atqui id secundum Bannesianos bene fieri potest. Ergo eorum doctrina iustitiae Dei non satis consulere videtur ». Hontheim [1].

V. Denique praedeterminatio physica non videtur posse stare cum magno illo *discrimine, quod est inter causam creatam principalem et instrumentalem*, quodque ab omnibus admittitur. Nam « respectu unius eiusdemque effectus causa creata principalis ea intelligitur, cuius virtus naturalis habitualiter ita possit perfecta esse, ut illi effectui vel per se solam vel ope instrumenti alicuius producendo vere sit proportionata; causa instrumentalis autem ea, quae habitualiter numquam illi effectui producendo possit proportionata esse, sed quoties ad illum producendum agit, a causa principali immediate physice praemoveatur. Atqui stante praemotione illa, quam oppugnamus, nulla virtus ullius creaturae umquam habitualiter certo effectui producendo vere proportionata esse videtur; nulla enim quicquam agit *nisi id, ad quod divinitus praemota quodammodo trahatur*. Ergo praemotio illa cum discrimine inter causas principales et instrumentales non videtur stare posse ». Boedder [2].

[1] Ib. n. 971.

[2] Theologia naturalis, n. 512.

ARTICULUS III.

DE GUBERNATIONE CREATURARUM.

THESIS. **Deus omnia providentia sua gubernat.**

Est *de fide* ex Vatic. sess. 3. cap. 1: Universa vero, quae condidit Deus, providentia sua tuetur atque gubernat.

Opponitur Deistis.

Explicatur: 1. Providentia et gubernatio divina aut promiscue accipiuntur aut ab invicem distinguuntur. Si distinguuntur, providentia concipitur ut scientia dictans, quomodo res in fines intentos sint ordinandae, seu ut ratio ordinis rerum in finem (s. Thom.); gubernatio vero concipitur ut ipsa ordinatio rerum in suos fines. Providentia igitur formaliter est in intellectu, sicut et prudentia, cuius est pars; supponit tamen actum voluntatis, eum sc., quo fines intenduntur. Sed gubernatio formaliter est in voluntate; supponit tamen actum intellectus, eum sc., quo fines et media ad fines apta cognoscuntur. — Sin promiscue accipiuntur, providentia eodem modo solet definiri, quo gubernatio.

2. Gubernatio divina est *universalis*, moderans res non solum in communi, sed etiam in particulari, res non solum magnas, sed etiam parvas, immo minimas; est *liberrima* seu omnino independens; est *omnipotens et efficacissima*; est *sapientissima*; est *suavis*, i. e. ea, quae dirigat res iuxta earum inclinationes, ita ut res sponte et proprio motu, non per violentiam ad fines suos perveniant; est *incomprehensibilis* (Rom. 11, 33).

3. Gubernatio divina potest esse:

a) Immediata aut mediata. Mediata non solum immediate operatur, sed simul etiam ministerio creaturarum utitur, non quidem ob defectum virtutis, sed propter abundantiam bonitatis, ut sc. dignitas causalitatis communicetur creaturis.

b) Communis aut specialis. Communis est circa omnes creaturas. Specialis est circa creaturas rationales qua rationales. Providentia specialis communi adeo praestat, ut haec cum illa comparata quasi evanescere videatur, ita ut a s. Paulo 1. Cor. 9, 9 dici possit: *Numquid de bobus cura est Deo?*

— Providentia communis vocatur quoque physica, specialis vero moralis.

c) Naturalis aut supernaturalis. Supernaturalis est respectu et finis et mediorum supernaturalium.

d) Ordinaria aut extraordinaria. Extraordinaria est ordinatio alicuius in suum finem absque interventu ordinariorum mediorum. Hac e. g. ethnicus, cui evangelium non est praedicatum, circa fidem mere interne illuminatur.

Probatur: I. E Scriptura. 1. *Ex vetere testamento.* Sap. 6, 8: *Pusillum et magnum ipse* (Deus) *fecit, et aequaliter cura est* (προνοεῖ) *illi de omnibus.*

Sap. 8, 1: (Sapientia) *attingit* (διατείνει = se extendit) *ergo a fine usque ad finem, et disponit omnia suaviter* (χρηστῶς). — Sap. 12, 13: *Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus* (ὧ μέλει περὶ πάντων). — Sap. 14, 3: *Tua autem, Pater, providentia gubernat* (lignum portans hominem seu navigium, de quo v. 1.).

2. *Ex novo testamento,* idque ex iis verbis Christi, quibus nimia sollicitudo rerum temporalium prohibetur, et quibus exprimitur providentiam divinam se extendere etiam ad volucres et lilia etc. Matth. 6, 25-34. Matth. 10, 29. 30: *Nonne duo passeres asse vaenient? Et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.*

II. E Traditione et fide Ecclesiae. 1. SS. *Patres* providentiam divinam non raro celebrant et defendunt.

Athenag.[1]: « Quicunque Deum ut creatorem universi profitentur, eius sapientiae et iustitiae etiam omnium operum conservationem et gubernationem adscribere debent ac credere in coelo et in terra nihil cura et regimine destitui, sed providentiam Creatoris ad omnia entia invisibilia et visibilia, parva et magna extendi; nam omnes creaturae providentia indigent Creatoris ». — *Ambros.*[2]: « Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat et destituat, quod ipse condendum putavit? Si iniuria est regere, nonne maior est iniuria fecisse, cum aliquid non fecisse nulla iniustitia sit, non curare quid feceris summa incleméntia ». *Aug.*[3]: « Illum Deum colimus, qui naturis a se creatis et subsistendi et movendi initia finesque constituit; qui rerum causas habet, novit atque *disponit;* qui vim seminum condidit; qui rationalem animam... viventibus indidit; qui rationis facultatem usum-

[1] De resurrect. n. 18.
[2] Homil. ad popul. 10.
[3] De civit. Dei, l. 7, c. 30.

que donavit;... qui bellorum quoque ipsorum, cum sic emendandum et castigandum est genus humanum, exordiis, progressibus finibusque *moderatur;* qui huius mundi ignem vehementissimum et violentissimum pro immensae naturae temperamento et creavit et *regit;* qui universarum aquarum creator et *gubernator* est; qui solem fecit corporalium clarissimum luminum, eique vim congruam et *motum dedit;* qui ipsis etiam inferis dominationem suam potestatemque non subtrahit; qui semina et alimenta mortalium, sive arida sive liquida, naturis competentibus attributa substituit; qui terram fundat atque fecundat; qui fructus eius animalibus hominibusque largitur; qui causas non solum principales, sed etiam subsequentes novit et *ordinat;* qui lunae statuit motum suum; qui vias coelestes atque terrestres locorum mutationibus praebet; qui humanis ingeniis, quae creavit, etiam scientias artium variarum ad adiuvandum vitam naturamque concessit... Haec autem fecit atque agit unus verus Deus». — *Ioan. Damasc.*[1]: «Natura bonus et sapiens est Deus. Igitur quatenus est bonus, providet. Qui enim non providet, non est bonus. Nam et homines et bestiae propriorum foetuum providentiam habent naturali quodam instinctu; et qui non providet, vituperari solet. Quatenus autem sapiens est, optime prospicit».

2. *Ecclesia* persuasionem providentiae divinae profitetur *a) in liturgia,* orando v. g. Dom. II. post Epiph.: «Omnipotens sempiterne Deus, qui coelestia simul et terrena moderaris etc.»; et Dom. VII. post Pent.: «Deus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur etc.»; — *b) in vita,* ad Deum in omnibus necessitatibus recurrendo vel recurrendum esse docendo.

III. Ratione. Si Deus creaturas non gubernaret, id aut esset, quia creaturae sine divina gubernatione fines suos possent obtinere; aut esset, quia Deus eas gubernare vel ob defectum sive scientiae sive potentiae nequiret, vel ob defectum bonitatis nollet. Iam vero, si creaturae sine gubernatione divina fines suos obtinere possent, haberent perfectionem, quae iis utpote a Deo perfectissime dependentibus non convenit. Si Deus creaturas gubernare nequiret aut nollet, aut scientia aut potentia aut bonitas eius non esset infinita.

Confirmatur persuasione generis humani. Nam: 1. Homines, cum calamitate vel periculo premuntur aut repentino terrore percelluntur, sponte Deum solent invocare.

2. Cultus religiosus et ea, quae ad ipsum spectant, ut sacrificia, vota, iuramenta, eandem persuasionem supponunt.

Scholion I. *Mala* non cedunt in praeiudicium divinae providentiae. Nam: 1. Mala proveniunt ex naturali conditione ac

[1] De fide orthod. 2, 29.

modo agendi creaturarum. Deus autem non tenetur ad optimum. Ergo ea impedire non debet. 2. Mala sunt media ad obtinendos fines bonos. Etenim: *a) Omnia* mala manifestant solum Deum esse absolute bonum. — *b)* Mala *physica* cedunt in bonum aliorum vel etiam totius universi, hominibus ansas dant varias colendi virtutes, ut subiectionem, patientiam, beneficientiam etc., eos prohibent nimio amore terrenorum etc., et ita iisdem sunt media perveniendi ad finem ultimum. — *c)* Mala *moralia* conducunt ad manifestandam divinam iustitiam, misericordiam etc., ad colendas varias virtutes, sc. a parte peccatorum conversorum poenitentiam, humilitatem etc.; a parte aliorum patientiam, caritatem etc.

Scholion II. Respectu Dei nihil fit *casu:* neque in ordine ad eius cognitionem, quia ipsi causae omnium rerum perfectissime sunt cognitae; neque in ordine ad eius causalitatem, quia praeter eius ordinationem vel intendentem vel permittentem nihil fit.

PARS SECUNDA.

DE ANGELIS.

CAPUT I.

De Exsistentia, Natura, Numero Ac Distinctione Angelorum.

ARTICULUS I.

DE ANGELORUM EXSISTENTIA.

THESIS. **Angeli exsistunt.**

De fide ex Lat. IV. et Vatic.

Opponitur rationalistis, etiam biblicis, anabaptistis, qui putabant in Scriptura nomine angelorum non significari creaturas, sed divinam potentiam; Socinianis, quos iam ante adventum Christi praecesserunt Sadducaei (Act. 23, 8).

Explicatur: Angeli in hac thesi solummodo considerantur ut entia Deo inferiora, hominibus superiora, praescindendo a quaestione, utrum sint puri spiritus necne.

Probatur I. E Scriptura. In plus quadraginta e septuaginta duobus libris angelorum fit mentio; in aliquibus eorum frequenter, e. g. in Genesi ter decies; in evangelio s. Matthaei undevicies; saepius ab ipso Christo, ut Matth. 22, 30: *In resurrectione enim neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in coelo.* Et Matth. 24, 36: *De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater.*

II. E Traditione et fide Ecclesiae. 1. *Ex ss. Patribus. Clemens Romanus*[1]: « Multitudinem universam angelorum eius

[1] Ep. I. ad Cor. cap. 34, n. 5.

diligenter consideremus ». -- *Iustinus M.*[1]: « Colimus exercitum bonorum angelorum ».

2. *Ex liturgiis et festis.*

Cum Ecclesiae traditione congruunt *traditiones populorum* credentium inter Numen supremum et homines exsistere entia illi inferiora, his superiora. — Aliquot ss. Patres, in his Cyprianus et Augustinus, censent neque immerito, mythos gentilium de diis inferioribus, geniis, daemonibus esse reliquias, quamquam depravatas, revelationis primitivae exordio generis humani de angelis factae.

Ratione, cui valde probabile videtur angelos exsistere. Nam: 1. Conveniens est et fini creationis conforme exsistere creaturas, qui hominibus sint perfectiores quique cuncta Dei opera melius, quam homines, perspiciant ac Deo debitam gloriam referant. 2. Interdum in mundo occurrunt effectus, e. g. in obsessis, qui agentia hominibus superiora postulant.

Scholion I. Angelos exsistentiam accepisse a Deo per creationem, idque non ab aeterno patet ex thes. I. et V. de mundi creatione. Respectu vero *temporis, quo creati sint*, 1. illi ss. Patres, qui censebant verbo coeli in Genesi non significari angelos, ut ss. *Chrysostomus et Ambrosius*, putaverunt eos fuisse creatos *ante* mundum materialem; 2. s. *Augustinus* vero et s. *Gregorius M.* ut probabiliorem proponunt sententiam, quae tenet eos fuisse creatos *simul cum* mundo materiali. Et hanc sententiam *scholastici* communiter sunt amplexi. Verba *Conc. Lat. IV. et Vatic.* « simul ab initio temporis » secundum sensum obvium intellecta idem exprimunt. Verbum tamen « simul » potest etiam accipi eodem sensu, quo accipitur Eccli. 18, 1: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* (κοινῇ = pariter). Nec fuit intentio Conciliorum illorum definiendi angelos eodem tempore esse creatos, quo mundus materialis sit creatus. Et ipse s. Thomas, qui summam theologicam scripsit post Lat. IV., in eadem solummodo dicit[2]: « Illa tamen (sententia) *probabilior* videtur, quod angeli simul cum creatura corporea sunt creati ».

Singularis est opinio *Philonis* et *s. Eucherii,* qui putaverunt angelos creatos esse *post* mundum materialem, imo post primos homines, quo observaretur progressus ad creaturas magis magisque praestantes.

[1] Apol. I, 6.
[2] I, q. 61, a. 3, c.

Scholion II. *Ubi* angeli sint creati, ignotum est. *Suarez* putat eos creatos esse in hoc mundo corporeo, verisimiliter in coelo sidereo. *Alii* censent eos esse creatos in coelo empyreo, quod postea factum est sedes beatorum.

ARTICULUS II.

DE ANGELORUM ESSENTIA.

THESIS. **Angeli sunt puri spiritus.**

Est sententia communis et theologice *certa* ex verbis Conc. Lat. IV. et Vatic. incidenter dictis.

Opponitur aliquot antiquis, etiam Patribus, ut Iustino, Clementi Alex., Ambrosio, qui putaverunt angelos habere corpora subtilia sive aetheria sive ignea.

Explicatur: Angeli sunt *spiritus*, i. e. incorporei, proinde expertes partium physicarum et extensionis; sunt spiritus *puri*, i. e. non ordinati ad corpora informanda. Consequenter: 1. Angelus *definitur:* substantia creata spiritualis completa. Vocabulo « completa » exhibetur differentia angeli specifica, qua differt ab anima humana, quae est substantia incompleta, i. e. ad corpus humanum informandum ordinata. 2. Angeli sunt immortales.

Probatur: **I. E Scriptura**, quae: 1. Numquam loquitur de corporibus angelorum propriis, numquam de animabus vel spiritibus angelorum, cum econtra animam humanam vocet spiritum hominis seu spiritum, qui sit in homine. 2. Angelos tam bonos quam malos simpliciter vocat spiritus (πνεύματα), quemadmodum et ipsum Deum spiritum appellat. Sic legitur Hebr. 1, 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis?* — Et Matth. 12, 43. 45: *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida..., tunc vadit et assumit septem alios spiritus secum nequiores se* etc.

II. E Traditione. Non pauci ss. Patrum angelos vocant incorporeos (ἀσωμάτους), in his: Ignatius, Greg. Thaumat., Greg. Naz., Chrysost., Io. Damasc., Greg. Nyssenus, qui dicit[1]:

[1] Or. 4. in orat. Dom.

« Omnis creatura rationalis dividitur in incorpoream et corpoream naturam: incorporea autem est angelica, altera nos homines sumus ».

Ab aliquibus Patribus, ut Greg. M., angeli vocantur corpora vel corporei, quatenus sunt substantiae *limitatae* et ita oppositae Deo, qui est substantia illimitata.

III. Ratione congrua. Perfectioni universi convenit, sicut exsistunt creaturae mere corporales et corporeo-spirituales, ita etiam exsistere creaturas pure spirituales.

Scholion. Corpora, in quibus teste Scriptura angeli saepe apparuerunt, fuere ab iis ex aëre etc. formata, tamquam instrumenta assumpta et mota, non tamen formaliter vivificata.

ARTICULUS III.

DE ANGELORUM INTELLECTU.

THESIS. **Angeli praediti sunt intellectu, qui quidem intellectui humano multo praestat, tamen est limitatus.**

Probatur quoad partem priorem: I. E Scriptura, ex qua cognoscitur angelos et a Iudaeis et ab ipso Christo habitos esse perspicacia intellectus praeter humanum modum mirabiles. Nam: 2. Reg. 14, 20 mulier quaedam dixit Davidi: *Tu autem domine, mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* — Matth. 24, 36 Christus dicit: *De die autem illa et hora* (ultimi iudicii) *nemo scit, neque* (οὐδὲ ne quidem) *angeli coelorum, nisi solus Pater.*

II. E Traditione. Ss. Patres angelos saepe vocant νοῦς, i. e. mentes.

III. Ratione. Angeli habent naturam pure spiritualem; ergo et habent intellectum multo perfectiorem, quam homines, quorum natura est solummodo corporeo-spiritualis.

Probatur quoad partem alteram ratione: Angelorum intellectus est creatus; ergo etiam limitatus.

Sententiae theologorum, praesertim scholasticorum.

Nota: Multa, quae a scholasticis de cognitione angelorum traduntur, non sunt nisi conclusiones philosophicae.

I. De obiecto cognitionis angelicae.

1. Angeli *naturaliter intelligunt a)* se ipsos per propriam substantiam; — *b)* Deum per substantiam ipsorum prius cognitam; — *c)* ceteros angelos, quibuscum societatem perfectam constituunt, cuius membra invicem nosse decet; — *d)* mundum materialem quoad omnes rerum species, deinde quoad multa saltem singularia et futura necessaria; — *e)* genus humanum.

2. Angeli *naturaliter non intelligunt a)* secreta cordium, i. e. liberas cogitationes et volitiones tam aliorum angelorum quam hominum, quae quidem ex positiva saltem ordinatione Dei eaque omnino congrua iis sunt impervia. In Scriptura enim cognitio illorum exhibetur ut solius Dei propria. 2. Par. 6, 30 Salomon Deum appellat: *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum.* — Ierem. 17, 10 Deus de se dicit: *Ego Dominus scrutans cor et probans renes;* — *b)* futura mere contingentia. Is. 41, 23: *Annuntiate, quae ventura sint in futurum, et sciemus, quia dii estis vos;* — *c)* mysteria quoad substantiam supernaturalia in eorum entitate. 1. Cor. 2, 11: *Quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.*

3. Praeter cognitionem naturalem angeli beati habent etiam cognitionem *supernaturalem.* Et hac quidem mediante lumine gloriae Deum cognoscunt intuitive et in Deo ea omnia, quae ad ipsos pertinent. Cognitio supernaturalis post s. Augustinum matutina dici solet, naturalis vero vespertina.

II. De modo cognitionis angelicae.

1. Angeli ea, quae naturaliter intelligunt, etiam *evidenter* intelligunt; et quidem *a)* Deum abstractive; — *b)* se ipsos et omnia alia creata quidditative seu intuitive.

2. Si angeli de iis, quae naturaliter iis manifesta non sunt, faciunt coniecturam, eam facere possunt *et citius et perfectius,* quam homines.

III. De medio cognitionis angelicae.

1. *S. Thomas et Thomistae* haec docent: Quilibet angelus ea *omnia,* quae *praeter se ipsum* cognoscit, cognoscit *per species* non a rebus desumptas, sed a Deo in creatione sibi inditas seu *infusas* sibique connaturales. Quae quidem species:

a) Sunt *ab ideis divinis exemplatae,* seu sunt quaedam participationes idearum divinarum.

b) Sunt *universales in repraesentando.* Repraesentant enim rationem rerum communem, ita tamen, ut etiam clare et distincte repraesentent omnia inferiora sub illa contenta, etiam particularia, restrictione facta quoad haec duo, sc. futura libera, ad quorum cognitionem species illae movere non possunt, donec ea ipsa exsistant, et cogitationes ac volitiones aliorum angelorum, quae speciebus infusis tum solum repraesentantur, cum hi positive volunt.

Illud esse possibile sic suadetur: Essentia divina, quamquam est simplicissima, tamen distincte repraesentat omnes res creabiles. Species vero infusa est quaedam divinae essentiae participatio. Ergo nihil obstat, quominus et ipsa, licet sit una, participet perfectionem repraesentandi entitates plures ac diversas.

c) Sunt *eo universaliores*, i. e. repraesentant eo plures species vel genera rerum, quo angelus est perfectior atque superior; consequenter sunt etiam *eo pauciores*, cum iuxta opinionem s. Thomae et communem aliorum scholasticorum quilibet angelus cognoscat species ac genera omnia.

2. *Scotistae* tenent haec: Angelus:

a) Speciebus infusis *indiget* ad cognitionem abstractivam et rerum possibilium et earum rerum actualium, quae ei sufficienter non sunt praesentes. Iis non indiget ad cognoscenda praesentia sibi satis praesentia.

b) Aliquas species sibi a creatione infusas *habet*, et eas quidem omnium quidditatum universalium et multorum singularium.

c) Potest quoque species *a rebus externis excipere* et ita aliqua, quae ad id tempus ignoravit, cognoscere.

d) Non habet ullam speciem, qua possit cognoscere plura diversa, sed *ad diversa* cognoscenda speciebus eget *diversis*, seu, ut dicit Boyvin, angelo dantur species universales, quae genera et species rerum repraesentant, et singulares, quae repraesentant singularia.

3. *Recentiores* haec fere tradunt:

a) Angeli ad intuitive cognoscendas creatas substantias universales (species vel genera) iam primo exsistentiae suae momento *divinitus sunt moti.*

b) Intellectus angelicus plura cognoscere potest *ratiocí-*

nando, et aliqua, ut exsistentiam Dei et actus liberos creaturarum, nisi ratiocinando naturaliter non potest cognoscere.

ARTICULUS IV.

DE ANGELORUM VOLUNTATE.

THESIS. **Angeli natura habent voluntatem liberam, et eam quidem valde perfectam, non tamen indefectibilem.**

Probatur I. pars: I. E Scriptura, in qua angelis *bonis* adscribitur gaudium et desiderium, *malis* tremor et ira. Luc. 15, 10: *Ita, dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei* (ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων τοῦ θεοῦ) *super uno peccatore poenitentiam agente.* Ἐνώπιον hic est idem atque « apud », uti etiam Luc. 12, 6; 14, 10. Act. 10, 31. Apoc. 16, 19. — 1. Petr. 1, 12 de Spiritu Sancto dicitur: *in quem desiderant angeli prospicere.* — Iac. 2, 19: *Et daemones credunt et contremiscunt.* — Apoc. 12, 12: *Vae terrae et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.*

II. Ratione. Colligitur ex eo, quod praediti sunt intellectu.

Probatur II. pars ratione. Voluntatem angelorum valde perfectam esse ex eo apparet, quod eorum natura et intellectus sunt valde perfecta.

Explicatur II. pars. 1. Secundum *omnes* libera voluntatis angelicae determinatio neque supponit diuturnam deliberationem et fit magno cum vigore.

2. Iuxta *Thomistas* voluntas angelorum etiam ea est, ut respectu finis sui, statim ac libera electio semel est facta, immobilis fiat seu immutabilis.

Probatur III. pars et ratione et revelatione. Nam voluntas angelorum est facultas creata; ergo finita seu limitata. Deinde teste revelatione complures angeli peccando reapse defecerunt. 2. Petr. 2, 1: *Deus angelis peccantibus non pepercit.*

ARTICULUS V.

DE ANGELORUM FACULTATE CUM INVICEM COMMUNICANDI.

THESIS. **Angeli et conceptus mentis et actus voluntatis invicem possunt manifestare.**

Probatur: I. E Scriptura, in qua id pluries accidisse narratur, ut Is. 6. 3: *Et* (Seraphim) *clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus* etc. — Zach. 2, 3. 4. Iud. 9. Apoc. 7, 2.

II. Ratione. Facultas illa, quae hominibus competit, deesse non potest angelis, qui et hominibus sunt perfectiores et inter se quandam constituunt societatem.

Explicatur: 1. Manifestatio illa a theologis communiter vocatur *locutio*, et angeli manifestantes dicuntur loquentes, id quod concordat cum 1. Cor. 13, 1: *Si linguis hominum loquar et angelorum* etc. — *Clamor*, qui Is. 6, 3 et Apoc. 7, 2 angelis adscribitur, significat gravitatem rei, quae manifestatur, vel ardorem affectus, quo res manifestatur. — Manifestatio, quae ab angelo superiore fit angelo inferiori de re huic ignota, vocari solet *illuminatio*.

2. Modus, quo manifestatio illa angelica fit, nobis est ignotus. E sex, quae habentur, opinionibus hae duae sunt praecipuae: *a) Opinio Thomistica:* Si aliquis angelus vult cogitationem vel volitionem suam alii angelo patere, illa huic eo ipso patet. Nam id, quod unice impedit, quominus angelorum cogitationes vel volitiones aliis angelis per species iis infusas innotescant, est perfectum dominium, quod angeli in actus suos liberos habent; sed hoc impedimentum voluntate illa aufertur.

b) Opinio altera: Ut aliquis angelus alii angelo cogitationem vel volitionem suam possit manifestare, requiritur physica angeli manifestantis actio. Quae quidem actio multis consistere videtur in productione speciei intelligibilis obiecti manifestandi in intellectu eius angeli, cui hoc obiectum manifestatur.

ARTICULUS VI.

DE ANGELORUM POTENTIA CIRCA MUNDUM MATERIALEM.

Thesis. **Angeli circa mundum materialem hominibus praestant potentia.**

Probatur e Scriptura: 1. *Generatim.* 2. Petr. 2, 11: *Angeli fortitudine et virtute cum sint maiores* etc. — 2. *Specialim.* Quanta angelorum potentia sit, variis locis describitur. Sic legitur Is. 37, 36: *Egressus est autem Angelus Domini,*

et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.

Dan. 3, 49. 50: *Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis eius in fornacem, et excussit flammam ignis de fornace, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem; et non tetigit eos omnino ignis.* — Matth. 28, 2: *Et ecce terrae motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de coelo et accedens revolvit lapidem* (qui iuxta Marc. 16, 4 *erat... valde magnus*). — Act. 12, 7: Et ecce *Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenae de manibus eius... Et exiens sequebatur eum.. Transeuntes autem primam et secundum custodiam venerunt ad portam ferream, quae ducit ad civitatem, quae ultro aperta est eis.*

Hic ex una quidem parte non asseritur angelos ea, quae fecerunt, virtute fecisse naturali; ex altera tamen parte supernaturale sine ratione sufficienti non est admittendum.

Explicatur: 1. Angelorum potentiam, quamvis sit valde magna, tamen limitatam esse per se patet. In specie angeli naturaliter *non possunt* miracula proprie seu stricte dicta patrare; nec possunt quidquam ad extra efficere sola voluntate, unde et apparet potentiam angelorum exsecutivam ab eorum voluntate realiter esse distinctam.

2. Angeli *possunt* mira efficere applicando activa passivis, ut scholastici loquuntur, substantias corporeas localiter movere idque celerrime (Dan. 14, 35. Matth. 4, 5. 8.), sibi corpora assumere eaque movere, non tamen informare, in iis vel etiam phantastice apparere etc.

3. Nihil tamen eorum neque aliud quidquam ab angelis in mundo potest fieri nisi *volente vel permittente Deo*, a quo totus mundus regitur ac gubernatur.

ARTICULUS VII.

DE MODO, QUO ANGELI SUNT IN SPATIO.

A. De iis, quae sunt communiter admissa:

I. Angeli *non sunt:*

1. *Immensi.* Nam sola infinita substantia immensa esse potest. Hinc ad unum locum possunt alligari. Et re vera daemonium a Raphaele religatum est *in deserto superioris Aegypti* (Tob. 8, 3).

2. *Circumscriptive in spatio*, i. e. ita, ut partes spatii respondeant partibus angeli eo, quod angelus partes non habet.

II. Angeli *sunt:*

1. *Definitive in spatio,* idque ita, ut *possint esse:*

a) In puncto indivisibili, quandoquidem ad materiam non habent ullam relationem internam, cum anima humana, quae corpus informat, internam ad materiam relationem habeat. Unde in uno homine legio daemonum esse potuit (Luc. 8, 30).

b) In spatio plus minusve extenso pro ipsorum perfectione ac potentia et secundum ipsorum voluntatem, ita tamen, ut sint toti in toto spatio, quod occupant, et toti in singulis eius partibus. Quantum sit spatium, in quo unus angelus simul praesens esse possit, nobis ignotum est. Illud tamen non esse totum spatium mundanum, seu unum angelum non posse esse ubique ab omnibus tenetur praeter Durandum.

2. *Potentes celerrime transeundi ex uno loco ad alium*, iuxta s. Thomam ita, ut in uno instanti sint in uno loco et in alio instanti in alio loco.

B. De iis, quae sunt controversa.

I. *Placita Thomistarum.*

Nullus angelus, sive bonus sive malus, in loco formaliter est per suam substantiam. Sed angelus bonus, qui in loco est modo sibi naturali, formaliter est in eo *per suam operationem ad extra*, sicut corpus in eo est per suam quantitatem. Angelus vero malus, qui in loco est modo violento, in eo formaliter est imprimis *per passionem*. Consequenter angelus:

1. Intra sphaeram suae activitatis, quae eo amplior est, quo ipse est perfectior, esse potest *in pluribus locis distantibus inadaequatis* (iis sc., quae singula totam eius operandi virtutem non adaequant), quin sit in medio.

2. E loco in locum *transire* potest, *quin* transeat *per spatium medium.*

II. *Placita Scotistarum, quibus accedit Suarez.*

Angelus in loco formaliter est *per suam substantiam.* Consequenter:

1. Non potest esse in pluribus locis distantibus.

2. Non potest transire e loco in locum, quin transeat per spatium medium.

ARTICULUS VIII.

DE ANGELORUM NUMERO ET DISTINCTIONE.

THESIS. **Angeli sunt permulti, diversimode distincti.**

Probatur I. pars: I. E Scriptura. Dan. 7, 10: *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia* (= Tausend Millionen) *assistebant ei.* Quo loco, ut saepius in Scriptura, numerus determinatus positus est pro multitudine indeterminata. — Matth. 26, 53 Christus dixit Petro: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum? Et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum.* Legio apud veteres constare solebat sex millibus virorum.

II. E Traditione. Aliquot ss. Patres, in his *Cyrillus Hieros.*[1], exponentes parabolam de ove perdita dicunt nonaginta novem oves esse angelos, ovem perditam esse genus humanum, cum numerus angelorum multum excedat numerum hominum.

Multi theologi putant plures esse angelos quam homines, quotquot ab Ada usque ad finem mundi geniti sint atque gignendi.

III. Ratione congrua. Angeli creati sunt, ut Deo assistant eique ministrent. Sed Deus est rex maiestatis infinitae. Ergo eum habere decet familiam ipsi assistentium ac ministrantium amplissimam.

Huic consonat illud Prov. 14, 28: *In multitudine populi dignitas regis.*

Probatur II. pars: I. E Scriptura, in qua:

1. Innuitur esse angelos *superiores et inferiores,* cum Michael Dan. 10, 13 appelletur *unus de principibus primis.*

2. *Varia* angelorum *nomina* occurrunt, sc. Gen. 3, 24. Exod. 25, 18. etc. Cherubim; Is. 6, 2 Seraphim; Eph. 1, 21 et Col. 1, 16 Dominationes, Potestates, Principatus; insuper Eph. 1, 21 Virtutes et Col. 1, 16 Throni; 1. Thess. 4, 15 Archangeli; 1. Petr. 3, 22 Angeli, atque ii distincti a Potestatibus et Virtutibus; item Rom. 8, 38, ubi distinguuntur a Principatibus et Virtutibus. — Quae quidem nomina significare creaturas rationales manifestum est ex variis actionibus et muneribus, quae respectivis angelis Is. 6, 2-7 et Ezech. 10. attribuuntur.

---

[1] Catech. 15.

Gen. 3, 24: *Eiecitque* (Deus) *Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.* — Exod. 25, 18: *Duos quoque Cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi.* — Is. 6, 2-7: *Seraphim stabant super illud* (solium excelsum); *sex alae uni et sex alae alteri; duabus velabant faciem eius et duabus velabant pedes eius et duabus volabant. Et clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum .. Et volavit ad me unus de Seraphim et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua* etc. — Eph. 1, 20. 21: *Suscitans illum* (Christum) *a mortuis et constituens ad dexteram suam in coelestibus: supra omnem principatum et potestatem et virtutem, dominationem et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro* — Col. 1, 16: *Quoniam in ipso* (Filio Dei) *condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni sive dominationes sive principatus sive potestates.* — 1. Thess. 4, 15: *Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo* — 1. Petr. 3, 22: *Qui* (Iesus Christus) *est in dextera Dei... profectus in coelum subiectis sibi angelis et potestatibus et virtutibus.* — Rom. 8, 38: *Certus sum enim, quia neque mors neque vita, neque angeli neque principatus neque virtutes,... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro.* — Ezech. 10, 3. 7: *Cherubim autem stabant a dextris domus... Et extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter cherubim, et sumpsit et dedit in manus eius, qui indutus erat lineis.*

II. E Traditione. Ss. Patres generatim docent esse plures angelorum ordines, quin determinato numero insistant, cum alii enumerent ordines quinque, alii septem, alii, in his Cyrillus Hieros., novem.

III. Ratione congrua. Distinctio illa et pertinet ad perfectionem universi, cum et in mundo corporeo sit distinctio rerum, et pertinet ad perfectionem societatis, quam angeli constituunt.

Explicatur II. pars. 1. A scholasticis, a quibus omnia fere de angelis tractata deprompta sunt ex opere Pseudo-Dionysii Areopagitae de coelesti hierarchia, angeli *dividuntur* in tres hierarchias, quarum unaquaeque tres ordines seu choros complectitur, de quibus haec solent statui:

1. Ad supremam hierarchiam pertinent Seraphim, Cherubim, Throni; ad mediam Dominationes (Herrschaften), Virtutes (Kräfte), Potestates (Gewalten oder Mächte); ad infimam Principatus (Fürstenthümer), Archangeli, Angeli.

2. Hoc modo angeli iuxta s. Thomam distinguuntur *dispositive* secundum dona naturalia, *completive* secundum dona

supernaturalia, quae in proportione ad perfectionem naturalem iis sunt concessa.

3. Angeli diversarum classium diversa habent *officia* sibi peculiaria, quae referuntur vel ad Deum vel ad creaturas, imprimis alios angelos et homines, idque in hunc modum:

a) Angelis primae hierarchiae convenit potissimum Deo adstare et a solo Deo illuminari. Inter eos Seraphim excellere dicuntur caritate, Cherubim scientia, Throni reverentia adversus Deum vel quiete in Deo habita.

b) Angelis secundae hierarchiae α) generatim peculiare esse dicitur ab angelis primae hierarchiae illuminari et angelos tertiae hierarchiae illuminare; — β) speciatim haec competere traduntur: Dominationes feruntur potestatem quandam habere in inferiores angelos bonos, Virtutes in mundum corporeum, Potestates in angelos malos ad eos cohibendos etc.

c) Angelis tertiae hierarchiae α) generatim putatur esse peculiare circa ministerium hominum occupari; — β) speciatim existimantur haec competere: Principatus censentur praeesse regnis etc., Archangeli graviora annuntiare et expedire, Angeli custodire homines.

Nota. 1. Angelos distribui in praecise *novem* choros negari sine timeritate iuxta Hurter et Egger non potest, iuxta Mazzella vix potest.

2. Vox archangeli etiam significat angelum eminentem cuiuscunque ordinis.

3. In Scriptura occurrunt tria nomina angelorum bonorum velut propria, sc. Michael = Quis ut Deus? (Deut. 10, 13; Iud. 9; Apoc. 12, 7) — Gabriel = Fortitudo Dei, (Dan. 8, 16; Luc. 1, 19) — Raphael = Medicina Dei (Tob. 3, 25).

II. A scholasticis *controvertitur*, utrum angeli constituant plures species an unam tantum. 1. Secundum *s. Thomam* tot sunt angelorum species, quot sunt angeli, cum quilibet angelus utpote materiae expers ab alio angelo specie differat. 2. Secundum *Alexandrum Hal. et Scotum* sunt plures quidem species angelorum, tamen in qualibet specie sunt plura individua. Iuxta Suarez ordines saltem diversi diversas constituunt species. 3. *S. Bonaventurae* [1] magis probabile esse videtur omnes angelos esse eiusdem speciei.

[1] Tom. 2, pag. 242.

CAPUT II.

De Probatione, Elevatione, Lapsu Angelorum.

Thesis I. **Omnes angeli in statu viae seu probationis fuerunt.**

Explicatur: 1. Status viae angelorum, ut omnes tenent, temporis fuit brevissimi.

2. In quo probatio eorum constiterit, ignotum est. Probabile est iis divinitus imperatum esse, ut Filio Dei in humana natura exstituro se subiicerent.

Probatur rationibus theologicis: 1. Multi angeli libere peccaverunt, id quod cum statu termini conciliari nequit.

2. Ii angeli, qui non peccavere, iuxta doctrinam ss. Patrum beatitudinem meruerunt. Status autem, in quo potest mereri, est status viae.

Thesis II. **Omnes angeli in statu viae ad ordinem supernaturalem sunt evecti.**

Est *certum* ex damnatione prop. Baii 1. et 3.

Prop. 1. Nec angeli nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia. — Prop. 3. Et bonis angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, et non gratia (D. 881 et 883).

Explicatur: 1. Omnes angeli in statu viae acceperunt *a)* gratiam sanctificantem, atque eam iuxta s. Thomam cum proportione ad perfectionem naturae uniuscuiusque propriam; — *b)* una cum gratia sanctificante virtutes supernaturales ac dona Spiritus Sancti; — *c)* gratiam actualem tam illuminationis quam inspirationis; — *d)* divinam revelationem, qua certe cognoverunt Deum ut finem suum supernaturalem, insuper iuxta opinionem communem mysterium ss. Trinitatis, idque perfectius quam nos, et probabilius mysterium incarnationis Verbi.

Nota. Angelos beatos *visione beatifica* incarnationem Verbi et redemptionem ab eo faciendam semper cognovisse satis communiter tenetur.

2. Secundum opinionem ss. Augustini et Thomae, quam theologi nunc sat communiter amplectuntur, angeli gratiam sanctificantem una cum donis annexis acceperunt simul cum

exsistentia seu in ipso instanti creationis; secundum Petrum Lombardum vero, Alexandrum Hal., s. Bonaventuram, Scotum postea, ubi per actus liberos excitante et adiuvante gratia actuali elicitos se ad eam assequendam disposuerunt.

Probatur: I. **Quodammodo e Scriptura**, unde ad summum cum aliqua probabilitate colligi potest.

Io. 8, 44 Christus dixit: *Diabolus in veritate non stetit.* — Veritas apud s. Ioannem non solum veritas in cognoscendo esse dicitur, sed etiam rectitudo in volendo seu iustitia, atque ea imprimis supernaturalis, quae est effectus formalis gratiae sanctificantis.

Attamen illa verba a Ioanne non sunt prolata, sed tantummodo citata.

Iud. 6: *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum* (τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν), *sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* — Iuxta haec verba angeli mali magnam amiserunt dignitatem. Sed, dicunt, dotes naturales non amiserunt, ergo amiserunt dotes supernaturales.

II. E Traditione. Affirmatur ab aliquibus Patribus, praesertim a *s. Augustino*, qui loquens de bona voluntate i. e. de supernaturali caritate angelorum dicit[1]: « Istam quis fecerat nisi ille, qui eos in bona voluntate i. e. cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, simul in iis condens naturam et *largiens gratiam*. Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos angelos fuisse credendum est ».

S. Basilius[2]: « Merae et intelligibiles virtutes sanctae tum sunt tum nominantur, ex gratia per Spiritum sanctimoniam nacti; sanctificatio enim non est absque Spiritu ». — S. Ambrosius[3]: « Cum angeli hominibus in adiumentum descendant, intelligendum est, quod creatura quidem superior angelorum sit, quae plus recipit gratiae spiritualis; eiusdem tamen et erga nos et illos munus auctoris est ».

III. Ratione theologica. Multi angeli tempore probationis peracto aeternam gloriam sunt adepti. Sed nullus homo gloriam aeternam obtinet, nisi in statu viae ad ordinem supernaturalem est evectus. Ergo de angelis idem videtur esse dicendum.

---

[1] De civ. Dei l. 12, c. 9, n. 2.
[2] De Spir. S. c. 16, n. 38.
[3] De Spir. S. l. 1, c. 7.

Thesis III. **Angeli probati aeternam beatitudinem sunt adepti.**

Probatur: I. E Scriptura. Matth. 18, 10 Christus dixit: *Angeli eorum* (i. e. pusillorum) *in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* — Tob. 12, 15; Dan. 7, 10; Apoc. 5, 11.

II. E Traditione. *S. Augustinus* scribit[1]: « Sancti angeli cadentibus aliis per liberum arbitrium per idem liberum steterunt ipsi, et huius permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam sc. beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa mansuros ».

Scholion. Angeli aeternam beatitudinem adepti sunt ut mercedem, seu illam vere meruerunt.

Thesis IV. **Aliquot angeli in statu viae graviter peccaverunt et ob hoc aeternae damnationi sunt traditi.**

De fide ex Lat. IV. cap. 1: Diabolus... et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni; sed ipsi per se facti sunt mali (D. 355).

Unde haereticum est negare angelos malos seu daemones exsistere eosque cum Kant habere pro personificationibus vitiorum.

Probatur: I. E Scriptura, in qua commemorantur: 1. *Peccatum angelorum.* 2. Petr. 2, 4: *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* — Iud. 6 (thes. II.). — Apoc. 12, 7.

2. *Poena eorum.* Matth. 25, 41: *Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.* — Item 2. Petr. 2, 4; Iud. 6; Apoc. 12, 8. 9.

3. *Creaturae, quae vocantur angeli mali* (Ps. 77, 49), *spiritus mali* (Act. 19, 13); *spiritus nequam* (Act. 19, 12) et, quod idem est, *spiritualia nequitiae* Eph. 6, 12. — Sed ipsae ut moraliter malae a Deo creatae esse non possunt; ergo propria culpa malae sunt factae.

II. E Traditione. 1. Multi ss. Patrum loquuntur de daemonum peccato, poena etc., in his s. Aug. verbis in thesi III. citatis; praeterea Origenes, ss. Chrysost. et Ambrosius.

[1] De corr. et grat. c. 11, n. 32.

2. Christiani pariter atque Iudaei constanter crediderunt daemones exsistere.

III. Quodammodo experientia ac ratione.

1. *Circa homines* interdum occurrerunt ea, v. g. obsessio, ex quibus haud immerito colligi potest exsistere agentia mala hominibus superiora seu malos spiritus.

2. *Ab hominibus* frequenter ea sunt facta, quae vix sufficienter possunt explicari, quin admittatur illos ad haec facienda a malignis spiritibus esse impulsos. Ad ea referri posse videntur idololatria in genere humano tam late diffusa et praesertim barbara consuetudo hominum immolandorum aliaque id genus.

Plenior doctrina et diversa placita de angelorum lapsu.

I. Angelorum *peccatum:*

1. Secundum doctrinam communem theologorum fuit *superbia.* Ratio est, quia aliud peccatum fundamentale in puris spiritibus vix potest esse, et praesertim, quia s. Scriptura id indicat Tob. 4, 14: *Superbiam numquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* — Eccli. 10, 15: *Initium omnis peccati est superbia.* — 1. Tim. 3, 6: *Non neophytum* (oportet esse episcopum), *ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* — Superbia angelorum constitit *a)* iuxta alios in eo, quod sibi nimium complacuerunt in perfectionibus naturalibus et *omiserunt appetere* beatitudinem supernaturalem; — *b)* iuxta alios in eo, quod supernaturalem beatitudinem *inordinate appetivere* volentes eam acquirere vel viribus naturalibus vel sine meritis etc.; — *c)* iuxta alios in eo, quod animo iniquo tulerunt, quod Verbum naturam humanam erat assumpturum, et quod Verbo in hac natura in ipsos dominationem habituro *se subiicere recusarunt.* Et haec quidem opinio est rationabilior.

2. Fuit *gravissimum,* ut omnes recte ac merito sentiunt. Nam commissum est a puris spiritibus donis naturalibus et supernaturalibus excellentissimis, et quidem cum perfectissima deliberatione et ex mera malitia.

II. Angeli *peccantes:*

1. Ut communiter tenetur, fuerunt *quamplurimi;* pauciores tamen, quam non peccantes.

2. Scriptura haud obscure indicante et theologis passim docentibus habuerunt rebellionis *ducem* seu principem, qui eos

tam exemplo quam suasione ad peccandum induxit, quique exinde fuit et semper erit caput eorum, unde hi vocantur illius angeli (Matth. 25, 41). Qui quidem dux:

a) In Scriptura *vocatur* diabolus = calumniator (Matth. 25, 41), satanas = adversarius (Luc. 11, 18), Belial = nequitia (2. Cor. 6, 15), Beelzebub = dominus muscarum (numen gentilium, ut patet ex 3. Reg. 1, 2. — Matth. 12, 24), draco (Apoc. 12, 7), serpens antiquus (Apoc. 20, 2), etc.

Ex applicatione eorum, quae Is. 14, 12 sqq. dicuntur de rege Babylonico, qui ibi lucifer vocatur, diabolum appellare solent Luciferum, quod quidem nomen in Scriptura ei numquam tribuitur.

b) Fuit, ut communius censent, omnium angelorum *supremus;* sin minus, unus ex supremis aut saltem princeps angelorum inferiorum.

c) Forsitan loco Christi *dominium omnium creaturarum sibi arrogarit* ceteris angelis peccantibus ipsi assentientibus; et sic ab initio fuit acerrimus Christi adversarius.

III. Aeterna *poena* iuxta sententiam communem (quam pauci tantum, ut Salmeron, non amplectuntur) angelis peccantibus *statim* est inflicta, quin iis mora et gratia ad poenitendum sint concessae. Et huius quidem rei plures afferri possunt rationes congruae, quae petuntur ex magna angelorum *sublimitate*, perspicacitate intellectus potissimum et stabilitate voluntatis, ex mera *malitia*, quae in committendo peccato fuit, ex *pertinacia et inflexibili obstinatione* post peccatum commissum iuxta s. Thomam connaturaliter orta ex eo, quod angelicae voluntatis est fini ultimo semel libere electo plane inseparabiliter adhaerere.

CAPUT III.

De Commercio Angelorum Cum Hominibus.

ARTICULUS I.

DE COMMERCIO ANGELORUM BONORUM CUM HOMINIBUS.

THESIS. **Angeli boni in custodiam hominum deputantur.**

Hoc generaliter intellectum *de fide* est, utpote manifestum ex Scriptura et ordinario magisterio Ecclesiae.

Probatur: I. E Scriptura. Ps. 90, 11: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* etc. Sermo est de eo, qui habitat in adiutorio Altissimi (v. 1.). — Matth. 18, 10: *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis! Dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* — Act. 12, 15: *Illi* (multi congregati in domo matris Ioannis Marci, v. 12) *autem dicebant: Angelus eius* (Petri) *est.* — Hebr. 1, 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?*

II. E Traditione et persuasione ac praxi Ecclesiae. 1. *Ss. Patres* illud aperte docent.

Origenes [1]: « Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione positum: esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam ». — *S. Hilarius* [2]: « Praeesse angelos absoluta auctoritas est ». — Et [3]: « Angeli praesunt pusillorum fidelium orationibus ». — *Chrysost.* [4]: « Hinc manifestum est, quia omnes Sancti angelos habeant ». — *Aug.* [5]: « Si (is), vel cui praebendum est vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae, recte proximus dicitur, manifestum est hoc praecepto, quo tenemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est ».

2. *Festum* angelorum custodum a saec. 11. in universa Ecclesia est celebratum.

III. Ratione congrua. Angelos deputari ad custodiendos homines congruit: 1. *Deo*, qui licet omnia efficere possit per se, tamen plurima efficere solet per causas intermedias; 2. *angelis*, qui tam potentes sunt, ut hominibus succurrere possint, et tam boni, ut iis succurrere velint, praesertim cum hi destinati sint ad constituendam cum illis unam societatem coelestem; 3. *hominibus*, qui ob imperfectionem cognitionis suae et potentiae etc. in multis auxilio indigent.

Traditiones gentium de geniis etc. merito haberi possunt reliquiae revelationis primitivae.

---

[1] De princ. praef. n. 10.
[2] In Ps. 137.
[3] In Matth. 18, n. 5.
[4] Hom. 59. in Matth. n. 4.
[5] De doctr. Christ. l. 1, c. 30.

Determinatio et explicatio doctrinae de custodia angelorum.

I. *Quoad eos, quibus angeli custodes sunt assignati.*

Singuli angeli custodes a Deo assignantur

1. iuxta sententiam certam singulis *fidelibus;*

2. iuxta sententiam communem etiam singulis hominibus *infidelibus.* — Secundum hanc igitur sententiam quilibet homo angelum custodem habet, idque a nativitate usque ad mortem;

Iam s. Hieronymus dicit[1]: « Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum ». — Sensus fidelium apparet in formula precandi: Angele Dei, qui custos es mei etc.

3. iuxta opinionem probabilem *regnis* aliisque communitatibus insignioribus.

Haec opinio quoddam fundamentum habet in libro Dan. Legitur enim ibi 10, 13: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi* (i. e. angelo, qui Danieli apparuit et oplavit, ut Iudaei in patriam reverterentur) *viginti et uno diebus; et ecce Michael, unus de principibus primis, venit in adiutorium meum.* — Et 10, 20: *Cum ego egrederer, apparuit princeps Graecorum veniens.* — Et 10, 21: *Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael, princeps vester.* — Ex quibus verbis haud immerito colligitur S. Michaelem olim fuisse angelum custodem synagogae. Idem iuxta communem sensum fidelium nunc est angelus custos Ecclesiae. Legitur enim Apoc. 12, 7: *Et factum est proelium magnum in coelo: Michael et angeli eius proeliabantur cum dracone.*

Nonnulli theologi, in his Suarez, insuper arbitrantur singulis personis publicis, ut pontificibus, regibus etc. praeter angelos, qui eos ut personas privatas custodiunt, ratione muneris ipsorum assignari alios angelos custodes, fortasse ad chorum archangelorum pertinentes.

Nota. Admitti potest angelos ordinum superiorum ad custodiendos homines non mitti ordinarie, sed tantummodo extraordinarie (Tob. 12, 15. Is. 6, 6. Dan. 12, 1). Eos numquam missos esse vel mitti, ut docebant scholastici nixi auctoritate Pseudo-Dionysii, contrariatur s. Scripturae, sc. locis modo citatis et Hebr. 1, 14: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?*

II. *Quoad ea, quae angeli custodes clientibus suis praestant.*

[1] In Matth. 18, 10.

Obsequia, quae angeli custodes clientibus suis praestant, secundum doctrinam Patrum et theologorum praesertim haec sunt:

1. Pro iis *orant* vel eorum orationes etc. intercessionibus suis commendant.

2. *Incitant* ab bonum et *arcent* a malo, idque *a)* cogitationes bonas suggerendo connaturaliter per hoc, quod agunt in phantasiam et ita ex parte obiectiva cogitationes excitant), — *b)* memoriam bonorum propositorum etc. revocando, — *c)* occasiones boni faciendi suppeditando et occasiones mali perpetrandi vel pericula animae avertendo etc.

3. *Liberant* a vel e periculis corporis, monendo ut evitentur etc.

4. *Cohibent* daemones, ne noceant sive in spiritualibus sive etiam in temporalibus, eos impediendo, quominus nimium ad malum sollicitent etc.

ARTICULUS II.

DE COMMERCIO ANGELORUM MALORUM CUM HOMINIBUS.

THESIS I. **Angeli mali homines ad peccandum sollicitant.**

Est *de fide*, utpote manifestum ex claris Scripturae testimoniis et ex ordinario magisterio Ecclesiae.

Explicatur: 1. Angeli mali seu daemones ad peccandum sollicitare possunt et mediate et immediate; mediate: per agentia externa, praecipue perversos homines, quos ad alios sollicitandos instigant; immediate seu per se ipsos: aut extrinsecus aut intrinsecus; extrinsecus: apparendo in aliqua forma visibili etc., id quod raro occurrit; intrinsecus: agendo in facultates hominis inferiores, ut phantasiam etc. (non immediate in facultates superiores, intellectum sc. et voluntatem), id quod frequenter evenit.

2. Non oportet credere omnes hominum tentationes instigantibus daemonibus oriri; et ii, qui id credunt, modum omnino excedere videntur. Nec oportet, quamvis liceat, iis theologis assentiri, qui putant daemones illis omnibus tentationibus, quae absque eorum sollicitatione ortae sunt, se immiscere easque promovere, ita ut daemones in omnibus hominum tentationibus

aliquo modo suas habeant partes. Hoc enim neque ex revelatione sufficienter potest probari neque congruit cum experientia, cum non desint, qui inordinatos motus quam celerrime reprimant, ita ut hos promovendi vix sit occasio.

3. Pariter non oportet, licet tamen cum Suarez admittere diabolum cuilibet homini unum ex angelis malis ad eum tentandum assignare, sicut e contrario Deus cuilibet homini assignat unum ex angelis bonis ad eum custodiendum.

Probatur: I. E Scriptura. 1. *Dictis.* Eph. 6, 11. 12: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non* (solum) *est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed* (etiam) *adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus.* — 1. Petr. 5, 8. 9: *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide.*

2. *Factis.* A daemone seducti esse dicuntur: Eva (Gen. 3, 1); David (1. Paral. 21, 1. *Consurrexit autem Satan contra Israel et concitavit David, ut numeraret Israel*); ipse Christus (Matth. 4, 1: *Tunc Iesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo*); Iudas (Io. 13, 2: *Et coena facta, cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae*); Ananias (Act. 5, 3: *Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto* etc.).

II. E Traditione et mente Ecclesiae. 1. *Ss. Patres* fideles de tentationibus diaboli frequenter instruunt. 2. *Ecclesia* fideles contra daemonum tentationes orationibus et sacramentalibus tuetur.

Thesis II. Fieri potest infestatio daemoniaca.

Est *fide certum.*

Explicatur: 1. Sensus thesis est: Daemones homines afflicere possunt malis physicis.

2. Ut daemones id possint, necessaria est specialis permissio divina, quae, si quando datur, datur ut homines aut puniantur pro commissis peccatis aut exerceantur vel promoveantur in virtutibus etc. — Potest quoque dari divinum mandatum.

Probatur: I. E Scriptura, et quidem 1. ex historia *Iob*, cuius bona fortunae diabolus perdidit, cuius famulos et filios occidit (cap. 1.), cuius corpus ulcere pessimo percussit (2, 7); — 2. ex historia *Tobiae* (3, 8), in qua narratur daemonem occidisse septem viros Sarae, filiae Raguelis.

II. E Traditione et mente Ecclesiae, quae apparet ex huius precibus et benedictionibus, e. g. aquae et salis.

Thesis III. **Fieri potest obsessio vel possessio daemoniaca.**

Est *fide certum.*

Explicatur: 1. Possessio daemoniaca tunc habetur, quando daemon in corpore hominis habitat eiusque membris ac viribus physicis tamquam suis utitur. Illi, qui a daemone ita sunt correpti, vocari solent energumeni vel daemoniaci.

2. Possessio olim communiter vocabatur et adhuc ab aliquibus vocatur obsessio, eademque ab his tum solum vocatur possessio, si daemon tam plenum dominium energumeni obtinet, ut in eo omnis fere libera actio cesset.

3. A possessione distinguitur circumsessio, quae nunc ab aliquibus vocatur obsessio, et quae habetur, si daemon in homine non residet, sed eum extrinsecus omni ex parte cingit ac vexat.

4. Daemon in facultates hominis superiores, intellectum sc. et voluntatem directe agere numquam potest; potest tamen phantasiam perturbare etc. viresque corporales valde augere etc.

5. Ut possessio etc. daemoniaca fieri possit, requiritur specialis permissio divina, quae ad varios fines obtinendos potest dari, sc. ad homines aut pro peccatis puniendos vel emendandos, ad malitiam daemonum manifestandam, ad veritatem religionis Christianae demonstrandam etc.

Probatur: I. E Scriptura. Matth. 10, 1: *Et convocatis duodecim discipulis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.* — Luc. 4, 41: *Exibant autem daemonia a multis clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* — Luc. 8, 30: *Interrogavit autem illum* (daemonem) *Iesus dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Le-*

gio; quia intraverant daemonia multa in eum. — Matth. 12, 26. 27: *Et si satanas satanam eiicit, adversus se divisus est. Quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eiicio daemones, filii vestri in quo eiiciunt?*

Iuxta hos aliosque locos: 1. Diserte *distinguuntur* daemoniaci ab aegrotis; et eiectio daemonum distinguitur a sanatione morborum. Cf. Matth. 8, 16; 10, 1. Marc. 1, 32. 34. Luc. 7, 21; 8, 2. Act. 5, 16; 19, 12.

2. Daemonibus adscribitur *scientia et loquela.* Cf. Marc. 1, 34. Luc. 4. 41.

3. Christus daemones in hominibus habitantes *alloquitur* eos increpando (Luc. 4, 41), eosque interrogando (Luc. 8, 30).

4. *Christus affirmat* se daemonia ex hominibus eiicere; sed *negat* se hoc facere per principem daemoniorum. Cf. Matth. 12, 22-28. Ergo daemonia illa non sunt quidam morbi, e. g. morbus comitialis (Epilepsie), ut rationalistae arbitrantur.

II. E Traditione et mente Ecclesiae. 1. Ex testimoniis *ss. Patrum*, ut Iustini, Irenaei, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Cyrilli Alex. fidenter provocantium ad potestatem Christianorum daemones eiiciendi.

2. Ex decretis a compluribus *conciliis* de energumenis factis, e. g. ab Eliberitano (305), Carthaginiensi IV. (398), Arausicano I. (441).

3. Ex *ordine exorcistarum* a primis saeculis in Ecclesia latina exsistente et ex *exorcismis*, qui iam in antiquis libris liturgicis habentur.

Scholion. Possessiones daemoniacae, quae nunc rarissime accidunt, tempore Christi saepissime occurrerunt, quia daemones tunc maiore furore insurrexerunt in Christum, qui eorum potentiam erat fracturus, et quia Deus illas permisit, ut potestas et auctoritas Christi magis appareret etc.

De signis possessionis daemonicae agitur in compendiis theologiae moralis et pastoralis. Cf. Noldin, de sacramentis, n. 52, 2, b. — Olfers, Pastoralmedicin, S. 128-145. — Stöhr, Pastoralmedicin, S. 363-375. — De omnibus ad possessionem daemoniacam spectantibus cf. Kirchenlexicon, B. 2, S. 514.

THESIS IV. **Fieri potest magia daemoniaca.**

Communiter tenetur. Ut Suarez censet, sine errore in fide negari non potest.

Explicatur: 1. Magia daemoniaca, quae nigra vel superstitiosa vocari solet, consistit in eo, quod ab hominibus ope daemonum ea fiunt, quae humanas facultates vel vires superant.

2. Ut haec fieri possint, necessaria est permissio divina.

Probatur: **I. E Scriptura**, in qua:

1. Aliquot *magi* commemorantur, in his *pythonissa*, quae fuit in oppido Endor, *puella* quaedam, quae fuit Philippis, praesertim *antichristus*, « *cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus* ». 2. Thess. 2, 9.

1. Reg. 28, 7: *Dixitque Saul servis suis: Quaerite mihi mulierem habentem pythonem, et vadam ad eam et sciscitabor per illam. Et dixerunt servi eius ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor... Et abiit ipse et duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, et ait illi: Divina mihi in pythone et suscita mihi, quem dixero tibi*, sc. Samuelem. — Act. 16-18: *Factum est autem euntibus nobis ad orationem puellam quandam habentem pythonem obviare nobis, quae quaestum magnum praestabat dominis suis divinando... Dolens autem Paulus et conversus spiritui dixit: Praecipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora.*

2. *Magia* fieri vetatur; et quidem divinatio sub poena gravissima lapidationis.

Deut. 18, 10-12: *Nec inveniatur in te... qui ariolos sciscitetur et observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui pythones consulat nec divinos aut quaerat a mortuis veritatem. Omnia enim haec abominatur Dominus, et propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo.* — Lev. 20, 27: *Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriatur; lapidibus obruent eos; sanguis eorum sit super illos.*

II. E Traditione et mente Ecclesiae. 1. Ex plurimis testimoniis *ss. Patrum*, ut Iustini, Tertulliani, Athanasii, Augustini, colligitur iis persuasum fuisse daemones gentilium sacris se immiscuisse, oracula edidisse, mira patrasse etc.

Scribit e. g. *Athan.*[1]: « Quando apud Graecos et ubique gentium oracula cessaverunt et in nihilum sunt redacta, nisi cum usque ad terram se manifestavit Dominus?... Veniat, qui horum experimentum capere velit, et in ipsis praestigiis daemonum et imposturis vaticiniorum et miraculis magiae utatur signo crucis ab ipsis deriso nomenque Christi invocet, et videbit eius metu daemones fugere, vaticinia tacere, magias irritas esse ».

2. A *Conciliis et Pontificibus*, ut Sixto V. (Constit. ‚Coeli et terrae') eiusmodi superstitiones non raro sunt interdictae.

---

[1] De incarn. Verbi n. 46 sqq.

Scholion. Iis omnibus, quae de commercio daemonum cum hominibus dicta sunt, non obstat, quod Christus potestatem diaboli fregit, ut ipse testatur Io. 12, 31: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Hanc enim potestatem Christus fregit, in quantum 1. pretium solvit pro peccatis nostris, quibus sub diaboli potestate sumus constituti, 2. gratias meruit et media instituit, quibus eorundem peccatorum veniam obtinere possumus, 3. varia quoque media nobis suppeditat, quibus contra insidias diabolicas nos possumus tueri, 4. religionem suam late diffudit et per eam idololatriam magna ex parte abolevit, 5. infestationes daemonum quoad suos saltem rarius permittit.

PARS TERTIA.

DE HOMINE.

CAPUT I.

De Hominis Origine et Natura.

ARTICULUS I.

DE ORIGINE PRIMORUM PARENTUM.

THESIS. **Primi parentes operatione Dei immediata sunt conditi.**

Est fide tenendum secundum Lat. IV. et ordinarium magisterium Ecclesiae (ut apparet ex catechismis, quotidiana populi instructione etc.).

Opponitur praeter alios transformistis, idque imprimis iis, qui docent totum hominem secundum corpus et animam ex brutis animalibus evolutum esse, id quod aperte est haereticum; deinde etiam iis, qui cum *Mivart* (Anglo, catholico) sentiunt animam quidem hominis a Deo esse creatam, sed corpus hominis ex bruto animali gradatim esse evolutum, donec aptum sit redditum, quod anima rationali informaretur, id quod, si forte non est haereticum, tamen est reprobandum.

Probatur: I. E Scriptura, in qua:

1. Productio *corporis viri* sic describitur Gen. 2, 7: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae;* ergo ex materia anorganica, per creationem non primam, sed secundam.

Gen. 3, 19. Tob. 8, 8. Eccle. 12, 7. Sap. 7, 1. Eccli. 17, 1. 1 Cor. 15, 47. — Deum in hac formatione usum esse ministerio angelorum gratis asseritur.

2. Creatio *animae viri* sic narratur Gen. 2, 7: *Et inspiravit in faciem eius* (hebr. in nares eius, quibus fit respiratio, quae est signum vitae) *spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* i. e. ens vivens. Sensus est: Deus animam ex nihilo produxit eamque statim coniunxit cum corpore eodem momento de limo facto, et ita factus est homo vivens.

Hinc: *a)* Spiraculum vitae proprie non est gratia sanctificans, ut quidam opinabantur, cui opinioni etiam illud s. Pauli obstat 1. Cor. 15, 45: *Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem.*

b) Anima non est orta ex Deo per emanationem, id quod etiam reiicitur verbis Zach. 12, 1: *Dicit Dominus extendens coelum et fundans terram et fingens spiritum* (Sept. πλάσσων πνεῦμα) *hominis in eo*, et verbis Vatic. sess. 3, can. 4: Si quis dixerit res finitas, tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse,.... a. s.

3. Productio *corporis mulieris* sic describitur Gen. 2, 21-23: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* — 1. Cor. 11, 8. 1. Tim. 2, 13.

Circa illa verba, quae cum Caietano non metaphorice, sed proprie sunt intelligenda, haec advertantur:

a) Sopor Adae fuit somnus *ecstaticus*. Nam vox hebr. ‚tardemah' etiam alibi, ut Gen. 15, 12 eiusmodi somnum significat, unde Septuag. ibi recte ponunt ἔκστασιν; et Matth. 19, 4. 5 verba Adae: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (Gen. 2, 24) a Christo exhibentur ut dicta a Deo, ex quo concludi debet Adam verba illa protulisse a Deo *inspiratum*, et concludi haud immerito potest eum fuisse divinitus inspiratum *in ipso sopore* propterea « quod statim post evigilationem (illa verba) prophetice locutus est ». S. Bonav. [1].

b) Costa, ex qua mulier facta est, Adae in creatione data est ultra eas, quae hominibus conveniunt, id quod theologi

[1] Tom. 2, pag. 549.

communius censent. Neque Adam inde fuit monstrosus. Nam quamvis costa illa non fuerit de perfectione eius, quatenus erat individuum, tamen fuit de perfectione eius, quatenus erat principium generis humani.

c) Eva formata est α) *ex Ada*, ut hic secundum Dei similitudinem esset principium totius generi humani; — β) *ex eius costa*, ut indicaretur mulierem esse viri nec dominam nec servam, sed sociam, intima necessitudine ei coniunctam et ut capiti suo subiectam; deinde etiam, ut figuraretur relatio Ecclesiae ad Christum.

4. De creatione *animae mulieris* in Scriptura nihil directe traditur. Dicitur tamen Gen. 1, 27: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos.* Hoc utique dici non posset, nisi femina haberet animam rationalem.

II. E Traditione, et ea quidem tam Iudaeorum quam Christianorum.

E ss. Patribus scribit e. g. s. *Irenaeus*[1]: « Sumpsit Deus limum de terra et formavit hominem. Et quidem multo difficilius est et incredibilius ex non exsistentibus ossibus, nervis et venis et reliqua dispositione, quae est secundum hominem, facere ad hoc, ut sit, et quidem animalem et rationalem facere hominem, quam, quod factum est et deinceps in terram est resolutum, rursus redintegrare ». — *S. Chrysostomus*[2]: « Ille formatus est de pulvere susceptus, inspiratus spiraculo vitae, factus est in animam viventem... Cogita, obsecro, formationis ordinem et expende tecum, quis esset ille, antequam inspiraretur a Domino spiraculum vitae et fieret in animam viventem: inanis nempe imago, operatione carens et ad nihil utilis ». — *S. Augustinus*[3]: « Etsi de terrae pulvere Deus finxit hominem, eadem terra... omnino de nihilo est; animam de nihilo factam dedit corpori, cum factus est homo ».

Scholion I. *Transformismum* illum, quem docuit *Mivart*, non posse admitti patet ex eo, quod non plene concordat cum verbis Scripturae, idque 1. iis, quae spectant ad *terminum* productionis primi hominis. Nam iuxta Gen. 2, 7 primus homo per infusionem animae factus est ens *vivens*. Sed iuxta transformistas ante infusionem animae ens vivens iam fuit, et anima infusa non est factus nisi ens rationale; 2. iis, quae spectant

---

[1] L. 5, c. 3, n. 2.
[2] Hom. 12. in Gen. n. 5.
[3] De civ. Dei, l. 14, c. 11.

ad *nomen* primo viro impositum habita ratione productionis primae mulieris eiusque nominis. Primus enim vir appellatus est Adam, i. e. terrenus, quia ex adamah, i. e. ex limo terrae formatus est. Prima vero mulier appellata est Ischah i. e. virago (Gen. 2, 23), quia de Isch, i. e. de viro sumpta est. Sed prima mulier iuxta manifesta Scripturae verba de viro immediate est sumpta. Ergo a pari primus vir de limo terrae immediate est formatus; 3. iis, quae spectant ad *modum* productionis primi hominis, si hic modus comparatur *a)* cum modo, quo *ligna* de humo facta sunt. Nam sicut *formavit... Deus hominem de limo terrae* (Gen. 2, 7), ita *produxit... Deus de humo omne lignum* (Gen. 2, 9). Sed ligna de humo non sunt producta mediantibus diversis transformationibus, sed immediate. Ergo similiter homo de limo terrae immediate est productus. — Idem colligi potest, si modus, quo corpus primi hominis productum est, comparatur *b)* cum modo, quo corpus humanum iuxta Scripturam dissolvitur. Nam Gen. 3, 19 Deus dixit Adae: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Et Eccli. 17, 1. 2 legitur: *Deus creavit de terra hominem... et iterum convertit illum in ipsam.* Atqui homo non revertitur vel convertitur in terram percurrendo varias formas animales. Ergo nec percurrendo has formas e terra est formatus.

Praeterea huic sententiae ea omnia possunt obiici, quae generatim Darwinismo opponuntur; speciatim etiam hoc: Quid factum est de anima bruti illius propria, cum hoc informaretur anima rationali? Estne exstincta, an remansit una cum anima rationali, an in animam rationalem est conversa? Quodcunque horum statuitur, id plus minusve est absurdum.

Scholion II. De productione primorum hominum a scholasticis varia apte et concinne exponuntur, e quibus aliqua delibare iuvat.

1. *Corpus Adae* congruenter formatum esse *de materia elementari* (non de materia sublimiore, sc. aetherea seu coelesti) a s. Bonaventura sic demonstratur[1]: « Requirebat... hoc ordo hominis, sive *in se*, sive ad *creaturam inferiorem*, sive ad *creaturam parem*, sive ad *Deum finem*.

[1] Tom. 2, pag. 419.

Ordo ipsius hominis in *se ipso* hoc requirebat. Quia enim homo conditus fuit ut natus multa cognoscere, non solum cognitione intellectiva, sed etiam sensitiva, ideo debuit ei dari corpus *multiforme*, ut diversa organa diversitati sensuum deservirent ad diversa obiecta cognoscenda. Quia etiam conditus fuit in vertibilitate liberi arbitrii ut potens vivere in iustitia et mori per culpam, dari debuit etiam corpus, quod non tantum esset habile ad vivendum, sed etiam, quod posset fieri *habile ad corrumpendum* sive moriendum. Et ita ordo hominis ipsius in se requirebat, ut corpus daretur homini *multiforme* et *ad corruptionem possibile*, et ideo non coeleste, sed elementare.

Ordo etiam hominis ad *creaturam inferiorem* requirebat. Quia enim corporales naturae inferiores factae sunt, ut *deservirent* creaturae rationali..., factae sunt etiam, ut mediante illa quodam modo *perducantur in finem:* hinc est, quod debuit fieri rationalis creatura taliter composita, quod obsequium inferiorum creaturarum esset ei *utile*, et quod mediante illa creatura naturae inferiores quodam modo *perducerentur ad beatitudinem*. Et ideo, ut naturae inferiores possent homini *deservire* et in homine quodam modo *glorificari*, debuit homo non tam ex natura superiorum corporum quam ex natura elementorum constitui.

Ordo etiam ad *creaturam parem*, id est ad Angelum hoc requirebat. Sicut enim facta est una rationalis creatura prope Deum et in loco *supremo*, ut in empyreo, sic debuit fieri alia rationalis creatura in loco *infimo*, scilicet terra. Et ideo corpus eius constitui debuit ex natura tali habitationi convenienti, et ideo magis ex natura elementari quam coelesti.

Ordo etiam ad *finem* hoc requirebat. Debebat enim homo subiici, ut per humilitatem subiectionis ascenderet unde angelus ceciderat per sublimitatem elationis; et ideo debuit sibi dari corpus constitutum de natura inferiori, ut se ipsum pulverem reputans Deo per omnia subiaceret. Unde et Scriptura maluit eum dicere de *limo terrae* productum, ut ex hoc homo proficeret et ascenderet per humilitatis meritum ».

2. Homo *tum demum* creatus est, cum iam alia omnia fuerunt creata, *a)* quia omnia in mundo materiali exsistentia *propter ipsum* sunt condita, et decet prius ea parare, quae

ad usum alicuius pertinent, quam hunc introducere; — *b)* quia homo est *microcosmus* quidam seu compendium totius mundi, continens in se coarctata, quaecunque in mundo sunt sparsa; speciatim, quia est ens *corporeo-spirituale* et consequenter nexus quidam seu vinculum inter entia corporalia et spiritualia, quod tum demum produci decuit, cum entia mere corporalia et pure spiritualia iam fuere producta.

3. Protoparentes in ea conditione et statura producti sunt, quae respondet *aetati florenti*, quae nunc est circiter ab anno trigesimo usque ad annum trigesimum quintum.

ARTICULUS II.

DE ORIGINE TOTIUS GENERIS HUMANI A PROTOPARENTIBUS DUCTA.

THESIS. **Ab Ada et Eva totum genus humanum originem ducit.**

Est *dogma fundamentale*, unde pendet et dogma de peccato originali et quodammodo dogma de redemptione (Rom. 5, 12-21). Trid. sess. 5, 1-3 (D. 669-672).

Opponitur iis, qui cum Isaac Peyrerio (de la Peyrère, Gallo, Calvinista, postea converso, saec. 17.) admittunt iam ante Adam homines vixisse, qui vocantur Praeadamitae, aut simul cum Ada et Eva alios homines ortos esse, qui vocantur Coadamitae, et, ut patet pantheistis ac materialistis.

Probatur: I. E Scriptura. In libro *Genesis*, qui primis capitibus sine dubio docet originem omnium rerum et totius generis humani, diserte indicatur Adam et Evam fuisse homines primos aliorumque omnium parentes. Nam iuxta eum:

1. Ante Adam non fuit ullus homo. 2, 5: *Homo non erat, qui operaretur terram.* Terram vero hic intelligi totum terrarum orbem praeter alia patet ex verbis eiusdem versus immediate praecedentibus: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram.* Admitti enim nequit solummodo in certa regione pluviam eousque numquam fuisse, aut eandem vocem terrae in eodem versu bis positam modo significare totum orbem terrarum, modo unam solum terrae regionem.

2. Ante Evam non fuit alius homo nisi Adam. 2, 20: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius.*

3. Per Adam et Evam tota terra hominibus replenda exhibetur. 1, 28: Benedixitque illis Deus et ait: *Crescite et multiplicamini et replete terram, et subiicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus coeli et universis animantibus, quae moventur super terram.* Advertatur dici: piscibus *maris*, quo iam videtur excludi ibi sermonem esse de aliqua tantum regione.

4. Eva vocatur mater omnium hominum. 3, 20: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium.*

Sap. 10, 1: *Haec* (sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.*

Quibus verbis enuntiatur Adam esse et primum formatum (πρωτόπλαστον) et patrem orbis terrarum (κόσμου) et solum creatum (μόνον κτισθέντα).

Act. 17, 26 s. Paulus in medio areopagi de Deo dixit: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.* Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος (sanguine) πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς.

Rom. 5, 12: *Per unum hominem* (Adam, qui nominatur v. 14.) *peccatum in hunc mundum* (εἰς τὸν κόσμον) *intravit et per peccatum mors.*

II. E Traditione. Omnibus *Patribus* unitas generis humani est dogma certissimum, ex quo saepius alia dogmata deducunt.

Lactantius[1]: « Summum inter se hominum vinculum est humanitas, quod si quis disrumpit, nefarius et parricida existimandus est. Nam si *ab uno homine*, quem Deus finxit, *omnes orimur*, certe consanguinei sumus; et ideo maximum scelus putandum est odisse hominem vel nocentem ». — *S. Ambrosius*[2]: « Non de eadem terra, de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adae costa facta est mulier, ut sciremus unam in viro et muliere corporis esse naturam, *unum fontem generis humani.*

Confirmatur. « *Omnium fere populorum* traditiones eandem originis unitatem testantur. Quodsi aliqui populi dicti sint *aborigines*, id ex quadam gloriae cupidine, qua de antiquitate inter se decertabant, ortum esse videtur ». Einig[3].

---

[1] Instit. 6, 10.

[2] De parad. c. 10.

[3] De Deo creante, thes. 10.

Scholion. Contra varias difficultates huc spectantes et partim e Scriptura partim atque praesertim ex variis scientiis naturalibus, praesertim ex anthropologia allatas haec breviter dicuntur:

I. *Usque ad occisionem Abelis*, quae, ut colligi potest ex Gen. 4, 25 et 5, 3, 130 fere annis post creationem protoparentum evenit, iam *multi homines* orti esse poterant, qui utpote speciali memoria haud digni neque in genealogiis enumerantur neque aliter commemorantur. Unde Cain ad Dominum recte et vere dicere potuit Gen. 4, 14: *Ecce eiicis me hodie a facie terrae;... et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Et 4, 17: *Et* (Cain) *aedificavit civitatem.*

Gen. 4, 25: *Et peperit* (Eva) *filium vocavitque nomen eius Seth dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* — Gen. 5, 3: *Vixit autem Adam centum triginta annis, et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen eius Seth.*

II. *Matrimonia inter fratres et sorores* prima generis humani aetate necessario ineunda tunc temporis fuerunt licita. Nam non tam absolute adversantur legi naturae, ut sub nulla conditione possint esse licita.

Neque etiam certum, sed tantummodo probabile est consanguinitate in primo gradu lineae lateralis matrimonium dirimi. Cf. Lehmkuhl 2, n. 755.

III. *Antiquitas generis humani* incerta est. Nam neque constat genealogias a Scriptura exhibitas esse completas et certum est multos numeros in diversis textibus valde inter se differre.

Ab Ada usque ad nostra tempora numerantur secundum textum hebraicum c. 5900, secundum Septuag. c. 7300, secundum alios c. 7900 annorum. Palaeontologi prudentiores omnes fere nunc concedunt genus humanum non exstitisse ultra 10,000 annorum.

IV. *Existentia diversarum stirpium* (Rassen) non demonstrat omnes homines ab iisdem protoparentibus originem trahere non posse.

Nam: 1. Omnes stirpes non obstantibus variis differentiis *unam* tantum constituunt *speciem* et eam quidem *infimam*. *a)* Eas constituere unam speciem ab aliis entibus sentientibus

seu animalibus distinctam patet ex eo, quod praediti sunt facultate intelligendi et libere volendi una cum iis omnibus, quae ex illa fluunt, sensu sc. morali ac religioso, facultate loquendi etc.; uno verbo ex eo, quod sunt animalia rationalia. — *b)* Omnes stirpes constituere unam speciem infimam, seu genus humanum in plures species non esse subdivisum ex eo patet, quod in illis ea omnia inveniuntur, quae a biologis ad speciem infimam constituendam requiruntur. Etenim secundum biologos aliquis complexus individuorum viventium tum habendus est species infima, si α) omnia individua complexu illo contenta praedicta sunt determinatis proprietatibus, quae in qualibet generatione redeunt, et quae collective sumptae in individuis extra illum complexum exsistentibus numquam inveniuntur; β) si omnia individua complexu illo contenta per generationem genus suum usque in indefinitum possunt propagare.

Iam vero quantum ad α): In omnibus hominibus invenitur aequalitas tam in anatomica structura corporis quam in functionibus physiologicis. Omnibus enim est idem numerus eademque compositio ossium, musculorum, arteriarum, venarum etc. Omnibus est idem medius numerus pulsuum venarum et calor corporis, eadem circulatio sanguinis, idem medium spatium vitae etc. Omnes iisdem morbis plus minusve sunt obnoxii, ita ut nullus sit morbus, qui in una tantum stirpe inveniatur, numquam in alia etc.

Quantum ad β): Parentes ad diversas stirpes pertinentes prolem possunt edere; et haec proles iterum gaudet fecunditate, et illius proles iterum, et ita usque in indefinitum.

Et hoc quidem certissime ostendit omnes homines constituere unam speciem infimam, sicut e contrario infecunditas prolis ex coitu diversorum animalium orti haud dubie ostendit haec animalia una specie infima non contineri.

His aliisque rationibus adducti multi rerum physiologicarum et ethnographicarum periti omnes homines eiusdem esse speciei aperte docent. Ad hos pertinent e. g. in *Gallia* Buffon, Cuvier, Quatrefages; in *Germania* Alexander von Humboldt, Blumenbach, Schubert, Iohannes von Müller, Burbach, Wagner, Peschel, Ranke, Güttler; in *Russia* Baer; in *Suecia* Linné; in *Britannia* Owen.

Illi vero, qui varias species humanas statuunt, inter se non consentiunt; et variae divisiones, quas facere conati sunt, inter se conciliari non possunt.

Nota. Ex specifica unitate generis humani concludi non potest unam esse eius originem, cum Deus creare potuerit eiusdem speciei individua plura

et quoad formam diversa ad instar diversarum stirpium. Sed genus humanum unam originem habere non posset, nisi constitueret unam speciem.

2. Differentiae, quae inter homines diversarum stirpium exstant, non demonstrant eos ortum ducere a protoparentibus diversis, sed *naturaliter exortae esse possunt*, etiamsi omnes homines sint originis eiusdem. Nam naturae specificae generis humani, quod destinatum fuit ad replendam totam terram (Gen. 1, 28), principio divinitus insita esse poterat magna flexibilitas et naturalis capacitas, imo inclinatio pro varietate coeli etc. assumendi varias formas, quae, postquam semel sunt expressae, factae sunt plus minusve stabiles. Nam similiter etiam naturae individuae singulorum hominum in prima pueritia magna inest flexibilitas, cui postea succedit non minor stabilitas.

Differentiae illae facilius etiam explicari possunt, si admittitur potiores saltem ex iis iam esse ortas ante diluvium, quo tempore, ut ex longaevitate hominum tunc viventium coniici potest, rerum et hominum natura multo maioris erat virtutis atque energiae. Illud vero admitti potest, cum salva fide queat teneri aquis diluvii nec totum orbem terrarum esse obtectum nec omnes gentes esse exstinctas, sed solummodo eam partem orbis terrarum inundatam esse et eas gentes periisse, quae hagiographo erant notae.

Illud non absque positivo rationabili fundamento teneri breviter et summatim sic demonstratur:

a) Non omnia individua alicuius stirpis ea, quae huius sunt propria et peculiaria, *in eodem gradu* possident. Ita fit, ut discrimina inter diversas stirpes habita, quae magna esse videntur, si comparantur ea diversarum stirpium individua, in quibus illa sunt in gradu summo, multo minora videantur esse, si comparantur ea individua, in quibus illa sunt in gradu notabiliter inferiore.

b) Inter stirpes maxime distantes multi intersunt *gradus intermedii*, et transitus unius stirpis ad aliam est lenis atque tenuis, ita ut non raro vix assignari possit limes, quo una stirps desinat, altera incipiat.

c) Varia sunt, quae teste experientia *magnam vim exercent in mutandam figuram atque habitum corporis humani.* Inter haec eminent α) temperatio coeli et temperies aeris; β) consuetudo victus, γ) ratio vitae atque cultus.

Ad α): « Der olivenfarbige *Abessinier* wird, wenn er aus dem Hochlande in das Thal hinabsteigt, braunschwarz. Die Bewohner von *Enarea* (im

südl. Abessinien) sind in den Sumpfländern völlig schwarz und haben die Gesichtszüge und das wollige Haar der Neger, während sie in den Bergländern noch nicht so dunkel wie die Neapolitaner sind. In *Aegypten* erhält der *Europäer*, wenn er sich acclimatisirt hat, nach kurzer Zeit eine schmutzigbräunliche Hautfarbe, in *Abessinien* eine bronzefarbige, an der *arabischen Küste* eine fahle, in der *Wüste* eine hellbraune, auf den *syrischen Gebirgen* eine rothe, während das Haar seine Farbe zum Dunklern verändert, eine weichere Textur erhält und zum Krauswerden neigt. Seit der Einwanderung der angelsächsischen Rasse in *Nordamerika* bildet sich daselbst ein Menschenschlag aus,... der sich mehr und mehr dem indianischen Typus nähert. Auch die *Türken* bieten ein merkwürdiges Beispiel der Umänderung dar. Die Stämme, welche türkische Dialekte sprechen und in *Centralasien* verbreitet sind, gehören nach Körpergestalt und Gesichtszügen zum mongolischen Typus; denselben haben aber die in *Europa* und *Westasien* angesiedelten fast gänzlich verloren. — Am häufigsten wird der *Neger* als Beispiel von der Permanenz der physischen Rassentypen angeführt. Man weist daraufhin, dass in den Abbildungen auf den 3000-4000 Jahre alten Baudenkmälern Aegyptens die Negerphysiognomie bereits mit derselben Schärfe von der des Kaukasiers geschieden ist, wie heute. Die Constanz des Negertypus in *Aegypten* hat nun darin ihren natürlichen Grund, dass alle Bedingungen des Daseins heute noch ganz die nämlichen sind, wie zu jenen Zeiten, von denen die Monumente zu uns reden. Die bereits ausgebildete Rasse musste dadurch nur noch festern Halt bekommen, und man müsste im Gegentheil sich wundern, wenn die aegyptische Bevölkerung erhebliche Umänderungen erfahren hätte. In *Amerika* hingegen sind die Neger im äussern Aussehen innerhalb anderthalbhundert Jahren den Weissen bedeutend näher gerückt.

Ad β): Die *Buschmänner*, welche oft zur armseligsten Nahrung greifen müssen, zeigen in ihrer Körperbildung eine grössere Aehnlichkeit mit dem Thier, als ihre besser situirten Stammverwandten. Die im *Westen* des Felsengebirges lebenden *Indianer* gehören zu derselben Hauptabtheilung des Menschengeschlechts wie die im *Osten*. Sie stehen aber sowohl leiblich als geistig hinter ihnen zurück; ihre Hilfsquellen sind geringer, ihre Nahrung und ihre Lebensweise ärmlicher.

Ad γ): Je weiter ein Volk in der geistigen Ausbildung zurück ist, desto vollständiger steht es unter der Herrschaft der äusseren Lebensverhältnisse und der Naturumgebung. Die grosse physische Aehnlichkeit, welche dem civilisirten Europäer an den sogenannten Wilden auffällt, entspringt vorzüglich aus der mangelhaften Ausbildung geistiger Individualität. Während bei den meisten *Negerstämmen* sich mehr eine Stammes = und Hordenphysiognomie findet, als eine individuelle, sind die geistig höher stehenden *Polynesier*, insbesondere die begabten *Fidschi-Insulaner* physiognomisch fast so verschieden, als die Bewohner irgend eines europäischen Landes. *Alle roheren Völker* besitzen im Vergleich mit den civilisirten einen grossen Mund und etwas dicke Lippen». Kirchenlexicon [1].

[1] B. 4, S. 303.

d) Inter animalia, quae non solum eiusdem sunt speciei, sed etiam eiusdem originis esse merito putantur, innumerae occurrunt varietates, interdum etiam maiores iis, quae habentur in genere humano.

« Seitdem in der Botanik und der Zoologie die Lehre von der Umwandlung der Arten zu Ansehen und Einfluss gekommen ist, gilt es als erwiesen, dass alle die zahllosen Rassen unserer Hausthiere im Laufe der Zeit durch spontane und vererbte Variationen einzelner Individuen sich entwickelt haben. Über den Umfang und die Grenze der Veränderlichkeit herrscht Streit; vergleicht man aber die im Thier = und Pflanzenreich erzielten morphologischen und anatomischen Veränderungen mit den Verschiedenheiten innerhalb des Menschengeschlechts, so erreicht der Rückschluss zu Gunsten des Monogenismus fast den Werth einer erwiesenen Thatsache. Ein noch schärferer Gegensatz, als zwischen dem kohlschwarzen Neger und dem hellen Weissen, tritt uns bei den *Varietäten des Hundes, des Pferdes und des Huhnes entgegen* » Ib. [1].

e) Accedit, quod viri docti in assignando numero stirpium principalium *haudquaquam consentiunt*. Sic *Cuvier* enumerat tres, sc. caucasicam, mongolicam, aethiopicam; *Blumenbach* quinque, addendo illis americanam et malaicam; *Prichard* (Anglus) septem; *Agassiz* (Helvetius) octo; *Desmoulins* (Franco-Gallus) quatuordecim; *Morton* aliique Americani sexaginta tres.

Divisio a *Blumenbach* invecta satis communiter est recepta, quia coincidit fere cum quinque partibus orbis terrarum, quamvis alias sit imperfecta.

Etiam id est advertendum, quod inter viros doctos et incredulos alii volunt tantam esse dissimilitudinem variarum stirpium hominum, ut non possint esse eiusdem originis, alii volunt tantam esse similitudinem omnium hominum cum brutis animalibus, ut omnibus sit eadem origo.

V. « *Diversitates linguarum* quod attinet, hucusque non potuit quidem positive probari omnes linguas ex una communi radice prodiisse; sed, quo magis notitia comparativa linguarum progressus facit, ad eo minorem numerum linguarum diversitates reducuntur. Itaque in hac quoque re non solum nullum positivum argumentum contra unitatem allatum est, sed etiam plurima sunt, quae huic unitati faveant.

, Das bisher zu unserer Verfügung stehende Sprachmaterial ist zum Nachweise eines mit absoluter Nothwendigkeit anzunehmenden gemeinsamen

[1] S. 306.

Ursprunges aller Sprachen unzureichend und dürfte in Anbetracht dessen, dass die meisten Sprachen uns erst in ihrer neuesten Form bekannt sind, auch fernerhin unzureichend verbleiben, um hierin eine solche Gewissheit zu erlangen, wie dies z. B. für die ursprüngliche Einheit der indogermanischen Sprachen der Fall ist. Da es jedoch der Sprachforschung gelungen ist, einen nie geahnten Zusammenhang und gemeinsamen Ursprung für Sprachen nachzuweisen, die an und für sich betrachtet sowohl in formeller als stofflicher Beziehung ganz verschiedenartig gestaltet erscheinen: *muss man die Möglichkeit einer gemeinsamen Abstammung der übrigen aus einer unermittelten Ursprache unbedingt zugeben;* ja, da sich trotz der unübersehbaren Veränderlichkeit der Sprachen doch unter einzelnen Familien gewisse Analogien vorfinden, *wird der ursprüngliche Zusammenhang einzelner gesonderter Familien* — wie z. B. des Indogermanischen und Hamito-semitischen — *von Tag zu Tag in helleres Licht gestellt, und ist deshalb die Annahme eines gemeinsamen Ursprunges dieser wissenschaftlich nicht nur berechtigt, sondern sogar höchst wahrscheinlich*'. Giesswein, Die Hauptprobleme der Sprachwissenschaft, p. 119.

Praeterea non raro, ubi maxima apparet physiologica varietas, linguae hominum sunt intime cognatae; et e contra, ubi homines secundum physicam constitutionem simillimi sunt, linguae valde differunt...

VI. Quod dicunt *homines non potuisse ex una communi stirpe tam celeriter crescere in tantam multitudinem* neque tam brevi tempore totam terram occupare, est inanis assertio. Si enim quodlibet par coniugum sex filios gigneret, post 450 annos adessent plus quam 2000 milliones hominum. Ergo post tot millia annorum certe sine ullo miraculo nunc possunt adesse 1500 milliones. Ceterum in hac re omnes computationes sunt plane incertae, quia sub aliis et aliis conditionibus valde differt fecunditas, quae sine dubio prioribus temporibus maior fuit, quam nunc esse solet. Neque certo constat, quantum fuerit tempus, per quod humanum genus usque ad hodiernum numerum accreverit.

VII. *Geographicae vero difficultates* expansioni humani generis ex uno centro non obstant. Hoc multis exemplis ostenditur. Incolae e. g. insularum maris australis (Südseeinseln) parvis naviculis ingentia spatia maris transmigrant, et, quamvis in insulis maxime inter se remotis habitent, omnes tamen eiusdem nationis sunt. Iam multo ante Columbum homines medio aevo ex Europa in Americam venisse historice constat. Partes septentrionales Americae et Asiae tam propinquae sunt,

ut transitus ex una terra in alteram non sit adeo difficilis. Generatim cordati homines inter etnographos hodie difficultates, quae ex hac parte contra unitatem generis humani moventur, despiciunt. Si porro ex altera parte consideramus mirum illum consensum, qui inter plurimas nationes hominum exsistit quoad traditiones religiosas et vitae instituta, concedendum est ethnographiam multum suadere unitatem generis humani ». Pesch [1].

Nota. Revelationi non contrariatur putare *in stellis* habitare creaturas corporeo-spirituales, neque etiam, quamvis sine ratione, opinari cum Fabre d'Envien *in orbe terrarum* ante hoc genus humanum, quod originem trahit ab Ada et Eva, aliud degisse, quod, priusquam illud sit ortum, interierit.

ARTICULUS III.

DE NATURA HUMANA, QUATENUS EST SPIRITUALIS, SEU DE ANIMA HUMANA.

§ I. *De exsistentia animae humanae eiusque relatione ad corpus.*

PROPOSITIO GENERALIS. **Cuique homini est anima, et ea quidem una et individualis, quae corporis est forma.**

Est *de fide* partim ex ordinario magisterio, partim etiam ex definitione Ecclesiae.

Probatur thesibus specialibus.

THESIS I. **Cuique homini est anima.**

Probatur e Scriptura, secundum quam quilibet homo constat ex duabus partibus substantialibus: una inferiore, altera superiore; una corporali, altera spirituali; seu ex corpore et anima. Eccl. 12, 7: *Antequam... revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* — Matth. 10, 28 Christus dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

Scholion. Tota natura humana, quae est corporeo-spiritualis, in Scriptura vocatur caro vel caro et sanguis, in quan-

[1] Tom. 3, n. 159 - 161.

tum consideratur ut debilis et caduca aut ut peccato corrupta et concupiscentiae obnoxia.

Ps. 77, 39: *Et recordatus est* (Deus), *quia caro sunt.* — Is. 40, 6. — Gal. 5, 24: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.*

Thesis II. **Cuique homini est anima una.**

Explicatur: Anima cuiusque hominis non est gemina: una inferior, quae vocetur anima; altera superior, quae spiritus appelletur; sed est unica, id quod tenendum est contra trichotomiam *Platonis*, *Manichaeorum* ponentium (praeter corpus) unam animam malam, alteram bonam, *Apollinaristarum*, qui statuebant unam animam corpus vivificantem, alteram intelligentem et volentem, etc.

Probatur e Scriptura, in qua eadem pars superior naturae humanae modo vocatur anima (ψυχή), modo spiritus (πνεῦμα). Act. 20, 10 Paulus dixit: *Nolite turbari; anima enim ipsius* (Eutychi adolescentis, qui ceciderat de tertio coenaculo deorsum) *in ipso est.* — Luc. 8, 55: *Et reversus est spiritus eius* (filiae Jairi), *et surrexit continuo.* — Thren. 2, 12 et Baruch 2, 17; — Luc. 12, 20 et Matth. 27, 50; — Io. 12, 27 et 11, 33.

Si in Scriptura anima et spiritus coniuncte ponuntur, aut habetur figura verborum, quae vocatur congeries vel parallelismus poeticus, ut Luc. 1, 46 et 47 in cantico « Magnificat », aut forte exhibetur eadem anima sub diverso respectu (1. Thess. 5, 23. Hebr. 4, 12).

Si sermo est de ordine supernaturali, aut homo ornatus gratia sanctificante dicitur spiritualis et homo ea destitutus vel carnaliter sentiens dicitur animalis, ut 1. Cor. 2, 14. 15; aut vita terrestris vocatur animalis et vita coelestis vocatur spiritualis, ut 1. Cor. 15, 44. 49.

Thesis III. **Cuique homini est anima individualis seu sibi propria.**

Definitum est a Lat. V., quod damnavit sententiam, quae tenet animam esse unicam in cunctis hominibus, et docuit eam pro multitudine corporum, quibus infundatur, esse singulariter multiplicabilem et multiplicatam et multiplicandam (D. 621) et a Vatic. sess. 3, can. 4. edito contra pantheismum (D. 1651).

Opponitur imprimis Averrhoi et Pomponatio, qui docuerunt intellectum esse unum in omnibus hominibus et solam animam sensitivam ac vegetativam, e potentia materiae eductam, esse individuam in singulis hominibus.

Probatur e Scriptura, et quidem ex iis omnibus locis, quibus singulis hominibus tribuitur anima, quam ipsi bene aut male vivendo salvare possint aut perdere.

Sic Christus dixit Matth. 16, 26: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero* SUAE *detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* — Luc. 9, 56: *Filius hominis non venit* ANIMAS *perdere, sed salvare.* — Et 12, 20: *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam* TUAM *repetunt a te.*

THESIS IV. **Anima est forma corporis, idque per se et immediate.**

Definitum est a Concilio Viennensi (D. 409), iterumque propositum a Later. V. (D. 621) et in Brevi Pii IX. de libris Güntherianis (D. 1509).

Viennense: Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae *vere ac per se* humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae fidei inimicam praedicto sacro approbante Concilio reprobamus: diffinientes, ut cunctis nota sit fidei sincerae veritas ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit *forma corporis humani per se et essentialiter*, tamquam haereticus sit censendus.

Breve Pii IX. de libris Güntheri: Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit *vera per se atque immediata corporis forma.*

Opponitur Petro Ioanni Olivi, qui saltem putavit animam cum corpore non uniri nisi parte sensitiva, etc.

Explicatur: Secundum citatas Ecclesiae declarationes anima rationalis vere ac per se atque essentialiter est immediata forma corporis humani (non dicitur: materiae primae corporis humani). Anima igitur rationalis corpus humanum re vera informat, idque non mediante alia anima (sensitiva, somatica), sed unione sui ipsius cum corpore; et ipsa ad hanc unionem atque informationem ipsa sua natura est ordinata. Itaque anima corpori hominis dat esse humanum et agere humanum; est principium totius humanae vitae, non solum rationalis, sed etiam sensitivae ac vegetativae; anima atque corpus unita constituunt unam substantiam completam seu unam completam naturam.

Probatur quodammodo e Scriptura et e ss. Patribus: e Scriptura, quatenus haec uni eidemque subiecto tribuit actus intellectuales et sensitivos etc. (e. g. Matth. 26, 75); e ss. Patribus, qui docent animam rationalem esse principium vitae etiam sensitivae et vegetativae.

Aug.[1]: « Ab anima est corporis sensus et vita ». — *Cyrill. Alex.* hominem describit ut carnem animatam anima rationali.

Praeter ss. Patres afferri quoque possunt aliqua *Concilia* directe quidem de solo Christo loquentia, ut *Later.* a. 649. sub Martino I. habitum, quod disserit de Christi « animata intellectualiter carne » (D. 203), et *oecumenicum V.* (Cp. II.), quod can. 4. confitendum docet « unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum compositionem, i. e. secundum subsistentiam factam » (D. 175).

Nota. Quomodo anima corpus informet, ab Ecclesia non docetur; unde est quaestio pure philosophica.

§ II. *De natura animae humanae.*

Propositio Generalis. Anima humana est spiritualis et consequenter libera et immortalis.

Est *de fide* quoad omnes partes.

Animam esse *spiritualem* definitum est a Later. IV. dicente cap. 1: Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus,... qui sua omnipotenti virtute... condidit creaturam... humanam,... ex spiritu et corpore constitutam (D. 355), et iterum iisdem verbis a Vatic. sess. 3, cap. 1 (D. 1632).

Animam esse *liberam* definitum est a Trid. sess. 6, can. 5: Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in Ecclesiam, a. s. Eam vero non solum libertate a coactione, sed etiam libertate a necessitate liberam esse definitum est ab Innocentio X., qui declaravit ut haereticam hanc propositionem (tertiam) Iansenii: Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

[1] De civ. Dei l. 21, c. 3.

Animam esse *immortalem* definitum est a Later. V., quod haec habet: Hoc sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse.

Probatur propositio thesibus specialibus.

Thesis I. **Anima humana est spiritualis.**

Probatur: I. E Scriptura, in qua:

1. Anima a corpore distinguitur, imo corpori opponitur, et exhibetur ut ens altioris ordinis et maioris pretii, quam corpus.

Sap. 9, 15: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam.* — Matth. 10, 28 Christus dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

2. Animae tribuitur scientia, et illa sub hoc respectu spectata comparatur cum Deo, qui est purus spiritus.

Ps. 138, 14: *Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.* — Sap. 9, 15 (in altero hemistichio): *Terrena inhabitatio deprimit sensum* (νοῦν) *multa cogitantem.* — 1. Cor. 2, 11: *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei.*

II. E Traditione. Ss. Patres animam humanam vocant spiritualem substantiam, immaterialem et incorpoream, in qua nihil est corporale, nihil terrenum, nihil grave etc.

Eusebius [1]: « Hominis anima est rationalis et spiritualis substantia ». — *Greg. Nyss.* [2]: « Quia (anima) immaterialis et incorporea est, ideo propria sua natura actuatur et movetur ». — *Hilarius* [3]: « Nihil (anima) habet in se corporale, nihil terrenum, nihil grave ». — *Constit. Apost.* [4]: « Confitemur animam in nobis incorpoream et immortalem.

Thesis II. **Anima humana est libera.**

Probatur: I. E Scriptura. 1. *Explicite.* Gen. 4, 7 Dominus dixit ad Cain: *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male* (hebr. non bene), *statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius.* — Deut. 30, 11-20. Ios. 24, 15. Eccli. 15, 14-18: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui.*

[1] In Luc. 12, 24.
[2] De anima et resurr.
[3] In Ps. 129, n. 6.
[4] L. 6, c. 11.

Adiecit mandata et praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi. — Eccli. 31, 10. 11 dicitur de divite, qui inventus est sine macula (v. 8): *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit.* — Matth. 19, 17 et 21 Christus dixit adolescenti: *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata... Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus... et veni, sequere me.* — Matth. 23, 37. 1. Cor. 7, 37. 2. Cor. 9, 7. Philem. 14.

2. *Implicite:* Quolibet mandato et consilio, qualibet mercede et poena, qualibet laude et vituperatione, quae in Scriptura inveniuntur.

His omnibus abunde constat hominem etiam lapsum vere esse liberum, libertate sc. non solum a coactione, sed etiam a necessitate, idque et quoad actus morales atque ad salutem pertinentes.

II. E Traditione. Ss. Patres tam latini quam graeci semper docuerunt liberum esse in homine arbitrium.

Athan.[1]: « Anima libera (αὐτεξούσιος) est. Potest enim, ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari ». — *Basil.*[2]: « Hinc maxime ostenditur liberum arbitrium (τὸ αὐτεξούσιον) humanae naturae ». — *Chrysost.*[3]: « Nonne manifestum est sua quemvis voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, et naturae nostrae pravitas insita esset, neque illos puniri neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo et peccantibus supplicia proposita sunt et bene operantibus retributiones ». — *Hieron.*[4]: « Hoc est, quod tibi in principio dixeram, in nostra esse positum potestate peccare vel non peccare,... ut liberum servetur arbitrium ». — *Aug.*[5]: « Nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter iustum Dei iudicium ab omni necessitatis vinculo vindicemus ».

Nota. Aliqui Patres, qui dicunt peccato Adae liberum arbitrium periisse, loquuntur de *libertate filiorum Dei*, qua homo liber erat a peccato et concupiscentia.

---

[1] Orat. contra gentes, n. 4.
[2] In Is. 1, 19.
[3] In Gen. hom. 22, n. 1.
[4] Contra Pelag. dial. lib. 3, n. 12.
[5] Contra Faust. l. 2, c. 5.

Thesis III. **Anima humana est immortalis.**

Probatur: I. E Scriptura. Secundum Scripturae doctrinam:

1. Anima ab hominibus non potest occidi, a Deo autem potest detrudi in gehennam. Matth. 10, 28 Christus dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.*

2. Anima defuncti redit ad Deum. Eccl. 12, 7: *Antequam... revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

3. Defunctus non effugiet manum Dei. 2. Mach. 6, 26: Eleazarus dixit: *Nam etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam.*

4. Est altera vita. Nam: *a)* Christus latroni crucifixo ac moribundo promisit paradisum. Luc. 23, 43: *Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* — *b)* Christus mortuus praedicavit animabus eorum, qui tempore Noe diluvio perierant. 1. Petr. 3, 19. 20: *In quo* (spiritu) *et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca.*

5. Haec altera vita est aeterna, eaque: *a)* Obtinebitur ab eo, qui credit in Christum, et qui odit animam suam in hoc mundo. Christus enim dicit Io. 3, 16: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Et Io. 12, 25: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* — *b)* A s. Paulo vocatur domus aeterna et haereditas aeterna. 2. Cor. 5, 1: *Scimus enim, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis.* — Hebr. 9, 15: *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae hereditatis.*

6. Ii errant, qui alteram vitam negant. Sap. 2, 1-21: *Dixerunt enim* (impii) *cogitantes apud se non recte.... Non est,*

qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus, tamquam non fuerimus... cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tamquam mollis aër... Haec cogitaverunt et erraverunt; excaecavit enim illos malitia eorum.

Non obstant: *a)* Eccl. 3, 19. 20: *Unus interitus est hominis et iumentorum et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur; similiter spirant omnia, et nihil habet homo iumento amplius; cuncta subiacent vanitati, et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur.* Nam comparatio haec tantummodo fit quoad corpus. — *b)* Eccl. 3, 21: *Quis novit* (Sept: εἰδεν), *si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus iumentorum descendat deorsum?* Nam aut « novit » significat vel *videt* vel *considerat*, aut « ascendat sursum » intelligendum est de immortalitate *beata*. Si « novit » significat *videt*, verba illa intelligenda sunt de sola similitudine externa, quae est inter mortem hominum ac iumentorum; si significat *considerat*, sensus est: Quis considerat spiritum filiorum Adae [ascendere sursum]? (Ita Cornely). Explicationi, iuxta quam verba « ascendat sursum » non sunt intelligenda de immortalitate simpliciter dicta, sed de immortalitate beata illud favet, quod brevi ante, sc. 3, 17, de iudicio Dei est sermo: *Et dixi in corde meo: Iustum et impium iudicabit Deus, et tempus omnis rei tunc erit* (Ita Gietmann). — *c)* 1. Tim. 6, 16: Dominus dominantium, *qui solus habet immortalitatem*. Sensus enim est: Per se seu vi essentiae suae solus Deus est immortalis, cum immortalitas animarum pendeat a libera voluntate Dei.

II. E Traditione. « Opus non est multis testimoniis. Est enim haec doctrina *fundamentum* totius ethicae christianae universaeque oeconomiae supernaturalis. Continetur *symbolis* antiquissimis, ubi carnis resurrectio et vita aeterna, vel, quemadmodum in symbolo Athanasiano, distinctius vita aeterna et ignis aeternus enuntiatur. — *Patres* animae immortalitatem eamque naturalem profitentur, cum urgent corporis esse proprium, ut sit mortale, cum docent corpora immortalia futura per gratiam, quemadmodum spiritus sit per naturam, cum immortalitatis desiderium instinctum vocant naturalem, cum disertis verbis spiritum et affirmant et demonstrant natura esse immortalem idque omnibus notum esse. Sic, ut unus audiatur, *Irenaeus* dicit [1] omnibus *manifestum* esse *perseverare immortalia, ut puta spiritum et animam*, et esse *aliud* (sc.

[1] Adv. haer. 5, 4.

corpus), *quod non alias vivificatur, nisi illi Deus praestet*, atque illa priora vocat *natura immortalia* ». Einig [1].

Si quando Patres animae immortalitatem vel negare vel soli gratuitae Dei voluntati tribuere videntur, explicandi sunt ita, ut veram immortalitatem non dicant nisi eam, quae vel Dei sit propria, qui solus vi essentiae suae eam possidet, vel quae sit beata.

Conclusio. Ratione animae homo est imago Dei (Gen. 1, 27). Nam anima ratione spiritualitatis, libertatis, immortalitatis etc. Deum speciali modo imitatur. Corpus hominis et omnes creaturae inferiores non sunt nisi Dei vestigia.

§ III. *De creatione animae humanae.*

PROPOSITIO GENERALIS. **Singulae animae humanae immediate a Deo creantur, idque eo momento, quo cum corporibus suis coniunguntur.**

Determinatur et probatur thesibus specialibus.

THESIS I. **Singulae animae humanae immediate a Deo creantur.**

Minimum est *sententia communis*, summum est fidei proximum.

Haec doctrina, quae creatianismus vocatur, *opponitur* traducianismo seu generatianismo, tam ei, qui docet animas a parentibus traduci per semen corporale, quam ei, qui statuit illas ab his traduci per semen quoddam spirituale, sive illae statim sint rationales, sive primo sint tantummodo sensitivae et postea rationales fiant, ut Rosmini opinatus est.

Probatur: I. Quodammodo e Scriptura. Eccl. 12, 7: *Antequam... spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* — Hebr. 12, 9: *Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et verebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum...?*

Argumentum apodicticum haec verba non suppeditant, quia etiam, licet minus stricte, vera essent, si solae animae protoparentum, imo, ut teste Lombardo [2] aliqui putaverunt, sola anima Adae a Deo immediate fuisset producta.

Non obstat Gen. 12, 5 et 46, 26, quia ibi anima ponitur pro ente vivo vel homine.

[1] De Deo creante, thes. 13.

[2] L. 2, d. 18, H.

II. E Traditione.

1. *Ss. Patres* tam graeci quam latini praeter paucos, ut s. Augustinum et s. Gregorium M., qui in hac re dubii erant, creatianismum indubitanter docuerunt.

Constit. Apost. [1]: « Deus in utero hominem ex exiguo semine format, et animam ex non ente creans ipsi indit ». — *Greg. Naz.* [2]: « Anima autem Dei omnipotentis spiraculum est, extrinsecus incidens in terrestre figmentum ». — *Cyrill. Alex.* [3]: « Terrenorum hominum matres naturae ad generandum subservientes in utero quidem carnem gestant... Deus vero corpusculo modo, quem ipse novit, spiritum infundit; format enim ille spiritum hominis in illo, ut propheta ait (Zach. 12, 1). Iam alia carnis, alia vero animae est ratio. Atque licet illae terrestrium dumtaxat corporum matres fiant, non alteram tamen partem, sed totum, quod ex anima et corpore conflatur, parere dicuntur ». — *Theodoretus* [4]: Deus « et ex praestitutis corporibus animalium corpora effingit et ex iis, quae non sunt, animas creat, non cunctorum quidem viventium, sed hominum dumtaxat ».

Lactantius proposita triplici forma generatianismi hoc fert iudicium [5]; « Nihil ex his tribus verum est, quia nec ex utroque (parente) nec ex alterutro seruntur animae. Corpus enim ex corpore nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque; de animis anima non potest, quia ex re tenui et incomprehensibili (i. e. immateriali) nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subiacet ». — *Hilar.* [6]: « Anima omnis opus Dei est, carnis vero generatio semper ex carne est ». — *Ambr.* [7]: « Ex nullo homine generantur animae ». — *Hieron.* [8]: « Ex quo (Eccl. 12, 7) satis ridendi sunt, qui putant animas cum corporibus seri, et non a Deo, sed a corporum parentibus generari. Cum enim caro revertatur in terram, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum, manifestum est Deum patrem esse animarum, non homines ».

Ipse quoque s. *Augustinus* scribit ad s. Hieronymum [9]: « Unde illa de novarum animarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam (peccati originalis) non oppugnat, sit et mea; si oppugnat non sit tua ».

2. « Inter *scholasticos* nulli fuerunt, qui traducianismum docuerunt. Soli Hugo Victorinus [10] et Alexander Halens. [11] nostram

---

[1] L. 5, c. 7.
[2] In laud. virg. v. 394 sq.
[3] Epist. 1.
[4] De curat. graec. affect. serm. 4.
[5] De opif. Dei, c. 19.
[6] De Trin. l. 10, n. 20.
[7] In Eccl.
[8] In Eccl.
[9] Epist. 166, n. 25.
[10] De sacr. l. 7, c. 13.
[11] P. 2, q. 60, m. 2, a. 3.

doctrinam ut probabiliorem tantum proponunt; reliqui omnes doctores eam pro certa habent et solum dissentiunt inter se de censura, quam oppositus error mereatur ». Pesch. [1].

Petrus Lomb. simpliciter dicit [2]: *Catholica* autem *Ecclesia* nec simul ex traduce factas esse animas *docet*, sed in corporibus per coitum seminatis atque formatis infundi et infundendo creari ». — *S. Thomas* [3]: « *Haereticum* est dicere, quod anima intellectiva traducatur cum semine ». — *S. Bonav.* [4]: « Est tertius modus dicendi *catholicus et verus*, quod animae non seminantur, sed formatis corporibus a Deo creantur et creando infunduntur et infundendo producuntur ».

III. E sensu Ecclesiae. 1. *E declarationibus Summorum Pontificum. Saec. 5.* Leo M. scripsit Turribio catholicam veritatem esse Deum esse creatorem animarum. — *Saec. 11.* Leo IX. Petro episcopo symbolum proposuit, in quo dicitur: Animam... ex nihilo creatam... credo et praedico (D. 296) — *Saec. 14.* Benedictus XII. Armenis praecepit, ut damnarent errorem, qui tenet animam humanam filii propagari ab anima patris sui. — Episcopi Armeni responderunt eum errorem in Ecclesia Armenorum semper fuisse damnatum. — *Saec. 17.* Alexander VII. laudavit pietatem fidelium credentium animam B. M. V. in primo instanti *creationis* et infusionis in corpus a macula peccati originalis servatam fuisse.

2. *E decisionibus Congregationum. a) Congr. Ind.* a. 1857. damnavit librum Frohschammer, quo generatianismus defenditur. — *b) Congr. Inq.* a. 1887. confirmante Leone XIII. proscripsit 40 ex operibus Rosminianis excerptas, quarum 20. sic sonat: Non repugnat, ut anima humana generatione multiplicetur, ita ut concipiatur eam ab imperfecto, nempe a gradu sensitivo ad perfectum, nempe ad gradum intellectivum procedere.

Scholion 1. *Parentes*, quia communicant materiam ita dispositam, ut haec infusionem animae naturaliter postulet, recte vocantur parentes *hominis*.

2. Animae corporibus certo *tum* infunduntur, cum praestitutus ordo naturae id postulat. Utrum hoc sit, simul ut con-

[1] Tom. 3, n. 144.
[2] L. 2, d. 18, H.
[3] 1, q. 118, a. 2, c.
[4] Tom. 2, pag. 453.

ceptio perfecta est, ut recentiores censent, an posterius, sive corporis temperatione (Organisation) completa, ut scholastici plurimi existimabant, sive eadem inchoata, ut aliqui, in his Toletus, putabant, est quaestio theologice libera.

THESIS II. **Singulae animae humanae eo momento creantur, quo cum corporibus suis coniunguntur.**

Opponitur praeexsistentianismo, qui docet animas iam multo ante peractam unionem cum corporibus exstitisse.

Praeexsistentianismum tenuerunt Plato, Philo, Gnostici, Manichaei, Origenistae, Priscillianistae, Scotus Erigena, Kant, Schelling, ii omnes, qui admittunt transmigrationem animarum, Leibniz, qui censet omnes animas simul esse creatas et corpusculis organicis inclusas et postea cum corporibus humanis coniunctas.

De hac doctrina haec sunt tenenda:

I. *Omnis* praeexsistentianismus repugnat Lateranensi V., secundum quod animae pro corporum, quibus infunduntur, multitudine multiplicantur et *essentialiter* sunt formae corporum (D. 621); praeterea repugnat communi sententiae Patrum ac theologorum.

II. Ille praeexsistentianismus, quem docuerunt *Origenistae et Priscillianistae*, iuxta quos animae, per se puri spiritus, cum corporibus uniuntur, ut puniantur pro peccatis a se olim commissis, aperte est haereticus, utpote *damnatus a Conc. Constantinopolitano II.*

Can. 1. contra Origenem: Si quis fabulosam animarum praeexsistentiam et, quae ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, a. s. (D. 187).

Praeterea *repugnat Scripturae*, et quidem 1. verbis Gen. 1, 31: *Vidit que Deus cuncta, quae fecerat; et erant valde bona.* Quae quidem verba referuntur, postquam homo iam est creatus. Sed si anima humana esset purus spiritus et contra naturam suam in corpus humanum tamquam in carcerem esset detrusa, homo non esset ens naturale, sed violentum et consequenter non bonum, sed malum; — 2. verbis s. Pauli dicentis peccatum primum hominis commissum esse post creationem, et hoc peccato omnes homines esse infectos, etiam eos, qui propria peccata non commiserint (Rom. 5, 12 sqq.) et Iacob et Esau ante nativitatem suam nihil boni aut mali egisse (Rom. 9, 11).

III. Illum praeexsistentianismum, qui simul est *pantheisticus*, quemque docuerunt Manichaei etc., haereticum esse per se patet.

Nota. Nihil eorum, quae hoc articulo de anima humana sunt proposita, ratione est demonstratum, quia ea omnia in psychologia demonstrantur.

CAPUT II.

De hominis elevatione in statum supernaturalem.

Praenotanda.

1. Supernaturale est id, quod naturam creaturarum transcendit. Illud eam transcendit, quod non est eius sive pars sive effectus sive exigentia, seu quod neque ad constitutionem eius pertinet neque ab ea produci potest neque ab ea exigitur.

2. Supernaturale distinguitur duplex: alterum, quod transcendit naturam creaturarum *aliquarum* tantum, e. g. hominum, non angelorum; alterum, quod transcendit naturam creaturarum *omnium*, tam reapse exsistentium quam mere possibilium. Prius est et dici potest relative supernaturale, dici solet *praeter*naturale. Alterum est absolute supernaturale et simpliciter dici solet *super*naturale.

3. Praeternaturale iterum distinguitur duplex: praeternaturale quoad substantiam et praeternaturale quoad modum. Praeternaturale quoad substantiam excedit naturam creaturarum alicuius generis *ex se* seu ratione obiecti. Eiusmodi est e. g. immortalitas humani corporis. Praeternaturale quoad modum naturam creaturarum alicuius generis non superat nisi *quantum ad modum*, quo confertur. Eiusmodi est e. g. scientia per accidens infusa, quae ex parte obiecti eiusdem rationis est atque scientia acquisita.

ARTICULUS I.

DE DONIS ABSOLUTE SUPERNATURALIBUS PROTOPARENTIBUS CONCESSIS.

Praecipuum donum absolute supernaturale, quod protoparentibus collatum est et quod viatoribus conferri potest, est

gratia sanctificans, qua homo constituitur formaliter sanctus et filius Dei adoptivus atque haeres aeternae beatitudinis supernaturalis. Cum ea alia dona supernaturalia semper sunt connexa, de quibus infra in Scholio.

THESIS I. **Protoparentes gratia sanctificante ornati fuerunt.**

De fide ex Trid. sess. 5, 1: Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et iustitiam (i. e. gratiam sanctificantem), in qua constitutus fuerat, amisisse,... a. s.

Opponitur Pelagianis, Socinianis, rationalistis aliisque id negantibus.

Probatur: I. Plus minusve e Scriptura. Eccl. 7, 30: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Ex quibus verbis haec deducuntur: 1. Rectus hic intelligitur is, qui est *moraliter rectus.* Nam *a)* vocabulum hebraicum iaschar, si dicitur de personis, semper significat rectitudinem moralem; — *b)* id hic idem significare patet etiam ex contextu. 2. Moraliter rectus idem est ac *iustus*, ut apparet e. g. in Ps. 32, 1, ubi dicitur: *Exsultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.* 3. Tam rectus quam iustus in Scriptura intelligitur is, qui habet iustitiam seu sanctitatem *supernaturalem*, quae est effectus formalis gratiae sanctificantis, seu qui habet *gratiam sanctificantem.* Id potest intelligi *a) e Scriptura*, et quidem ex Ps. 7, 11: *Qui salvos facit rectos corde;* ex Ps. 139, 14: *Et habitabunt recti cum vultu tuo;* ex Cant. 1, 3: *Recti diligunt te* Deum, animarum sponsum. Nam ii soli salvi fiunt et habitabunt cum Deo et Deum ut sponsum animarum diligunt, qui gratia sanctificante sunt ornati. — *b) Hac ratione theologica.* Quia homo destinatus est ad Deum ut finem suum supernaturalem, ille solus coram Deo vere rectus est, qui habet gratiam sanctificantem, utpote qua sola ad Deum eo modo sit ordinatus.

Eph. 4, 23. 24: *Renovamini autem spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis* (i. e. vera). 1. Iustitia et sanctitas vera, quae iuxta mentem s. Scripturae est supernaturalis, est effectus formalis gratiae sanctificantis. 2. Induitio novi hominis, qui potest esse Christus vel Adam, antequam pec-

cavit, vel iustus ipse, exhibetur tamquam *renovatio*. Dicitur enim: Renovamini (ἀνανεοῦσθαι). Sed nemo stricte loquendo renovatur, nisi qui aliquando fuit novus. Ergo verbo illo stricte accepto exprimitur reditus ad pristinum statum perditum. Sed hic non potest esse alius nisi status gratiae Adae, in quo ut capite nostro aliquando fuimus homines novi. — Ita etiam aliqui ss. Patrum, ut Augustinus et Leo, hunc locum interpretantur.

Generatim iuxta mentem N. T. Christus eum statum restituit, quem Adam perdidit. Sed status, quem Christus restituit, est status gratiae. Ergo Adam hunc perdidit; ergo eum habuit. Illud esse iuxta mentem N. T. colligi solet ex variis effatis s. Pauli, in quibus occurrunt haec vocabula: *reconciliatio* (καταλλαγή, Rom. 5, 11. 2. Cor. 5, 18, 19. Col. 1, 20), *redemptio* (ἀπολύτρωσις, Rom. 3, 24. 1. Cor. 1, 30. Eph. 1, 7), *nova creatio* (καινὴ κτίσις, 2. Cor. 5, 17, quia id redditur, quod de prima creatione perierat), *renovare* (ἀνακαινοῦσθαι, 2 Cor. 4, 16. Eph. 4, 23), *instaurare* vel *recapitulare* (ἀνακεφαλαιοῦν, Eph. 1, 10), quamvis respondentia verba graeca illum sensum necessario non habeant.

II. E Traditione. 1. *E ss. Patribus* aliqui simpliciter dicunt Adam gratiam sanctificantem habuisse, ut Iren., Cypr., Cyrill. Alex.; alii asserunt a Christo eam gratiam nobis reddi, quae ab Ada sit perdita; alii aliquos Scripturae textus in hunc sensum explicant, sc. praeter Eccl. 7, 30 et Eph. 4, 23. 24 verba Gen. 1, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, aut Gen. 2, 7: *Et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae*, hoc interpretantes de gratia, ut Basilius et Cyrillus Alex.

Iren.[1] exhibet Adam loquentem: «Quoniam eam, quam habui a Spiritu Sancto, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam etc.». — *Cypr.*[2]: «Adam contra praeceptum coeleste cibi lethalis impatiens in mortem incidit nec acceptam divinitus gratiam patientia custode servavit». — *Cyrill. Alex.*[3]: «Adam erat in paradiso, servans donum et insignis divina imagine creatoris per Spiritum Sanctum inhabitantem».

Basilius[4]: «Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est, sed per peccatum anima ad vitiosas cupiditates impulsa deformavit imaginis pulchritudinem... Revertamur igitur ad gratiam initio nobis concessam, ex qua excidimus per peccatum,... ita vitae divinae similitudinem adepti et per-

[1] Adv. haer. l. 3, c. 23, n. 5.
[2] De bono patientiae, c. 19.
[3] In Io. 1, 2, c. 1.
[4] Serm. ascet. n. 1.

petuo in aeterna illa beatitudine mansuri ». Et [1]: « Dominus renovans hominem eique iterum reddens gratiam, quam *ex afflatu Dei acceptam* amiserat, cum inspirasset in faciem Apostolorum, quid ait »? — *Cyrill. Alex.* [2]: « Simul ubi creatoris ineffabilibus nutibus posita est in exsistentia hominis natura, etiam relatione ad Spiritum ornata est. Inspiravit enim in faciem eius Spiritum vitae, quia, puto, non aliter splendorem sanctitatis et domesticitatis ad Deum habere homo potest, nisi participatione Spiritus Sancti ornetur ».

2. *Conc. Araus. II.* contra Pelagianos gratiam primi hominis negantes can. 19. docet: « Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam creatore suo non adiuvante servaret. Unde cum sine gratia Dei *salutem* non possit custodire, *quam accepit*, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit? (D. 162) — Salus autem est vita supernaturalis.

Scholion. I. Protoparentes una cum gratia sanctificante acceperunt *virtutes infusas*, tam theologicas quam morales, et *dona Spiritus Sancti*, quibus ut viatores rite disponebantur ad finem supernaturalem prosequendum. Respectu illarum virtutum haec sunt advertenda:

1. Quia protoparentes habebant fidem, iis, vel directe soli Adae, per locutionem Dei sive internam sive externam, sive immediatam sive mediatam (factam per angelum) *revelata sunt* obiecta, quae debebant credere, inter quae *certe* erant Deus ut eorum finis supernaturalis et remunerator in ordine supernaturali, *probabilius* mysterium ss. Trinitatis et exsistentia angelorum, *forsitan* angelorum lapsus et incarnatio Verbi, praesertim, si haec independenter ab Adae peccato fuisset futura.

2. Eae virtutes morales, quae includunt *imperfectionem* perfectioni status protoparentum repugnantem, ut misericordia et poenitentia, in iis non erant quoad actum, poterant tamen esse et secundum s. Thomam re vera erant quoad habitum. Protoparentes enim sic dispositi esse poterant, ut, si miseriam vidissent, eam repellerent etc.

II. Primi parentes *augmentum* gratiae sanctificantis *certe* de condigno mereri potuerunt, *verisimiliter* reapse meriti sunt. Nam praeceptum, quo vetabantur comedere de ligno scientiae

[1] De Spir. S. c. 16, n. 39.
[2] De Trin. dial. c. 4.

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

boni et mali, libere acceptarunt et propositum habuerunt illud observandi etc.

III. Secundum opinionem s. *Thomae*, quae nunc communis fere est, protoparentes gratiam sanctificantem una cum donis annexis acceperunt *in ipso instanti creationis*. In cuius opinionis favorem hae rationes congruae solent afferri, quae desumuntur:

1. *Ex parte aliarum creaturarum*. Omnes creaturae ab initio sunt in statu tam perfecto, ut finem suum possint attingere. Atqui primi homines destinati erant ad finem supernaturalem, et hunc sine gratia sanctificante assequi non poterant. Ergo suadetur eos hanc iam initio accepisse.

2. *Ex parte progeniei protoparentum*. Si Adam non peccasset, omnes eius posteri iuxta sententiam communem in ipso instanti creationis animarum gratiam sanctificantem fuissent accepturi. Ergo idem protoparentibus ipsis concessum esse videtur.

Petrus Lombardus tamen, *Halensis, s. Bonaventura, Scotus* censent protoparentes paulo *post* creationem (post primum instans) gratiam sanctificantem accepisse, postquam actibus liberis auxilio gratiae actualis elicitis ad eam suscipiendam se disposuerint.

THESIS II. **Gratia sanctificans est donum absolute supernaturale, et Adae etiam ut capiti totius generis humani est concessa.**

Pars I. patet ex damnatione prop. 21. Baii et 35. Quesnelli, qui putabant gratiam sanctificantem lapsae quidem naturae indebitam esse, insonti tamen naturae esse debitam.

Prop. 21. Baii: Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis (D. 901).

Prop. 35. Quesnelli: Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae et integrae (D. 1250).

Probatur: Homo per gratiam sanctificantem est *filius* Dei adoptivus et heres bonorum, quae Dei ipsius propria sunt. Legitur enim Rom. 8, 16. 17: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, et heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur*. Sed homo, utpote creatura, naturaliter est Dei *servus* et a bonis Dei propriis alienus.

Pars II. patet ex Trid. sess. 5, 2, ubi definitur Adam sanctitatem et iustitiam non solum sibi, sed etiam nobis perdidisse. Sed si Adam eam nobis i. e. generi humano perdidit, eam habuit non solum ut homo privatus, sed etiam ut caput totius generis humani.

Trid. sess. 5, 2: Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non eius propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse,... a. s.

ARTICULUS II.

DE DONIS RELATIVE SUPERNATURALIBUS PROTOPARENTIBUS CONCESSIS.

Dona relative supernaturalia seu praeternaturalia, quibus protoparentes ornati erant, fuerunt integritas, immortalitas corporis, felicitas, quae etiam ad posteros transmittendae erant, scientia infusa, quae iis erat propria.

THESIS I. **Protoparentes donati sunt integritate.**

Explicatur: 1. Integritas protoparentum, quae etiam donum integritatis seu rectitudinis vocatur, erat immunitas *a concupiscentia* (inordinata) seu ab appetitu sensitivo inordinato seu a fomite peccati, qui et simpliciter appellatur fomes. Eius *obiectum* principaliter sunt bona vel mala sensibilia, illa prosequenda, haec avertenda; deinde sunt etiam alia terrena, ut honores etc. *Inordinatio* fomitis consistit in eo, quod hic non perfecte subiectus est voluntati rationali, ita ut moveatur ante vel contra vel ultra huius imperium, imo permissionem.

2. *Modus*, quo primi homines a fomite peccati erant immunes, sic potest explicari: Protoparentes a Deo acceperunt habitus per accidens infusos, quibus ratio disponebatur ad recte iudicandum, voluntas ad prompte sequendum iudicium rationis, appetitus sensitivus ad perfecte obediendum imperio voluntatis.

Probatur e Scriptura et sensu Ecclesiae. Gen. 2, 25: *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet et uxor eius, et non erubescebant.* — 3, 7: *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata.* — 3, 10. 11: *Qui* (Adam) *ait: Vocem tuam audivi in paradiso et timui, eo quod nudus*

essem, et abscondi me. Cui dixit (Deus): *Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?* — Primi igitur homines, cum nudi fuerint, ante lapsum non eruberunt; sed post et, ut Deus innuit, propter lapsum eruberunt. Pudor autem est sequela inordinationis seu rebellionis appetitus sensitivi.

Rom. 7, 8: *Occasione autem accepta* (ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα = occasionem autem accipiens) *peccatum* (i. e. concupiscentia) *per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam* (ἐπιθυμίαν = cupiditatem, quae nititur in vetitum). Sed iuxta Trid. sess. 5, 5 concupiscentia vocatur peccatum, quia *ex peccato est* et ad peccatum inclinat. Si autem est ex peccato, ante peccatum non fuit. Ergo primi homines, antequam peccaverunt, a concupiscentia erant immunes.

Dicit *Trid.*: «Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam catholicam unquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat.

Quod attinet ad *ss. Patres,* haec doctrina maxime defenditur a s. Augustino contra Pelagianos; in Oriente praecipue proponitur a ss. Chrysostomo et Ioanne Damasceno.

Thesis II. **Protoparentes donati sunt immortalitate corporis.**

Explicatur: Immortalitas protoparentum erat immunitas *a necessitate moriendi.* Dicitur: a necessitate moriendi, quia non erat impossibilitas moriendi, quae corporibus glorificatis competit, sed possibilitas non moriendi, sive naturaliter, sive violenter.

1. *Mors* (naturalis) arcebatur *a)* alimentis *communibus,* quibus vires reficiebantur (Gen. 2, 16); — *b)* fructu ligni seu *arboris vitae* (Gen. 2, 9; 3, 22), quo debilitas senii arcebatur, idque virtute eius aut *naturali,* ut plerique censent, aut supernaturali, ut pauci censent, in his praesertim s. Bonaventura; aut per esum semel factum, ut Bellarminus sentit, aut probabilius per esum *saepius* factum, ut s. Thomas sentit.

2. *Nex* (violenta) arcebatur *a)* per *propriam* sapientiam et diligentiam; — *b)* per specialem divinam *providentiam,* verisimiliter adhibitis angelis custodibus.

Probatur: I. E scriptura. Gen. 2, 17: *In quocunque enim die* (= si aliquo die) *comederis ex eo* (ligno scientiae boni et

mali), *morte morieris*. Ergo e contrario, si non comederis ex eo, morte non morieris. — Sap. 2, 23. 24: *Deus creavit hominem incxterminabilem.... Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* — Rom. 5, 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors*. Si igitur per unum hominem, sc. Adam, peccatum in hunc mundum non intrasset, nec mors in eum intrasset.

II. E Traditione. 1. *Ss. Patres* id diserte docuerunt.

Theophil. Antioch. [1]: « Homo sua inobedientia mortem sibi adscivit ». — *Cypr.* [2]: « Nam cum in illa prima transgressione praecepti firmitas corporis cum immortalitate discesserit et cum morte infirmitas venerit,... oportet in hac fragilitate atque infirmitate luctari semper et congredi ». — *Aug.* [3]: « Illud (corpus protoparentum) quippe ante peccatum et mortale secundum aliam et immortale secundum aliam causam dici poterat... Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus; aliud autem est posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae; a quo ligno separatus est, cum peccasset, ut posset mori, qui, nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris ».

2. Plura *Concilia* id declaraverunt.

Milevit. II. can. 1.: « Quicunque dicit Adam, primum hominem, mortalem factum, ita ut, sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, a. s. » (D. 65). — *Araus. II.* can. 2. contra Semipelagianos definivit non mortem corporis tantum, quae poena peccati sit, sed etiam mortem animae ab Ada in omnes homines transiisse (D. 145). — *Trid.* sess. 5, 1 declaravit Adam per praevaricationem suam incurrisse mortem.

Thesis III. Protoparentes donati sunt felicitate.

Explicatur et probatur: Felicitas protoparentum, prout ab aliis tribus donis distinguitur, complectebatur impassibilitatem, habitationem in paradiso, perfectum dominium animalium.

1. *Impassibilitas* erat immunitas a necessitate patiendi mala physica, sive animae sive corporis, cuiusmodi sunt sollicitudines, aerumnae, dolores, infirmitates, morbi etc. Ab aliquibus impassibilitas reducitur ad donum immortalitatis, ad quod

[1] Ad Autol. l. 2, c. 27.
[2] De bono pat. n. 17.
[3] De Gen. ad litt. l. 6, c. 25, n. 36.

quantum ad ea mala, quae nata sunt ad afferendam mortem vel necem, ut sunt morbi et vulnera, haud dubie pertinet. Mala illa physica, similiter ac nex, partim propria hominum sapientia et diligentia, partim speciali divina providentia arcebantur.

De hac impassibilitate aliisque bonis cum ea connexis scribit s. *Augustinus*[1]: « Vivebat itaque homo in paradiso... sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, ita in eius habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta; atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum ».

2. *Paradisus* erat hortus voluptatis a Deo in Eden, i. e. in regione amoenissima, plantatus. Adam, extra paradisum formatus, in eo est positus, ut eum operaretur labore facili atque iucundo.

Gen. 2, 8: *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis* (hebr. in Eden = deliciae) *a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* — 2, 15: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum* (i e. custodiret illum sibi — observando divinum praeceptum).

Congruum fuit Adam formari non in paradiso, sed extra eum, ut magis sentiret habitationem in ea sibi non esse debitam, sed ex mera gratia concessam. — Decuit autem hominem in eo poni, ut amoenitas exterioris habitaculi responderet perfectioni et deliciis interioribus animae; deinde etiam, ut per eiectionem e loco voluptatis in poenam peccati factam, quam Deus ab aeterno praevidit, sensibiliter cognosceret, quanta bona spiritualia per culpam amisisset. — S. Bonav.[2].

Ubi paradisus fuerit, non omnino constat. Quantus vero fuerit, et utrum adhuc alicubi exsistat, ut olim putabant theologi plurimi, etiam ss. Thomas et Bonav., an interierit, forsitan diluvio, plane ignotum est.

Iuxta sententiam probabiliorem paradisus erat in ea regione, quae nunc est *Armenia*. *Kaulen* dicit[3]: « Nach allem diesem ist das Quellgebiet des

[1] De civ. Dei, 14, 26.

[2] Tom. 2, pag. 427.

[3] Kirchenlexikon, B. 9, 1460.

Euphrat und des Tigris, des Aras und des Kur der erste Aufenthalt des Menschen auf Erden gewesen. Eden war, wo jetzt Armenien ist, und in Armenien lag das Paradies. Diese Stelle der Erde war durch ihre Lage besonders geeignet, den *Ausgangspunkt zur Bevölkerung der Erde* zu bilden. Einige Tiefthäler von Armenien bieten noch heute alle Lebensbedürfnisse in so *verschwenderischer Fülle*, dass die Behauptung der Eingeborenen, in einem derselben sei das Paradies gewesen, auch von wissenschaftlichen Forschern als annehmbar bezeichnet wird. Mehr aber noch als die heutige spricht die von den Geologen ermittelte *frühere Beschaffenheit des Landes* für jene Annahme. Armenien war vor der letzten Flut eine Insel oder Halbinsel, welche sich terassenförmig aus jetzt trocken gelegten Meeren erhob, und deren mildes Seeklima dem Menschen alle Bedingungen zu einem glücklichen Dasein erfüllte ».

3. *Perfectum dominium animalium*, i. e. non solum illud dominium, quod homini est naturale, sed dominium, quod perfectione huic longe antecellit, videtur innui verbis Gen. 1, 26: *Et praesit* (homo) *piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis universaeque terrae omnique reptili, quod movetur in terra;* et a Patribus ac theologis communiter admittitur.

Dicit e. g. *s. Bonav.*[1]: Animalia « secundum statum innocentiae ordinantur ad hominem... ad manifestandum eius imperium, quod manifestarent, dum *ei per omnia obedirent* ».

Thesis IV. **Protoparentibus scientia est infusa.**

Explicatur: 1. Scientia rerum naturalium protoparentibus infusa *quoad essentiam* eiusdem rationis fuit, ac scientia est, quae a nobis acquiritur, unde et vocatur per accidens infusa. *Quoad ambitum* fuit tanta, quanta primos hominum parentes decuit; non fuit tanta, ut in ea proficere non potuerint. Perfectior fuit in Ada, omnium hominum capite et rectore, quam in Eva.

2. Secundum doctrinam scholasticorum protoparentes per scientiam illam infusam cognoverunt eas res, quantum ad genera et species, quas homines *ope sensuum* possunt cognoscere. Inde tamen concludendum non est primos homines scivisse ea omnia, quae ab hominibus ope instrumentorum artificiosorum postea cognita sunt, cuiusmodi sunt infusoria, distantia ac magnitudo astrorum etc.

3. Iuxta plurimos scholasticos homines ante lapsum non fuerunt obnoxii *errori* inculpabili; certe vero, ut patet, culpabili.

[1] Tom. 2, pag. 383, concl. 3.

4. Secundum eos Patres, qui de hac re loquuntur, sc. ss. Greg. Nyss. et Aug. homines natura duce produxerunt primam *linguam*, cuius vocabula erant signa magis naturalia seu minus arbitraria, quam nostra.

Probatur: I. **E Scriptura.** 1. Generatim. Eccli. 17, 5. 6: *Disciplina intellectus replerit illos* (primos homines Deus); *creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et mala et bona ostendit illis.*

2. Etiam speciatim quoad productionem primae linguae. Gen. 2, 19. 20: *Omne enim, quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen eius. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia et universa volatilia coeli et omnes bestias terrae.* Ex eo, quod dicitur: ipsum *est* nomen eius, et appellavit cuncta animantia nominibus *suis*, haud immerito colligitur nomina ab Ada cunctis animantibus imposita horum naturis congruentia fuisse. Sed notitia ad hoc requisita ab Ada per experientiam non est acquisita; ergo ei est infusa.

II. **E Traditione.** Ss. Patres illud testantur.

Chrysost.[1] dicit Adae ineffabilem sapientiam a Deo esse suppeditatam. — *Cyrill. Alex.:*[2] « Auctor ille nostri generis, Adam, non in tempore, sicut nos, sapientiam videtur consecutus, sed in primo statim ortus sui initio perfecta intelligentia praeditus cernitur, dum acceptam divinitus illuminationem illibatam in se ipso conservaret et integram naturae suae retineret dignitatem ».

Scholion. Recordatio felicissimi status primorum hominum habetur in mythis populorum *de aurea aetate.*

Thesis V. **Integritas, immortalitas corporis, felicitas, scientia per accidens infusa sunt dona praeternaturalia.**

Probatur: Ipsa nec dona absolute supernaturalia sunt, nec dona naturalia; ergo sunt dona relative supernaturalia seu praeternaturalia.

1. Ea *non sunt dona absolute supernaturalia*, quia non transcendunt naturam omnium creaturarum. Nam: 1. Exsistunt creaturae, quibus e. g. immortalitas naturalis est. 2. Illud solum naturam omnium creaturarum potest transcendere, quod creaturam elevat ad ordinem divinum, quod sc. aut intuitivam Dei

[1] Hom. 15. in Gen. n. 4.
[2] In Io. l. 1. c. 9.

cognitionem constituit aut ad eam positive disponit. Atqui dona illa praeternaturalia cognitionem intuitivam Dei neque constituunt neque ad eam positive disponunt, seu creaturam ad ordinem divinum non elevant. Ergo non sunt dona absolute supernaturalia.

Quia absolute supernaturalia seu supernaturalia simpliciter dicta non sunt, ab aliquibus veteribus vocata sunt naturalia.

II. Dona illa *non sunt naturalia* seu naturae debita. Constat quoad integritatem et immortalitatem ex damnatione contrariarum propositionum Baii 26. et 78.; quoad impassibilitatem deduci potest ex damnata propositione 73. eiusdem Baii.

Prop. 26. Baii: Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio. — Prop. 78: Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio. — Prop. 73: Nemo praeter Christum est absque peccato originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut et aliorum iustorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis. (D. 906, 958, 953). — Quodsi omnes afflictiones iustorum non sunt ultiones peccati sive actualis sive originalis, utique sunt naturales; ergo immunitas earum seu impassibitas est praeternaturalis.

Praeterea cognoscitur ratione. Nam quod ad integritatem attinet, homo, quia duplicem habet appetitum, sensitivum et rationalem, seu inferiorem et superiorem, naturaliter appetit bona duplicis ordinis. Haec autem diversa bona frequenter invicem sunt opposita. Unde in homine connaturaliter oriuntur motus oppositi, et gignitur lucta inter appetitum inferiorem et superiorem. — Quoad alia dona praeternaturalia simili modo probatur.

Scholion I. De vocabulis statui supernaturali protoparentum impositis. Totus felicissimus status, in quo primi homines ante lapsum fuere, vocatur status *innocentiae*. A plerisque etiam appellatur status *iustitiae originalis* vel iustitia originalis, ab aliquibus status *naturae elevatae*, ab aliquibus status *naturae integrae*. Sed ab aliis omnis status gratiae sanctificantis status naturae elevatae vocatur; et status, qui non complectitur gratiam sanctificantem, sed dona praeternaturalia, quique iuxta plerosque numquam, iuxta Lombardum etc. paulisper exstitit, status naturae integrae appellatur; unde secundum hos status innocentiae est connexio status naturae elevatae et status naturae integrae.

Scholion II. De conditione seu qualitate status innocentiae, praecipue si perdurasset, haec advertantur:

I. *Generatim* licet sentire ordinem mundanum *extra paradisum* ab initio eum esse constitutum, qui accommodatus sit ad conditionem generis humani *lapsi*. Quod si forte factum sit, congruens fuit cum sapientia Dei, qui lapsum protoparentum ab aeterno praevidit.

II. *Speciatim* extra paradisum iam ante lapsum primorum hominum fuerunt animalia *carnivora et mortifera*, hominibus tamen innocentibus haud infesta.

III. *Si Adam non peccasset*, hic fuisset status rerum:

1. *Terra* supernaturali virtute Dei et facili labore hominum probabilius saltem maiore ex parte e paradiso egressorum (Gen. 1, 28) culta et *paradiso assimilata* fuisset.

2. *Homines multiplicandi* fuissent eodem modo, quo nunc multiplicantur, remotis tamen inordinata libidine, doloribus etc. — *Matrimonium* virginitati praestitisset. — *Infantes* expertes fuissent usus rationis, et ex conditione infantili ad statum perfectum fuissent educandi.

3. Homines fuissent *praediti* ingenio acuto et docili, in eo tamen, sicut et in aliis qualitatibus, inter se *dispares*.

4. Homines *constituissent* societatem domesticam, non herilem; porro politicam simul et religiosam, atque eam bene ordinatam ac perturbationum expertem.

Scholion III. De statu naturae purae. Ex eo, quod gratia et quatuor superaddita dona humanae naturae non sunt debita, colligi potest statum iis destitutum, qui status naturae purae vocatur, esse *possibilem*, id quod etiam certum est ex damnatione contrariae propositionis Baii.

Haec [55.] propositio Baii est: « Deus non potuisset talem ab initio hominem creare, qualis nunc nascitur ». Contradictoria igitur est vera, sc. haec: « Deus potuit talem ab initio hominem creare, qualis nunc nascitur », excepto, ut patet, peccato originali. Sed status generis humani, qui, si excipias peccatum originale, talis est, qualis est status, in quo homines nunc nascuntur, est status naturae purae.

Isque status possibilis est non solum de potentia Dei absoluta, i. e. spectata sola divina potentia abstrahendo ab aliis Dei attributis, sc. bonitate et sapientia et iustitia, ut Augustinenses volunt, sed etiam *de potentia Dei ordinata*, i. e. spe-

ctatis simul cum potentia illis aliis attributis, utpote contra quae Deus agere nequeat.

In eo statu homo destinatus esset ad beatitudinem *naturalem;* obnoxius esset motibus concupiscentiae etc.; sed divina providentia ita gubernaretur et gratia quoad substantiam naturali, quoad modum supernaturali ita adiuvaretur, ut omnia peccata gravia evitare et finem suum assequi posset. Utrum tunc resurrectio corporum futura esset necne, incertum atque controversum est.

CAPUT III.

De Hominis Lapsu.

ARTICULUS I.

DE PECCATO ACTUALI A PROTOPARENTIBUS COMMISSO.

PROPOSITIO GENERALIS. **Protoparentes comedendo de fructu vetito graviter peccaverunt.**

Patet e Scriptura, et quidem ex Gen. 2, 17 et c. 3., quae narratio habenda est historica, ut liquet ex eius indole, ex aliis Scripturae locis, ut Eccli. 25, 33. 2. Cor. 11, 3. 1. Tim. 2, 14, ex constanti atque universali Traditione.

Explicatur et singillatim probatur thesibus specialibus.

THESIS I. **Hominibus a Deo vetitum fuit, ne comederent fructum determinatae arboris.**

Probatur et explicatur: Legitur Gen. 2, 17: *De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* In Sept. habetur numerus pluralis: ne comedatis etc.

1. Huius mandati seu potius legis et eius quidem divinae positivae *obiectum* erat abstinentia ab aliquo, quod per se non erat sive natura sive influxu diabolico perniciosum, sed quod per se erat bonum; *subiectum* erat totum genus humanum; *finis* erat libera agnitio supremi Dei dominii; *obligatio* erat gravis, idque ratione finis. Patet ex legis sanctione.

Quamquam obiectum probationis hominum potuit esse res mala ac lege naturali prohibita, tamen magis decuit illud obiectum esse rem bonam, quod a s. Bonav. sic ostenditur[1]:

« Dicendum, quod Deus homini illud lignum prohibuit propter *obedientiae meritum* acquirendum ex parte hominis, et propter ostendendum suae *iurisdictionis dominium*, quod habebat in hominem. Quia prohibuit propter *obedientiae meritum;* ut illud meritum esset purum et plenum, a tali re prohibuit, a qua non deberet cessari nisi solius obedientiae intuitu, et ideo a re bona. — Item, quia prohibuit ad ostendendum suae *iurisdictionis dominium;* ideo a tali re debuit prohibere, a qua homo non deberet manum retrahere nisi propter solius Dei imperium, et haec quidem fuit res bona. Et propterea illud mandatum dicitur esse *mandatum disciplinae*, quia ad hoc homo non obligabatur ex se sive ex aliquo rationis naturalis dictamine, sed ex sola divina praeceptione ».

2. Lignum illud aut a Moyse aut a Deo ipso vocatum est lignum *scientiae boni et mali*, quia homines fructum eius comedendo discrimen inter bonum et malum experientia didicerunt, vel etiam, quia ad hoc fuit destinatum, ut in ipso appareret, utrum homines bonum an malum eligerent.

3. Utrum prohibitio illa a Deo directe *soli Adae* sit intimata, an etiam eius uxori, non constat.

Thesis II. **Eva ad mandatum divinum transgrediendum a diabolo est seducta.**

Probatur e Scriptura: Gen. 3, 1: *Sed et serpens* (Sept. ὁ δὲ ὄφις) *erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur praecepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?*... 4. 5: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod, in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.*

2. Cor. 11, 3: *Timeo autem, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri.*

Sap. 2, 24: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

Apoc. 20, 2: *Et apprehendit* (angelus) *draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas* (ὁ σατανᾶς), *et ligavit eum per annos mille.* Hoc et praecedenti loco patet seductorem non fuisse merum serpentem, sed diabolum.

Explicatur. Diabolus non est mentitus formam serpen-

[1] Tom. 2, pag. 428.

tis, sed, ut satis communiter tenetur, in verum serpentem ingressus est, in eo latuit eiusque ore Evam est allocutus. Id fecit, quia Evam, utpote dono integritatis munitam, interna suggestione tentare non potuit. Ex eo fit, ut seductor ille modo vocetur diabolus (Sap. 2, 24), modo serpens (Gen. 3, 1. 2. Cor. 11, 3), modo serpens et diabolus simul (Apoc. 20, 2). Propterea quoque maledictio divina serpenti inflicta (Gen. 3, 14. 15) primario ad diabolum referenda est, cuius futura humiliatio per semen mulieris facienda eadem maledictione praedicitur.

Hominem congruenter tentatum esse a diabolo latente in *animali bruto* et eo quidem *serpente* a s. Bonav. sic ostenditur:[1] « Quod homo tentaretur a diabolo in effigie *bruti animalis*, congruum erat tum respectu *operis*, tum respectu *finis intenti*, tum etiam respectu *divini iudicii*. Respectu *operis*, quia homo natus est inclinari ad bonum ut *nunc* (= per accidens) maxime ex parte sensibili et brutali; et ideo congruum erat ipsum tentari in effigie animalis bruti. — Respectu *finis intenti*, similiter congruum erat, quia ad hoc ordinabatur tentatio, ut homo efficeretur similis animali bruto (Ps. 48, 13), cum contempto bono incommutabili adhaereret bono commutabili et ibi quiesceret; et ideo ad hoc insinuandum in specie animalis bruti debuit tentari. — Respectu *divini iudicii* etiam congruum fuit, quoniam Dominus iustus et fidelis non permittit hominem tentari ultra, quam possit (1. Cor. 10, 13). Et ideo sic patitur diabolum in tentatione latere, ut nihilominus possit ab homine deprehendi; et ideo non passus est, quod diabolus hominem tentaret omnino in specie consimili, et per hoc non in specie vel effigie humana, sed potius brutali. — Triplex ergo congruentia ordinis exigebat, ut homo a diabolo in brutali effigie tentaretur.

Hac etiam triplici congruentia exigente permissus est homo tentari a diabolo non in quolibet animali bruto, sed in *serpente*. Primum ratione *operis*. Quia enim tentatio fiebat per suggestionis ingressum, quae intrat ad cor ad modum serpentis et ibi virus peccati diffundit, ex quo homo habet spiritualiter mori; ideo, ut exterior effigies operi responderet interiori, congruum fuit hominem a diabolo tentari in effigie serpentis, cuius est serpere et venenum diffundere et diffundendo hominem interimere. — Respectu etiam *finis intenti* congruum erat. Quia enim intendebat diabolus faciem hominis et caput et superiorem mentem convertere deorsum et totum prosternere, et sic prosternendo ad malum finem deducere, proponendo sibi (ei) praemium aliquod delectabile; ideo permissus est tentare in *serpente*, qui secundum totum suum corpus habet terrae in suo incessu adhaerere. — Congruum etiam erat respectu *divini iudicii*. Quia enim ex illa tentatione divino iudicio inter tentatum et tentatorem debebat inimicitia exoriri (Gen. 3, 15); ideo tentatio hominis in serpente debuit fieri, quem post lapsum maxime exhorret, et qui maxime sua calliditate insidiatur hominem laedere. — Et

[1] Tom. 2, pag. 494.

sic patet multiplex congruentia, quare diabolus permissus est hominem tentare in effigie serpentina ».

Congruenter factum esse, ut mulier, non vir, a diabolo immediate tentaretur, ab eodem Doctore Seraphico sic ostenditur:[1] « Ratio... huius sumitur ex parte *sapientiae Dei* et ex parte *astutiae diaboli*.

Ex parte *sapientiae Dei*. Dominus enim tali ordine permisit diabolum tentare, tum propter *viri exercitationem*, tum ne *mulier haberet excusationem*, tum etiam propter *nostram eruditionem*. — Propter *viri exercitationem*, quia ipse adeo fortis erat et spirituali mente praeditus, quod non solum poterat resistere tentationi serpentis, sed etiam suggestioni mulieris; et ideo fortiori tentationi permissus est tentari. — Propter *mulieris* vero *removendam excusationem* primo debuit ab ipsa tentatio incipere. Nam si vir primo peccasset, cum *vir sit caput mulieris* (Eph. 5, 23) et dominetur ei, non esset multum mirandum, si mulier ei consentiret; immo magnum haberet excusationis colorem. — Propter *nostram eruditionem* etiam hoc permissum est. In illo enim modo tentandi sensibili cognoscimus nos modum et progressum tentationis invisibilis; et sicut ille a serpente venit ad virum mediante muliere, sic iste a sensualitate pervenit ad superiorem portionem rationis mediante inferiori.

Ex parte similiter *astutiae diaboli* potest sumi ratio. Diabolus enim attendebat mulierem esse *minoris sapientiae* et *debilioris constantiae* et *importunioris adhaerentiae*. Quia *minoris sapientiae* erat, facilior erat ad seducendum; et ideo diabolus seductor per eam voluit sibi facere transitum ac viam. Quia *debilioris constantiae*, facilior erat ad pervertendum; et ideo diabolus expugnator aggressus est hominis civitatem ex ea parte, ex qua erat aditus minus munitus. Quia vero *importunioris* erat *adhaerentiae*, cogitavit diabolus, quod, si ipsa primo vinceretur, non quiesceret, quousque perverteret virum. Unde dicitur Ecclesiastis septimo (v. 27.) de muliere, quod *laqueus est venatorum, et sagena cor eius, vincula sunt manus illius*. Propterea diabolus, astutus impulsor, incepit a sexu femineo.

THESIS III. **Eva graviter peccavit.**

Probatur et explicatur: Legitur Gen. 3, 6: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo.* — Iuxta hoc effatum, alia Scripturae testimonia, doctrinam ss. Patrum et theologorum in transgressione Evae haec inveniuntur:

1. *Superbia*, qua inordinate appetiit similitudinem quandam cum Deo, idque *a)* in *cognoscendo*, in quantum expetivit scientiam ultra eam, quae ipsi competebat (Gen. 3, 5); — *b)* in *volendo*, in quantum se a Deo emancipare sibique inniti seu felicitatem suam ad propriam voluntatem promovere cupivit.

[1] Tom. 2, pag. 496.

Tob. 4, 14: *Superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* — Eccli. 10, 15: *Initium omnis peccati est superbia;* ergo etiam peccati Evae.

2. *Defectus quidam simplicitatis in fide Deo praestanda,* provocatus asserto illo diaboli Gen. 3, 4. 5: *Nequaquam morte moriemini* etc., probabilius etiam assensus diabolo contra Deum loquenti praestitus. — Nam legitur 1. Tim. 2, 14: *Adam non est seductus; mulier autem seducta in praevaricatione fuit.*

Ab Eva commissum esse peccatum formalis infidelitatis vel haeresis non omnino constat. A multis quidem, praesertim recentioribus, affirmatur, a Doctoribus tamen Angelico et Seraphico in Comment. in lib. 2. sent. negatur.

S. Thomas[1]: « Non crediderunt (protoparentes) Deum falsa dixisse (hoc enim simpliciter infidelitatis fuisset), sed crediderunt forte alio modo intelligendum fore et metaphorice, vel ad aliquid significandum esse dictum. Vel dicendum, quod ex ipsa elatione, qua illud, quod promittebatur, appetebant, oculus mentis impeditus fuit, ne actualiter veritatem divini dicti attenderent, secundum quod omnis malus aliquo modo ignorans est. Sed talis ignorantia vel dubietas, etiam credendorum, infidelitatem non facit ».

In Comp. tamen c. 190. s. Thomas haec habet: Evae « peccatum multiplex invenitur... quarto *infidelitatis* per falsam aestimationem de Deo, dum *credidit verbis diaboli contra Deum loquentis.*

S. Bonav.[2]: « Non enim concedendum est mulierem peccato infidelitatis peccasse, nisi infidelitas accipiatur valde large... Aliter potest dici, quod re vera mulier non dubitavit verum esse, quod Dominus dixerat; sed de hoc dubitavit, qualiter Dominus intelligebat, utrum sc. intelligeret de morte corporali vel spirituali vel alio quocunque modo; et illa dubitatio nec fuit poena nec fuit culpa, sed quaedam nescientia, quae diabolo tentanti praebuit viam ».

Ad *simplicitatem* fidei referuntur verba s. Pauli 2. Cor. 11, 3: *Timeo autem, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri et excidant a simplicitate* (ἀπὸ τῆς ἁπλότητος), *quae est in Christo,* quibus verbis Corinthii monentur, ne ab haereticis in errorem inducantur.

3. *Gula seu inordinatus amor fructus vetiti.*

4. *Ipsa fructus comestio Deo vetante facta seu inobedientia.*

5. *Scandalum directum Adae praebitum.*

Thesis IV. Adam quoque, ab Eva seductus, graviter peccavit.

Probatur et explicatur: Legitur Gen. 3, 6: *Deditque* (Eva) *viro suo, qui comedit;* et Rom. 5, 14: *Regnavit mors...*

[1] In l. 2. sent. dist. 22, q. 1, a. 1, ad 1.

[2] Tom. 2, pag. 517.

etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae. Ergo Adam praevaricatus est i. e. graviter peccavit. — In praevaricatione Adae haec occurrerunt:

1. *Superbia* quaedam, ut satis communiter tenetur et fortasse indicatur Gen. 3, 22, ubi Deus cum ironia ex commiseratione orta *ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum.* Ipsum vero Adam inordinate appetivisse similitudinem quandam cum Deo in *cognoscendo*, quam Eva appetivit, nequaquam constat et a multis negatur.

S. Bonav. haec habet[1]: « Non enim vir pomum comedit propter appetitum excellentiae in sui ad Deum assimilatione, nec propter appetitum sufficientiae in multorum cognitione... Fuit tamen in viro quaedam superbia... Quodam enim modo superbivit, dum se nimis magni pretii esse apud Deum aestimavit, et tanti, ut propter comestionem illius cibi non incurreret gravitatem alicuius supplicii, sed de facili consequeretur veniam de offensa ».

E contrario *s. Thomas* de Ada dicit[2]: « Allectus tamen fuit promissione diaboli, excellentiam et scientiam indebite appetendo ».

2. *Inordinatus amor uxoris,* cui displicere noluit.

S. Bonav.[3]: « Fuit etiam quaedam lascivia, non carnalis delectationis, sed cuiusdam amicabilis affectionis, qua frequenter fit, ut offendatur Deus, ne contristetur proximus. Hoc autem fecit Adam, dum comedere voluit, ne suas delicias contristaret, hoc est, ne mulierem offenderet. Unde et Dominus ipsum arguit, quod obedivit voci mulieris (Gen. 3, 17); et per hoc perductus est ad inobedientiam et transgressionem mandati Dei ».

3. *Esus fructus vetiti* seu inobedientia.

Iuxta s. Thomam aliosque multos celebres theologos Adam non peccavit infidelitate vel haeresi, neque assertum diaboli pro vero habuit (1. Tim. 2, 13). Tamen fides Adae caligine quadam obducta esse ipseque praesumptuose videtur sperasse fore ut mortem, quam Deus sibi minitatus erat, effugeret.

Dicit s. Thomas[4]: « Ex persuasione autem mulieris peccatum usque ad virum pervenit, qui tamen, ut Apostolus dicit (1. Tim. 2, 14), non est seductus ut mulier, in hoc scilicet, quod crederet verbis diaboli contra Deum loquentis ».

Scholion I. De aliquibus spectantibus ad peccatum, quod primi homines commiserunt.

1. Peccatum protoparentum fuit *gravissimum* omnium peccatorum, quae ab hominibus committuntur, non ratione spe-

[1] Tom. 2, pag. 519.
[2] Comp. theol. ad Reginaldum, c. 196.
[3] Ibidem.
[4] Ibidem.

cici. sed *ratione conditionis*, in qua primi homines erant. Sub hac quoque ratione, et ea quidem sola, peccatum Adae gravius fuit, quam peccatum Evae. Adam enim erat perfectior, quam Eva; et Adam solus erat caput totius generis humani, cuius vice probationem subire debuit et quod peccato suo donis supernaturalibus ac praeternaturalibus privavit. — Sed si spectatur peccatum ipsum, dicendum est maiorem fuisse malitiam Evae, ut satis apparet ex iis, quae supra dicta sunt.

2. *Quantum temporis* transierit a creatione primorum hominum usque ad eorum lapsum, incertum est. Iam s. Irenaeus[1] sensit protoparentes ipso die, quo creati sint, peccasse, eiusque opinionem multi amplectuntur. Probabilis autem, imo forte probabilior est opinio, quae tenet inter protoparentum creationem et lapsum longius temporis spatium, licet non valde longum, interiacere.

3. Protoparentes graviter peccando:

a) Amiserunt gratiam sanctificantem et eos habitus supernaturales, qui sine illa esse non possunt. Utrum amiserint eos habitus supernaturales, qui non quidem sine gratia sanctificante infunduntur, tamen cum ea non semper amittuntur, sc. fidem et spem, pendet a quaestione, utrum contra fidem graviter peccaverint. Eos enim graviter peccasse non quidem contra fidem, tamen desperatione contra spem, ita ut habitu fidei remanente habitum spei amiserint, non est probabile, neque ab ullo tenetur.

Certe autem amiserunt integritatem, immortalitatem corporis, felicitatem.

Probatur quoad integritatem ex Gen. 3, 7: *Et aperti sunt oculi amborum; cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata;* et 10. 11: *Qui* (Adam) *ait: Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me. Cui dixit* (Deus): *Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo praeceperam tibi, ne comederes, comedisti?* — *Quoad immortalitatem corporis* ex Gen. 2, 17, Sap. 2, 23. 24, Rom. 5, 12 supra (cap. 2. thes. 2) citatis. — *Quoad felicitatem* ex Gen. 3, 16: *Mulieri quoque dixit* (Deus): *Multiplicabo aerumnas tuas* etc.; 17: *Adae vero dixit:... Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae;... in sudore vultus tui vesceris pane* etc.; 23: *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.*

[1] Contra haeres. 5, 23.

b) Non videntur amisisse scientiam infusam rerum naturalium, cum hanc etiam recepissent, si ut auctores generis humani fuissent creati in statu naturae purae.

4. Primi homines *veniam* peccati et aeternam *salutem* consecuti sunt, id quod certum est ex doctrina ss. Patrum, consensu theologorum, sensu fidelium; insuper quoad veniam ab Ada obtentam ex Scriptura. Legitur enim Sap. 10, 2: *Et* (Sapientia) *eduxit illum* (primum hominem) *a delicto suo*.

Scholion II. De iis, quae potuissent esse vel fuissent, si primi homines illud peccatum non commisissent.

1. Protoparentibus physice et moraliter possibile fuisset etiam *alia* peccata *gravia* committere tam contra legem naturae, quam contra virtutes supernaturales.

2. Satis communiter tenetur in statu innocentiae non quidem physice, tamen moraliter impossibile fuisse homines peccare *venialiter*. Ratio est, quia peccata venialia commissa et magnum dolorem excitare possunt, imo debent, et poenam haud lenem merentur; sed dolor et poena statui felicitatis, in quo primi homines erant, non convenit. Fuerunt autem peccata venialia exclusa partim dono integritatis, partim speciali providentia divina: dono quidem integritatis ea, quae ex defectu perfectae deliberationis venialia sunt, speciali autem Dei providentia ea, quae perfecte sunt deliberata.

Hanc sententiam tenent b. Albertus M., s. Thomas[1] et Thomistae, Alexander Hal. et s. Bonaventura[2] etc., cum Scotistae contrariam defendant et Richardus a Mediavilla utramque pro probabili habeat.

3. Utrum protoparentes, si illam tentationem superassent, donum *confirmationis in gratia* accepissent necne, incertum est. Probabile quidem est; a s. Thoma autem negatur[3].

4. Ut satis communiter tenetur, alii homines *non* fuissent *ab orta confirmati in gratia;* sed et ipsi sibi probationem debuissent subire. Probabiliter tamen et ipsi post primam tentationem devictam in gratia fuissent confirmati. Secundum opinionem probabiliorem non omnes homines ad aeternam pervenissent salutem. Salvandi tamen statu viae suo tempore finito

[1] 1. 2, q. 89, a. 3.
[2] Tom. 2, pag. 504.
[3] 1, q. 100, c.

vivi in coelum fuissent translati corporibus, ut patet, tunc temporis glorificatis.

Alia multa possunt quaeri, quae plus minusve sunt incerta, sc. utrum ii, qui graviter peccassent, statim fuissent mortui et damnati, an in statu viae diutius mansissent, id quod spectata differentia, quae est inter naturam angelicam et humanam videtur esse probabilius; — deinde num, si hoc contigisset, homines remissionem peccatorum et restitutionem gratiae sanctificantis potuissent obtinere, id quod considerata diversitate malitiae peccati angelorum et hominum haudquaquam improbabile est; — tum utrum, si hoc fieri potuisset, ad veniam consequendam sufficiens fuisset supernaturalis contritio peccatorum, an a peccatoribus requisita fuisset aliqua imperfecta satisfactio, an a Filio Dei etiam tum suo tempore incarnato, quin tamen pateretur et moreretur, satisfactio condigna fuisset praestita; — denique utrum peccatoribus conversis una cum gratia sanctificante etiam dona praeternaturalia fuissent reddita, an iis fuisset vita in aerumnis etc. degenda similis vitae nostrae, id quod videtur esse probabilius, cum secus infallibiliter fuissent certi se gratiam sanctificantem sponte sua perditam iterum esse adeptos. Quae omnia cum sint incerta, utpote dependentia a libera Dei voluntate, quo iure potest affirmari pro certo plures homines, si Adam non peccasset, aeternam salutem fuisse consecuturos, quam nunc gratia Redemptoris reapse consequuntur?

ARTICULUS II.

DE PECCATO HABITUALI AB ADA IN POSTEROS TRANSMISSO SEU DE PECCATO ORIGINALI.

§ I. *De peccati originalis exsistentia.*

THESIS. **Peccatum Adae in eius posteros transiit, seu est peccatum originale.**

De fide ex Trid. sess. 5, 2.

Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, a. s.

Opponitur Pelagianis, Socinianis, rationalistis etc.

Probatur: I. E Scriptura. Rom. 5, 12-19.

12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum* (ἡ ἁμαρτία) *in hunc mundum* (εἰς τὸν κόσμον) *intravit, et per pec-*

catum mors, et ita (καὶ οὕτως) *in omnes homines mors pertransiit, in quo* (ἐφ' ᾧ) *omnes peccaverunt:*

13. *Usque ad legem enim peccatum* (ἁμαρτία sine artic.) *erat in mundo: peccatum autem non imputabatur cum lex non esset* (ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου).

14. *Sed* (ἀλλά nihilominus) *regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri* (τύπος τοῦ μέλλοντος i. e. figura prophetica Adae secundi seu Christi).

15. *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi* (οἱ πολλοί) *mortui sunt: multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures* (εἰς τοὺς πολλούς) *abundavit.*

16. *Et non sicut per unum* (sc. hominem) *peccatum, ita et donum. Nam iudicium* (τὸ κρῖμα i. e. sententia damnatoria) *quidem ex uno* (sc. delicto) *in condemnationem* (εἰς κατάκριμα i. e. in damnationem exsecutioni mandatam procedit); *gratia autem ex multis delictis in iustificationem.*

17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae* (iuxta probatiorem lectionem graecam: gratiae et doni iustitiae) *accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum.*

18. *Igitur* (ἄρα οὖν = itaque ergo) *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem* (res cessit), *sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae* (res cedet).

19. *Si enim per inobedientiam unius hominis peccatores* (ἁμαρτωλοί) *constituti sunt multi* (οἱ πολλοί), *ita et per unius obeditionem iusti constituenter multi* (οἱ πολλοί).

A s. Paulo haec tria affirmantur:

1. V. 12: Mors omnium hominum est sequela peccati Adae, et ea quidem hereditaria. Unde et ii moriuntur, *qui*, ut dicitur v. 14. *non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, i. e. qui non commiserunt ullum peccatum personale.

Ratio autem, cur mors hereditaria sit, eodem v. 12. haec affertur: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον i. e. aut: *in quo*, aut: *quia in eo* (sc. Ada), aut simpliciter: *quia* seu eo quod (ut 2. Cor. 5, 4) *omnes peccaverunt.*

Omnes igitur, qui moriuntur, etiam ii, qui peccatum personale non commiserunt, ergo etiam infantes, *peccaverunt.*

2. V. 18: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem res cessit*, i. e. per unius sc. Adae delictum in omnes homines venit condemnatio.

Condemnatio (κατάκριμα) non tam nuda damnatoria sententia est, quam damnatio seu condemnatio exsecutioni mandata: ipsa igitur poena mortis, etiam aeternae. Nam κατάκριμα non potest esse mera *sententia* damnatoria in v. 16.; ergo nec est in hoc versu. Ex contextu enim patet in v. 16. iam κρῖμα sententiam damnatoriam esse. « Paulus autem », inquit Cornely [1], « scribere non potuit sententiam damnatoriam factam esse sententiam damnatoriam. — Si vero nonnulli significari volunt sententiam damnatoriam, quae propter unum peccatum contra unum hominem lata sit, *omnibus hominibus* factam esse sententiam damnatoriam, Apostolus necessario hanc oppositionem exprimere ac scribere debuit: εἰς κατάκριμα τῶν πολλῶν (vel πάντων). Quamobrem ipsam *condemnationem exsecutioni mandatam* nomine κατακρίματος eo magis a Paulo designari censemus, quia haec sola significatio omnibus tribus locis convenit, in quibus illud adhibet » (sc. praeter 5, 16 et 18 etiam 8, 1: *Nihil ergo nunc damnationis* [οὐδὲν... κατάκριμα] *est iis, qui sunt in Christo Iesu*).

Sed condemnatio, quaecumque intelligitur, praesertim si intelligitur poena mortis aeternae, supponit *peccatum*. Si igitur per unius Adae delictum in omnes homines condemnatio venit, per illud etiam in omnes homines venit peccatum.

3. V. 19: *Per inobedientiam unius hominis* sc. Adae *peccatores constituti sunt multi* illi seu ii omnes, qui ex eo naturaliter generantur, sicut per obedientiam unius sc. Christi iusti constituuntur multi illi seu ii omnes, qui ex eo supernaturaliter regenerantur. Iam vero homines per Christum constituuntur vere iusti; ergo etiam per Adam fiunt *vere peccatores*.

Itaque iuxta mentem Apostoli per Adae lapsum peccatum (ἡ ἁμαρτία) in mundum ita intravit, ut omnes ab eo orti existimandi sint *peccavisse* (v. 12), *obnoxii condemnationis* (v. 18.), *vere peccatores* (v. 19.), quamvis ipsi peccatum actuale non commiserint. Sed hoc peccatum praecise illud est, quod solet vocari peccatum originale.

Eph. 2, 3: *Et eramus natura filii irae* (καὶ ἤμεν τέκνα φύσει ὀργῆς), *sicut et ceteri*.

Illud *natura* quidam intelligunt: *prorsus* vel *vere* (ut Gal. 4, 8: *iis, qui natura non sunt dii, serviebatis*) aut *naturae appetitum sequentes;* sed s. Augustinus aliique eum secuti, ut Prosper, Fulgentius, Beda, « naturam intelligunt nativitatem vel, quod eodem redit, naturam ipsam, non qualis in primo homine condita est, sed qualis per eius transgressionem facta a singulis nascendo accipitur... Nec vero alius intellectus magis congruit. Primum, quia in graeco non est vocabulum, quod proprie filios significet, tam-

[1] Comment. in ep. ad Rom. pag. 297.

quam filii irae dicantur homines irritantes, i. e. iram Dei provocantes, sicut paulo ante (v. 2.) dicti sunt filii (υἱοί) diffidentiae, i. e. homines increduli; sed graece est τέκνα, quae vox nativitatem seu partum expressius importat. Deinde, quia graeci textus hic est ordo: *Et eramus filii natura irae*, quasi dicat filii, quod ad naturam attinet, irae, i. e. filii naturales irae: ut filios natura opponat Apostolus iis, qui filii dicuntur adoptione, quales fiunt homines post nativitatem. Adde, quod Apostolus haec scribit in persona Iudaeorum, quorum plerique iactabant se esse semen sanctum, utpote filios Abrahae, sicut habemus Matth. 3. et Ioann. 8., gentiles vero, quod ex parentibus idololatris essent progeniti, tamquam ex nativitate peccatores et immundos aspernabantur. Unde et illi caeco, quasi gentili, maledicebant dicentes: *In peccatis natus es totus* (Ioann. 9.), utique reputantes sese non esse natos in peccatis.

Igitur ad huiusmodi fastum reprimendum aptissime dicit in eorum persona Apostolus: *Eramus natura filii irae, sicut et ceteri*, ubi supplendum ex superiori parte signum universale *omnes;* ut sensus sit: Et nos Iudaei perinde ut ceteri homines, quos prae nobis contemnere solemus ob generis nostri sanctitatem, omnes eramus aliquando irae divinae obnoxii, et quidem ex ipsa nativitatis origine, qua naturam a parentibus accepimus». Estius [1].

Henle dicit [2]: «Diese Stelle gehört .. zu den Hauptbeweisstellen für die Wirklichkeit der Erbsünde. Der Sinn ist: Von Natur aus sind wir der göttlichen Strafgerechtigkeit verfallen, also auch von Natur aus schuldbar; denn wo Strafe, da auch Schuld. — φύσει ist Dativ der Beziehung = hinsichtlich der Natur oder der Natur nach; die Stellung nach τέκνα ist ganz correct: denn nicht auf φύσει allein liegt der Ton, sondern auf τέκνα φύσει: φύσει dient zur näheren Erklärung des τέκνα, das hier nicht wie υἱοὶ τῆς ἀπειθείας (filii diffidentiae in v. 2.) einen Adjectivbegriff umschreibt, sondern in der That ein *genetisches* Verhältniss anzeigt». Itaque:

Ex hoc loco merito sic concluditur: Nos natura irae Dei sumus subiecti; sed soli peccatores irae Dei subiecti sunt; ergo nos natura sumus peccatores; atqui natura non sumus peccatores personales, seu natura non habemus peccatum personale; ergo natura accepimus aliud peccatum, sc. originale.

In vetere Testamento peccatum originale non eadem claritate docetur, qua in novo; sed tamen satis indicatur, et ope traditionis ex eo potest probari.

Legitur enim Ps. 50, 7: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea:* hebraice: «Ecce in iniquitate formatus sum, et in peccato calefecit (fovit) me mater mea». — Quibus verbis psalmista utique non vult incusare parentes suos, quod se genuerint modo peccaminoso; sed vult Deum ad misericordiam flectere praetendendo, cum natura sua per

[1] In D. Pauli epist. tom. 2.

[2] Der Ephesierbrief, Seite 101.

peccatum iam principio infecta sit, non esse mirum eandem postea germinare ac proferre alia peccata. — Nec iniquitas et peccatum hic videtur significare concupiscentiam, cum respondentia verba hebraica in toto *vetere* testamento nullibi eam significent. Si igitur loco citato sermo est de peccato, et eo quidem non parentum, sed ipsius psalmistae, utique non potest esse peccatum ab hoc ipso commissum, sed ab eo ex conceptione contractum.

Iob 14, 4: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Textus hebraicus habet: « Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem ». Septuaginta vertunt: « Quis enim mundus erit a sorde? At nemo, etsi unus dies (vel unius diei) sit vita eius super terram ». — Textus *hebraicus* apte sic intelligitur: Quis potest facere mundum eum, qui est de immundo, seu qui est ex immunda stirpe? Ne unus quidem (praeter Deum, ut per se patet). Versio *Septuaginta* exprimit recenter natos sorde morali iam esse infectos. *Vulgata* habet hominem de immundo semine esse conceptum neque mundum fieri posse nisi a Deo.

II. E Traditione et sensu Ecclesiae. 1. *E ss. Patribus*, qui docent nos in Ada *perdidisse* esse secundum imaginem et similitudinem Dei, nos sub Adae peccato *cecidisse*, nos Deum in Ada *offendisse* (Iren.), omnes in Ada *mori* (Orig.), omnes ex Ada ortos *in iniquitatibus concipi* (Athan.), nos ante nativitatem *maculari contagio* (Ambr.).

Iren.[1]: « Quod perdideramus in Adam, i. e. secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo recepimus; quia sine Christo non erat possibile, ut salutem perciperet, qui sub Adae peccato ceciderat ». Et[2]: « Deum quidem in primo Adam offendimus, non facientes eius praeceptum; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cuius praeceptum transgressi fueramus a principio ». — *Orig.*[3]: « Constat unumquemque per peccatum cecidisse. Et Dominus est, qui erigit elisos et elevat, qui corruunt. In Adam omnes moriuntur, et ita cecidit orbis terrarum et indiget erectione, ut in Christo omnes vivificentur ». — *Athan.*[4]: « Omnes, qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi ». — *Ambr.*[5]: « Antequam nascamur, maculamur contagio, et ante usuram lucis originis ipsius excipimus iniuriam, in iniquitate concipimur ».

Optimo igitur iure *s. Augustinus* Iuliano Eclanensi potuit dicere[6]: « Non ego finxi originale peccatum, quod catholica

[1] Adv. haer. 3, 18.
[2] Ib. 5, 16.
[3] In Ier. hom. 8, n. 1.
[4] In Ps. 50, n. 7.
[5] Apolog. David. c. 11, n. 56.
[6] De nupt. et concup. l. 2, c. 12, n. 25.

fides credit antiquitus; sed tu, qui hoc negas, sine dubio novus es haereticus ».

Nota. Ante haeresim Pelagii ortam ss. Patres 1. nondum tam solliciti fuerunt ad cavenda dicta, quae forte sinistre accipi poterant; 2. interdum peccatum infantium aperte negarunt, ut imprimis s. Chrysostomus; sed tunc non negarunt nisi peccatum actuale ab iis commissum.

2. *E conciliis*, quibus error Pelagianus est reiectus, sc. quatuor Carthaginiensibus (a. 412-418.), Diospolitano (Lydda, 415), Milevitano II. (416), Ephesino, oecumenico (431), Arausicano II. (529).

Milevit. II. e. g. hoc dicit: « Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis « in remissionem peccatorum » non vera, sed falsa intelligatur, a. s. (D. 65).

Araus. II. can. 2.: « Si quis soli Adae praevaricationem suam, non et eius propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt ». (D. 145).

Scholion. Quod Adam peccatum suum post lapsum retractavit, non impedit, quominus peccatum originale contrahamus. Nam in illo peccato retractando non iam gessit munus capitis generis humani, quam dignitatem, prout haec erat ordinis supernaturalis, peccando amiserat, sed egit ut persona particularis.

§ II. *De peccati originalis essentia.*

I. Secundum doctrinam Ecclesiae id, quod peccatum originale solet vocari, reapse est peccatum seu culpa, habens veram et propriam rationem peccati; est mors animae, ergo peccatum mortale; inest unicuique proprium, nisi quis, ut per se patet, ab eo est mundatus vel praeservatus.

Vocatur *peccatum* ab Araus. II. can. 2. supra citato (D. 145) et a Trid. sess. 5, 2 cit. in thesi § I. (D. 671); *culpa* a Senonensi (D. 318); *habens veram et propriam rationem peccati*

a Trid. 5, 5 (D. 674); *mors animae* ab Araus. II. can. 2. et Trid. 5, 2; *unicuique proprium* a Trid. 5. 3 (D. 672); *absque consensu contractum* ab Innocentio III. (D. 341).

A Conc. *Senonensi* a. 1141. et ab Innocentio II. damnata est haec thesis Abaelardi (9): Quod non contraximus *culpam* ex Adam, sed poenam tantum. — *Trid.* dicit 5, 5: Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod *veram et propriam peccati rationem* habet,... a. s. Et 5, 3: Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, *inest cuique proprium*, vel per humanae naturae vires vel per aliud medium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi,... a. s. — In *decreto Innocentii III.* c. 3. contra Waldenses hoc continetur: Peccatum est duplex: originale sc. et actuale: originale, quod *absque consensu contrahitur*; actuale, quod committitur cum consensu.

II. In quo praecise ratio formalis peccati originalis consistat, ab Ecclesia non est definitum. *Duae* exstant opiniones *orthodoxae*, quarum altera est scholasticorum et recentiorum satis communis, altera aliquot theologorum saec. 17. et 18. (Eam post Salmeron et Toletum praecipue amplexus est De Lugo).

1. Iuxta sententiam *satis communem* peccatum originale consistit *in privatione gratiae sanctificantis voluntaria voluntate Adae, capitis generis humani.*

a) Peccatum originale est gratiae sanctificantis *privatio*, i. e. carentia gratiae sanctificantis *debitae*, i. e. carentia gratiae sanctificantis, quae secundum ordinationem Dei omnibus Adae posteris ab ortu inesse debet, eo quod ab Ada, capite illorum, pro iis debebat servari.

Adae enim gratia sanctificans data est ut capiti totius generis humani, et quidem sub ea conditione, ut, si praeceptum Dei observaret, et ipse eam retineret et omnes eius posteri simul cum ortu eandem reciperent. Ei autem non erat ius praeceptum divinum negligere et per hoc gratiam sanctificantem et sibi et posteris suis perdere; sed eius officium erat divino praecepto obedire et per hoc gratiam illam tam sibi quam suis posteris servare.

b) Cum homo per gratiam sanctificantem habitualiter conversus sit ad Deum, finem suum ultimum supernaturalem, consequenter ad carentiam gratiae sanctificantis *debitae* habendus est ac dicendus ab eodem fine habitualiter *aversus*, sicut consequenter ad carentiam gratiae sanctificantis *non debitae* di-

cendus est ad eum habitualiter *non conversus*. Hinc etiam dici potest: Peccatum originale consistit in habituali aversione a Deo, fine ultimo supernaturali. Et hoc quidem a multis reapse dici solet. Dici quoque potest: Peccatum originale consistit in privatione iustitiae originalis (eam intelligendo gratiam sanctificantem), vel in privatione iustitiae originalis quoad primarium eius effectum (iustitiam originalem intelligendo totum statum innocentiae).

c) Privatio illa gratiae sanctificantis recte dici potest verum peccatum, et id quidem grave et habituale, pro quo secundum doctrinam Ecclesiae illud habere debemus. Nam peccatum sensu latissimo sumptum aberratio est seu defectio a debita norma vel regula; sensu strictiore sumptum seu in ordine morali est defectio a debita regula morum. Suprema autem hominis regula morum, cui quaelibet alia subordinata est, est Deus finis ultimus. Ergo peccatum grave est aversio a Deo, fine ultimo, cum peccatum leve vocari possit diversio (Abschweifung) ab eo vel retardatio progressus ad eundem. Ergo grave peccatum habituale et ordinis supernaturalis, cui genus humanum destinatum est atque obstrictum, est *aversio* habitualis a Deo, fine ultimo supernaturali, seu est *privatio conversionis* ad Deum, finem ultimum supernaturalem. Et, quia haec conversio est effectus formalis gratiae sanctificantis, peccatum originale etiam vocari potest privatio gratiae sanctificantis.

d) Cum ex una parte peccatum originale sit verum peccatum, et id unicuique proprium, et cum ex altera parte quodlibet peccatum ei, cui proprium est, sit voluntarium, concedendum est peccatum originale unicuique voluntarium esse. Attamen peccatum originale unicuique non est voluntarium ex libera voluntate personali, sed ex libera voluntate Adae, capitis generis humani. Adam enim genus humanum non solum in ordine physico et naturali seminaliter in se continebat, sed etiam in ordine morali et supernaturali a Deo libere constituto *iuridice repraesentabat*. Acceperat enim gratiam sanctificantem ut gerens personam (Repräsentant) totius generis humani, idque eo consilio et ea cum obligatione, ut praecepto Dei obediendo illam pro hoc servaret. Unde etiam sic dici potest: Totum genus humanum in Ada, qui eius personam gessit, gratiam

sanctificantem acceperat, ut eam per Adam servaret. Gratia igitur sanctificans erat gratia generis humani seu humanae naturae.

Iam vero Adam ut gerens personam generis humani hanc gratiam non servavit, sed impie abiecit. Unde etiam potest dici: Genus humanum per Adam, qui eius personam gessit, eandem gratiam impie abiecit et ita in Ada peccavit.

Proinde, sicut illa gratia fuit gratia generis humani seu humanae naturae, ita etiam hoc peccatum est peccatum generis humani seu humanae naturae. Mediante autem humana natura est peccatum humanarum personarum.

Illustratur similibus. Paterfamilias, si ut caput familiae de bonis suis disponit, non disponit de bonis suis tantum, sed de bonis totius etiam familiae.

Vir plebeius seu ignobilis pro se et omnibus suis posteris principis iudicio nobilitatem consequitur ea conditione, ut in servitio principis maneat fidelis. Quodsi ille infidelitatis causa nobilitatem perdit, eam perdit non sibi soli, sed et omnibus suis posteris.

c) Peccatum originale in privatione gratiae sanctificantis consistere praeter alia ex eo potest deduci, quod illud ab Araus. II. can. 2. et Trid. 5, 2 mors animae vocatur. Intelligitur enim, ut per se patet, mors ordinis supernaturalis. Iam vero mors est privatio vitae; ergo mors animae in ordine supernaturali est privatio vitae supernaturalis animae; sed vita supernaturalis animae est gratia sanctificans; ergo peccatum originale est privatio gratiae sanctificantis.

2. Iuxta sententiam *aliquot theologorum saec. 17. et 18.* peccatum originale est *peccatum actuale Adae, quatenus hoc ab eius posteris moraliter commissum est et in iis moraliter perseverat eosque reddit Deo exosos.* Est autem peccatum Adae ab ipsius posteris moraliter commissum, quatenus virtute decreti divini horum voluntates in ordine ad observationem aut violationem praecepti non edendi de fructu vetito in Adae voluntate fuerunt inclusae. Privatio gratiae sanctificantis est peccati originalis effectus.

Itaque, quod iuxta sententiam priorem est causa peccati originalis, id iuxta hanc sententiam est eius essentia; et quod secundum illam est peccati originalis essentia, id secundum hanc est effectus eius.

III. Praecipuae sententiae *heterodoxae* sunt hae:

1. Essentia peccati originalis consistit in *externa imputatione peccati actualis Adae.* Privatio gratiae sanctificantis est eius poena. Hanc sententiam tenuerunt *Pighius* (Batavus, s. 16.) et *Catharinus.* Sed ea contradicit Tridentino, quod docet sess. 5, 3 peccatum originale inesse unicuique proprium.

2. Essentia peccati originalis est *concupiscentia.* Ita senserunt Lutherus, Calvinus, Hermes, eo tamen cum discrimine, quod *Lutherus et Calvinus* docuerunt concupiscentiam esse *verum peccatum,* quod maneat etiam in baptizatis, iis tamen propter merita Christi non imputetur, *Hermes* vero statuit concupiscentiam (ergo peccatum originale) verum peccatum *non* esse. Utraque sententia contrariatur Tridentino, quod sess. 5, 5 dicit: Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, a. s. Prior sententia insuper contradicit s. Iacobo Apostolo dicenti 1, 15: *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum.* Ergo concupiscentia non magis est peccatum, quam mater est filia sui ipsius.

3. Essentia peccati originalis est ipsa *substantia animae* humanae penitus corrupta. Qui error insanus fuit *Flacii Illyrici.*

IV. A Catharino aliisque *gratis* fingitur *pactum* inter Deum et Adam confectum, quo Deus Adae promiserit se eius posteris gratiam sanctificantem esse daturum, si ipse mandatum suum sit observaturus, et Adam nomine omnium hominum illam promissionem sub hac conditione acceptaverit. Sed hoc pactum ad rem explicandam nec requiritur nec sufficit.

§ III. *De peccati originalis transmissione.*

Thesis. **Peccatum originale naturali generatione traducitur.**

Est *fide certum* ex Trid. sess. 5, 3: Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et *propagatione*, non imitatione *transfusum* omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi,... a. s.

Explicatur et probatur: 1. Si Adam ut caput generis humani praeceptum divinum observasset, homines, eo quod ab illo descendunt, simul cum natura accepissent gratiam sanctificantem. Sed, quia Adam peccavit, homines, *eo quod ab illo descendunt*, gratiam sanctificantem non accipiunt seu ea privantur. Sed homines ab Ada descendunt mediante generatione. Ergo etiam mediante generatione in hominibus est privatio gratiae sanctificantis seu peccatum originale.

2. Itaque *causa* peccati originalis nec Deus est, qui animas creat, nec parentes sunt, qui homines generant, nec concupiscentia est, quae in parentibus viget; sed est *actuale peccatum Adae*, quod generationem naturalem privavit supernaturali elevatione, qua ex ordinatione divina futura erat vehiculum seu medium gratiae sanctificantis conferendae.

3. Quia *Adam*, non Eva, in probatione subeunda personam generis humani gessit, natura humana peccato originali obnoxia non esset, si sola Eva peccasset; eodem autem obnoxia esset, si solus Adam peccasset; eodem obnoxia est, in quantum praecise paterna generatione propagatur.

§ IV. *De peccati originalis effectibus ac poenis.*

1. *Priratio gratiae sanctificantis*, quae iuxta sententiam satis communem sub aliquo respectu est peccatum originale ipsum, sub alio respectu est eius poena. Est peccatum, in quantum est abiectio gratiae sanctificantis ex parte generis humani et aversio hominis a Deo. Est poena, in quantum est ablatio gratiae ex parte Dei et aversio Dei ab homine.

2. Una cum gratia sanctificante perdita sunt *omnes virtutes supernaturales ac dona Spiritus Sancti et dona praeternaturalia*. Sic igitur homo, quamvis non amiserit ulla dona naturalia, tamen secundum animam et corpus mutatus est in deterius; i. e. in deterius, quam fuit in statu innocentiae. Hominem autem ita mutatum esse definitum est a Trid. sess. 5, 1 dicente: Si quis non confitetur... totum... Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, a. s.

Insuper, quia ex ablatione donorum illorum in natura humana connaturaliter ortus est defectus, merito dici potest homi-

nem lapsum in naturalibus esse vulneratum. *Vulnera* autem, quibus homo affectus est, enumerari solent *quatuor*, sc. intellectus *ignorantia*, voluntatis *malitia* i. e. proclivitas in malum, *infirmitas* appetitus irascibilis, *concupiscentia* appetitus concupiscibilis.

3. Privatio donorum supernaturalium et praeternaturalium in iis tantum habet rationem *poenae* peccati originalis, in quibus peccatum originale nondum est deletum. Privatio vero donorum praeternaturalium in iis, in quibus peccatum originale iam deletum est, non amplius habet rationem poenae peccati originalis, siquidem *nihil... damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Rom. 8, 1. Possunt autem defectus ex ablatione donorum praeternaturalium orti ab his tolerari in poenam peccatorum personalium. Respectu eorundem hominum vocari solent *poenalitates*, cum ex una parte sint semperque maneant peccati originalis effectus, ex altera autem parte in iis rationem poenae proprie dictae non habeant.

4. Secundum sententiam s. Thomae et omnium fere recentiorum homo quantum ad vires naturales intellectus et voluntatis in statu naturae lapsae *non* est *intrinsecus debilior*, quam esset in statu naturae purae. In hoc tamen statu non esset dominium illud diaboli, de quo saepius loquuntur Christus et hagiographi (Luc. 11, 21. — Io. 12, 31. — Col. 1, 13). Imo probabilius non essent ullae impugnationes malorum spirituum. Nam, ut videtur, daemones ante ultimum iudicium in inferno non sunt inclusi, quia nondum finitum est sed adhuc durat et usque ad iudicium ultimum durabit magnum illud bellum in ordine *supernaturali*, in quo tam angeli quam homines suas habent partes. Si autem tentationes daemoniacae non essent, nec committerentur tot peccata ac crimina, nec fierent tot scandala, nec esset tanta morum corruptio, quanta nunc esse cernitur.

§ V. *De peccati originalis subiecto.*

Ii soli et omnes peccatum originale contrahunt, qui naturali generatione ab Ada originem ducunt, nisi speciali privilegio ab illo peccato praeservantur. Iesus Christus igitur iam eo, quod non naturalem, sed supernaturalem in modum generatus

est, peccatum originale non contraxit. Neque aliter esse potest. Nam si humana Christi natura peccatum originale haberet, peccatum haberet persona divina, id quod huic repugnat. Speciali privilegio a peccato originali contrahendo praeservata est Iesu Christi mater, beatissima Virgo Maria.

THESIS. **B. M. V. ex singulari Dei privilegio intuitu meritorum Christi a peccato originali immunis praeservata est.**

De fide ex Bulla Pii IX. « Ineffabilis Deus » die 10. Decembris a. 1854. edita, in qua dicitur: Declaramus, pronuntiamus et definimus doctrinam, quae tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam atque ideirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint ac porro sciant se proprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse et ab unitate Ecclesiae defecisse.

Explicatur: 1. Anima B. M. V. *in primo instanti* existentiae suae accepit *gratiam sanctificantem* peccato originali contrariam una cum virtutibus ac donis infusis.

2. Eandem gratiam cum illis virtutibus ac donis accepit *in gradu* quidem *finito*, ut aliter fieri non potuit, attamen in gradu *eximio* superante gradum, quo eam ulla alia mera creatura possidet.

3. Eandem gratiam cum iisdem virtutibus ac donis accepit *intuitu* seu applicatione *meritorum Iesu Christi*, Redemptoris nostri; unde ab hoc vere est redempta, redemptione tamen praeservativa.

4. Quod gratiam sanctificantem etc. acceperit praecise in primo instanti exsistentiae suae, indeque a peccato originali omnino immunis sit servata, fuit *ex singulari Dei privilegio*. Quia enim per naturalem generationem ab Ada descendit, et quia omnes, qui ita ab hoc descendunt, peccato originali sunt obnoxii, et ipsa huic peccato obnoxia esse debuit.

5. Itaque beata Virgo aliquod habuit *debitum* peccatum originale contrahendi, et id quidem iuxta plures theologos pro-

ximum, iuxta pauciores remotum. Debitum *proximum* habuit, si Adam in subeunda probatione *personam gessit*, sicut ceterorum hominum, ita et Mariae. Debitum solummodo *remotum* habuit, si Adam in probatione sua *debuit* quidem ad normam iuris *gerere* personam Mariae, utpote a se in naturalem modum descendentis, reapse tamen ex speciali privilegio Mariae concesso eius personam non gessit.

Probatur: I. Quodammodo e Scriptura in luce Traditionis aspecta. Gen. 3, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa* (hebr. *ipsum* i. e. semen illius aut *ipse* i. e. idem semen personificatum[1]) *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* 1. Mulier, cuius semen caput serpentis contrivit, secundum plerosque Patres, ut Iustinum, Irenaeum, Cyprianum, Epiphanium, est beata Virgo. 2. Praedicitur inter mulierem et diabolum futuram esse inimicitiam *simpliciter* dictam vel etiam *specialem*. Atqui, si beata Virgo unquam fuisset in peccato, inimicitia cum diabolo aliquando non fuisset. Ergo stricte loquendo inimicitia illa tunc non esset inimicitia simpliciter dicta neque etiam specialis, cum non desint, quibus postquam a peccato originali sunt mundati, inimicitiae cum diabolo continuo intercedant.

II. E Traditione. 1. A multis ss. *Patribus* immaculata beatae Virginis conceptio non quidem explicite, tamen implicite docetur. Ab iis enim:

a) Generatim B. M. V. vocatur α) *(negative)* illaesa, illibata, — immaculata, impolluta, — incorrupta, inculpata, — intacta, intemerata, — interdum addito adverbio «prorsus»: ut prorsus immaculata (παναμώμητος), prorsus inculpata (παναμόμητος); β) *(positive)* sancta, sanctissima, undequaque sancta, supersancta, — purissima, — Deo gratissima, propinquissima, simillima, — a pedibus usque ad caput benedicta; — γ) *(comparative)* sanctior sanctissimus hominibus, imo angelis (qui numquam habuerunt maculam), purior omnibus meris creaturis, — clarior luna, sole, luce; — lilia mundissima, lilia inter spinas; altera Eva, Eva coelestis.

b) Specialim e. g. haec dicuntur: *a s. Ephraem* (s. 4.) Christum alloquente[2]: «Tu re vera et mater tua soli estis, qui

[1] Cf. Hummelauer, Comment. in Genes. p. 159.

[2] In carnibus Nisibenis, editis a Bickell, p. 122.

omnino omni ex parte pulchri estis. In te enim, Domine, nulla est labes, *nec ulla* in matre tua macula». — *A s. Ambrosio*[1]: « Suscipe me... ex Maria, ut incorrupta sit Virgo, sed Virgo ab *omni* integra labe peccati». — *A s. Augustino*[2]: « Excepta igitur sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini *nullam prorsus*, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum *omni ex parte* peccatum, quae concipere ac parere meruit (eum), quem constat nullum habuisse peccatum ». — Et (contra Iulianum Eclanensem, Pelagianum, qui ipsi obiecerat: Tu ipsam Mariam diabolo *nascendi conditione* transcribis)[3]: « *Non transcribimus* diabolo Mariam conditione nascendi, sed ideo, quia ipsa conditio (vel: quia conditio nascendi) solvitur gratia renascendi ».

In loco *priore* proxime quidem sermo est de peccatis actualibus, tamen etiam de peccato originali. Nam verba illa sunt omnino universalia et emphatica; — ratio addita (« propter honorem Domini ») etiam pro peccato originali efficax est; — in tota controversia cum Pelagianis habita agebatur de peccato originali; — alibi ab eodem s. Patre docetur perfectam immunitatem a peccatis actualibus supponere immunitatem a peccato originali.

Dicit enim s. Aug. contra eundem Iulianum[4]: Neque enim tantum potest iustus homo esse, qui homo est, quantum homo, qui et Deus est. Illud sane magnum verumque dixisti, cum posuisses testimonium Apostoli Petri dicentis: *Qui peccatum non fecit* (1. Petr. 2, 22); notandum esse, quod iudicaverit Apostolus sufficere ad ostendendum in Christo nullum fuisse peccatum, quia dixit nullum eum fecisse peccatum: Ut « doceret », inquis, « quia qui non fecit, habere non potuit ». Omnino verissimum est. Profecto enim peccatum etiam *maior fecisset*, si *parvus* (vel parvulus) *habuisset*. Nam propterea nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu ».

In *altero* loco s. Aug. peccatum originale videtur aperte negare, cum, si de hoc non intelligeretur, illius responsum non assequeretur propositum seu fine excideret.

[1] In ps. 118, serm. 22, n. 30.
[2] De natura et gratia, c. 36, n. 42.
[3] Op. imp. l. 4, c. 122.
[4] Lib. 5, cap. 15, n. 57.

In epistola de martyrio s. Andreae, quae est vetustissima [1]: « Quoniam de immaculata terra factus fuerat primus homo,... necessarium fuit, ut de *immaculata* virgine nasceretur perfectus homo, Filius Dei.

Dionysius Alex. [2]: « Non in servo inhabitavit Christus, sed in sancto suo tabernaculo non manufacto, quod est Deipara Maria..., et Matrem *incorruptam, a pedibus usque ad caput benedictam servavit*, sicut ipse solus novit modum conceptus et ortus sui. Haec est, quam Isaac praevidens dicebat Iacob: Det tibi Dominus benedictionem coeli desuper, et benedictionem terrae habentis omnia. Qui enim e coelo descendit unigenitus Deus Verbum, gestatum in utero et genitum est *ex paradiso* virginali habente omnia. Neque summus Sacerdos noster manu hominis est ordinatus, neque tabernaculum eius ab hominibus fabricatum, sed Spiritu S. firmatum est et virtute Altissimi protegitur, illud *semper* laudatissimum Dei tabernaculum Maria, Deipara et Virgo ». — *Ioannes Damasc.* [3]: « Ad hunc paradisum *serpenti aditus non patuit*. Ipse enim unigenitus Dei Filius ex hac Virgine et *pura terra* se ipsum in hominem formavit ». — *Sophronius* [4] Mariam vocat ab *omni* contagione liberam. — *Andreas Cretensis* dicit [5] beatam Virginem Mariam *universali* fermento non esse fermentatam.

Nota. Ss. Patres, qui dicunt *solum Christum* ratione conceptionis a peccato fuisse immunem et carnem Mariae Virginis fuisse carnem peccati, sic possunt intelligi: Christus ob modum conceptionis sibi proprium a peccato originali immunis fuit; sed caro Virginis ratione conceptionis suae peccato originali fuit obligata; seu: in Maria debitum contrahendi peccatum originale fuit, in Christo non fuit.

Si aliqui ss. Patrum asserunt beatam Virginem esse *mundatam*, fortasse sic possunt explicari: Maria gratia est praeventa, ne secundum naturalem cursum maculam contraheret.

2. In *liturgiis* ea inveniuntur, quae immaculatam Virginis conceptionem implicite videntur exprimere. In liturgia e. g. s. Iacobi seu Hierosolymitana recitatur: Dignum est, ut te vere beatam dicamus Deiparam, *semper* beatam et *omnibus modis irreprehensibilem*, et matrem Dei nostri.

3. Apud Graecos a saeculo 7. saltem celebratum est *festum* conceptionis passivae beatae Mariae Virginis seu activae s. Annae, eius matris. Sed in Ecclesia festum non celebratur nisi eius, qui tum, cum illud, quod celebratur, locum habuit, fuit sanctus.

[1] Cf. Kirchenlexicon, B. 1. S. 826.
[2] Ep. ad. Paul. Samos.
[3] Hom. 2. de dormit. B. M. V.
[4] Epist. synod.
[5] Orat. de nativ. B. M. V.

III. Rationibus congruis. Beatam Virginem decuit absque peccato originali concipi, quia futura erat 1. Mater Dei, quem dedecet habere matrem labe peccati aliquando foedatam; 2. regina angelorum, qui nullo unquam peccato obnoxii fuerunt.

Scholion. De donis praeternaturalibus Mariae Virgini concessis.

I. Beatae Virgini concessa est integritas seu *immunitas concupiscentiae* id, quod:

1. Quantum ad ipsam huius doni *collationem* certum est, et sic probatur: *a)* Concupiscentia est aliquod *inquinamentum*, quod ex parte animali in partem spiritualem influit. Hoc vero dedecebat matrem Dei, cui summa conveniebat puritas. *b) Primi parentes* hominum ante lapsum a concupiscentia immunes fuerunt; ergo a fortiori mater Dei ab ea immunis fuisse censenda est. — *c)* Iuxta Trid. sess. 6, cap. 23. beata Virgo omnia peccata *venialia* vitabat, ceteri homines ea per totam vitare non possunt. Sed ratio, cur illa paccata vitari nequeant, sunt motus concupiscentiae; ergo hi motus in beata Virgine non fuerunt.

2. Quantum ad *modum* collationis est controversum. Disputatur enim, utrum concupiscentia in Maria statim ab initio radicitus fuerit *exstincta*, an usque ad conceptionem Christi, a quo momento certe exstincta erat, tantummodo fuerit *ligata*, ita ut divina gratia et speciali providentia praecavente in motus inordinatos non eruperit. E scholasticis prius tenebant Scotus et generatim omnes, qui immaculatam conceptionem defendebant, alterum ss. Thomas et Bonaventura [1] et ii omnes fere, qui immaculatam conceptionem negabant.

II. Beatae Virgini *non* est concessa *impassibilitas, neque immortalitas corporis;* sed ipsa subiecta erat poenalitatibus huius vitae, ut laboribus, aerumnis, morti. Haec enim non sunt imperfectiones morales, unde matrem Dei haud dedecebant. E contrario Mariam decebat etiam in his Filii sui, qui ipse ea sustulit, esse similem et ea tolerando merita sibi acquirere.

[1] Tom. 3, pag. 75.

TRACTATUS

DE CHRISTO REDEMPTORE.

PARS PRIOR.

DE PERSONA REDEMPTORIS SEU DE INCARNATIONE VERBI.

(Christologia).

Incarnatio est coniunctio naturae humanae cum natura divina in una persona Verbi. Vocatur incarnatio per synecdochen, qua caro ponitur pro humana natura (Io. 1, 14: *Verbum caro factum est*), ita ut sit idem atque inhumanatio. A Graecis pariter vocari solet σάρκωσις.

CAPUT I.

De Persona Assumente Seu De Divinitate Christi.

DOGMA FUNDAMENTALE RELIGIONIS CHRISTIANAE: **Iesus Christus est verus Deus.**

Definitum est a Conc. Nic. I.

Probatur argumentis desumptis e Scriptura Novi Testamenti, et e Traditione.

Argumenta desumpta e Scriptura novi testamenti, in qua:

A. Iesus Christus vocatur Filius Dei, qui non intelligendus est filius adoptivus, sed naturalis.

Nam: I. Nomen filii, si de Christo praedicatur, saepe ponitur *cum articulo* (dicitur: ὁ υἱός), id quod in novo testamento numquam fit, si praedicatur de creaturis. Sic vero Christus Filius Dei vocatur vel exhibetur vocatus:

1. *A Deo Patre*, tam post baptismum a Ioanne receptum, quam in transfiguratione.

Matth. 3, 17: *Et ecce vox de coelis dicens: Hic est Filius meus dilectus* (ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός), *in quo mihi complacui.* — Matth. 17, 5: *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus* (ὁ etc., ut supra), *in quo mihi bene complacui; ipsum audite.* — 2. Petr. 1, 17.

2. *A se ipso*, e. g. coram caeco genito.

Io. 9, 35-37: *Audivit Iesus, quia eiecerunt eum foras; et cum invenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei* (εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ)? *Respondit ille et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.*

3. *A Ioanne Baptista.*

Io. 1, 34: *Et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei* (ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ).

4. *A Petro* nomine omnium Apostolorum, idque bis, sc. postquam Christus ex iis quaesivit, quem ipsum esse homines dicant, et postquam praenuntiavit institutionem ss. Eucharistiae.

Matth. 16, 15-17: *Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, Filius Dei vivi* (ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος). *Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.* — Io. 6, 68-70: *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes. Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei* (ὁ etc., ut supra).

5. *A Paulo* in synagogis Damasci statim post suam conversionem.

Act. 9, 20: *Et continuo in synagogis praedicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei* (ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ).

6. *A Ioanne Evangelista* et sub fine evangelii et in prima epistola.

Io. 20, 31: *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei* (ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ), *et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* — 1. Io. 5, 20: *Filius Dei... dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius* (ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ).

7. *A Martha,* sorore Lazari.

Io. 11, 27: *Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus, Filius Dei vivi* (ὁ etc. ut supra), *qui in hunc mundum venisti.*

Iam vero id, quod nomen filii Dei, si merae creaturae attribuitur, numquam ponitur cum articulo, sin Christo attribuitur, saepius (plus decies) cum articulo ponitur, innuit inter filiationem Christi et filiationem aliorum omnium essentialem esse differentiam. Differentia autem essentialis solummodo tum habetur, si, cum alii sint filii Dei adoptivi, Christus est Filius eius naturalis.

II. Nomini Filii Dei adduntur *adiectiva*, quibus clare exprimitur Christum esse Filium Dei naturalem. Nam Christus vocatur Filius Dei:

1. *Proprius* (ἴδιος). Rom. 8, 32: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

2. *Unigenitus* (μονογενής), idque ter: semel a Christo ipso, bis a s. Ioanne Apostolo. Christus enim dixit Nicodemo Io. 3, 16: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum* (τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ) *daret.*

Io. 1, 18: *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu* (εἰς τὸν κόλπον) *Patris, ipse enarravit.* — 1. Io. 4, 9: *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum* (τὸν etc., ut supra) *misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

III. Secundum Scripturam iusti praestantissimi, qui sine dubio sunt filii Dei adoptivi, comparati cum Christo non sunt nisi Dei *servi*, quibus Christus ut Filius opponitur. Ergo Christus non est ad instar illorum filius Dei adoptivus, sed est Filius Dei naturalis. Iustos autem, eosque eminentissimos, comparatos cum Christo esse tantummodo Dei servos docetur:

1. A *Christo* ipso in parabola de vinea agricolis locata. Marc. 12, 1-12: *Et coepit illis* (Iesus) *in parabolis loqui: Vineam plantavit homo,... et locavit eam agricolis et peregre*

profectus est. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineae... Et iterum misit ad illos alium servum... et plures alios. Adhuc ergo unum habens filium carissimum (Ἔτι οὖν ἕνα υἱὸν ἔχων ἀγαπητὸν αὐτοῦ), *et illum misit ad eos novissimum dicens: Quia verebuntur filium meum. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est heres* (ὁ κληρονόμος); *venite, occidamus eum... Et* (principes sacerdotum et scribae) *quaerebant eum* (Iesum) *tenere;... cognoverant enim, quoniam ad* (πρός) *eos parabolam hanc dixerit.* Luc. 20, 9-16. Homo ille, ut patet, repraesentat Deum Patrem; servi sunt prophetae etc.; filius est Christus.

2. A s. *Paulo* tam respectu angelorum, quam respectu Moysis.

a) Respectu angelorum Hebr. 1, 5. 7: *Cui enim dixit* (Deus) *aliquando angelorum: Filius meus es tu; ego hodie genui te?... Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* — Angeli igitur, qui Iob 2, 1 et 38, 7 expresse filii Dei appellantur, a s. Paulo ex Ps. 103, 4 vocantur Dei ministri, Christus autem ex Ps. 2, 7 vocatur Dei Filius, et ut is angelis opponitur. Ergo Christus non est ad instar angelorum filius Dei adoptivus, sed est Filius Dei naturalis.

Iob 2, 1: *Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei et starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos et staret in conspectu eius.* — 38, 7: *Cum me laudarent simul astra matutina, et iubilarent omnes filii Dei.*

b) Respectu Moysis Hebr. 3, 5-6: *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius* (Dei) *tamquam famulus* (ὡς θεράπων),... *Christus vero tamquam* (ὡς) *Filius in domo sua.*

IV. Deus *alio modo* exhibetur *Pater* Christi, alio modo Pater hominum. Nam Christus, quotiescunque de Deo Patre loquitur, aut dicit: Pater *meus* aut dicit: Pater *vester;* numquam dicit: Pater noster. Hoc ostendit Deum aliter esse Patrem Christi, aliter Patrem nostrum: nostrum Patrem adoptione, Christi Patrem natura.

Christus in evangeliis iuxta textum graecum c. quadragies ter dicit « Pater meus », c. semel et vicies « Pater vester »; e. g. « Pater meus »: Matth. 7, 21; 10. 32; 15, 13. Luc. 2, 49; 10, 22; 22, 29. Io. 2, 16; 5, 17; 5, 43; « Pater vester »: Matth. 5, 48; 10, 29; 18, 14. Luc. 6, 36; 11, 13; 12, 30. Io. 20, 17.

V. Iudaei Christum affirmantem se esse Filium Dei *intellexerunt* eum se profiteri Filium Dei naturalem, non adoptivum. Christus vero hunc modum intelligendi non reprobavit, sed positive *approbavit*, et id quidem bis coram legitima auctoritate, et pro hac assertione acerbissimam *toleravit necem*.

Probatur 1. pars: a) Io. 5, 18: *Quaerebant eum Iudaei interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, aequalem* (ἴσον) *se faciens Deo.* Si Iudaei ex eo, quod Christus dicebat Deum esse suum Patrem, concluserunt eum se facere Deo *aequalem*, certe intellexerunt eum affirmare Deum esse Patrem suum naturalem. — *b)* Io. 19, 7: *Responderunt ei* (Pilato) *Iudaei: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Lex quam Iudaei in mente habuerunt, haud dubie est illa, qua vetatur blasphemia (Lev. 24, 16). Sed peccatum blasphemiae non committitur ab eo, qui se habet pro filio Dei adoptivo, sed tantummodo ab eo, qui, cum sit mera creatura, dicit se esse Filium Dei naturalem.

Probatur 2. pars: a) Matth. 26, 63-66 coll. Marc. 14, 61. 62: Nocte illa *princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, filius Dei* (ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ). *Dicit illi Iesus: Tu dixisti* (Marc.: *Ego sum*)... *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* — *b)* Luc. 22, 66-71: *Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis et principes sacerdotum et duxerunt eum* (Iesum) *in concilium suum dicentes: Si tu es Christus, dic nobis... Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei* (Σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ)? *Qui ait: Vos dicitis; quia ego sum.*

Sequitur: 1. Quoad Iudaeos. Iudaei haud ignorabant in Scriptura homines saepius vocari filios Dei, ut Ps. 81, 6. Is. 1, 2.

Ps. 81, 6: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes.* — Is. 1, 2: *Audite coeli, et auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me.*

Imo se ipsos pro Dei filiis habebant, ut patet ex eo, quod Iesu dixerunt Io. 8, 41: *Nos... unum patrem habemus Deum.* Proinde, si Christum se Filium Dei profitentem intellexissent eum dicere se esse filium Dei adoptivum, nec potuissent dicere

nec dixissent: Blasphemavit; reus est mortis; secundum legem debet mori.

2. *Quoad Christum.* Si Christus apprehendisset verba sua a Iudaeis perperam intelligi, ea corrigere debuisset. Quod si omisisset, neque prudens neque honestus haberi posset, qui etiam permultis divinitatem eius negantibus videtur esse: non prudens, quia sua sponte opprobria, acerbissimos cruciatus ipsamque necem tolerasset pro opinione hominum falsa, quam uno verbo potuisset corrigere; non honestus, quia assertione sua perverse intellecta hominibus maximum praebuisset scandalum.

B. Iesus Christus expresse vocatur Deus, idque sexies saltem: bis a s. Ioanne Apostolo, ter a s. Paulo, semel a s. Thoma; bis cum articulo, ter cum appositis « verus, magnus, super omnia ».

I. Christus vocatur Deus *a s. Ioanne* tam in eius evangelio quam in prima eius epistola.

Io. 1, 1. *Et Deus erat Verbum* (καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος).

1. Verbum est Iesus Christus. Nam: *a)* Vv. 14-16. de Verbo ea praedicantur, quae solummodo de Christo intelligi possunt, sc. haec: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi* (ὡς) *Unigeniti a Patre... Ioannes testimonium perhibet de ipso.* — *b)* V. 17. appellatur Iesus Christus.

V. 16: *Et de plenitudine eius* (Verbi, Unigeniti a Patre) *nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia;* 17. *quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est* (ἐγένετο)

2. Verbum, consequenter Christus, vocatur Deus, et is quidem sensu proprio intelligendus. *Probatur: a) Directe.* In membro immediate antecedente « *Verbum erat apud Deum* » vox Dei proprie est accipienda et ab omnibus accipitur; ergo etiam in hoc membro proprie accipi debet, cum admitti non possit eandem vocem ab hagiographo uno spiritu modo proprie modo improprie esse usurpatam. — *b) Indirecte.* Non obstat, quod in membro priore « *Verbum erat apud Deum* (ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν) » θεός ponitur cum articulo; in posteriore « *Deus erat Verbum* » sine articulo. Nam: α) In priore θεός est divina persona, et ea quidem Patris, in altero est divina natura. Illud enim ipse s. Ioannes in prima sua epistola declarat dicendo 1, 2: *Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Pa-*

trem. — β) In posteriore membro vocabulum « θεός » est nomen praedicati, quod in lingua graeca regulariter ponitur sine articulo. — γ) A s. Ioanne nomen Dei etiam alibi ponitur sine articulo, ubi aperte significat Deum verum, ut Io. 1, 6; 3, 2. 21; 13, 3; 16, 30.

Io 1, 6: *Fuit homo missus a Deo* (παρὰ θεοῦ), *cui nomen erat Ioannes.* 3, 2: *Hic* (Nicodemus) *venit ad Iesum nocte et dixit ei: Rabbi scimus, quia a Deo* (ἀπὸ θεοῦ) *venisti magister.*

1. Io 5, 20: *Et scimus, quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus* (Οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός) *et vita aeterna.*

Loco « verum Deum » multi codices graeci solummodo habent τὸν ἀληθινόν. Probabiliter tamen lectio « τὸν ἀληθινὸν θεόν » melior est, cum congruat cum verbis Christi Io. 17, 3: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et, quem misisti, Iesum Christum.*

Pronomen « hic » referendum est ad verba immediate praecedentia « Filio eius ».

Probatur: 1. *Ex constructione.* Illud pronomen semper refertur ad nomen proxime praecedens, nisi quid obstat. Sed hic nihil obstat; e contrario relatio illa postulatur. Nam si pronomen « hic » non refertur ad Filium, referendum est ad Deum verum; et tunc sensus est: Deus verus est Deus verus, id quod est absurdum.

2. *Ex proposito Apostoli.* S. Ioannes evangelium scribendo et epistolam, quae evangelii fuit quaedam introductio, animo non intendit demonstrare Patrem esse verum Deum et vitam aeternam, sed Filium esse verum Deum et vitam aeternam, ut praeter alia apparet ex 1. Io. 1, 2: *Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis.*

3. *Ex usu loquendi Apostoli.* In libris s. Ioannis Pater numquam vocatur vita vel vita aeterna, Filius autem sic nominatur pluries, ut Io. 11, 25; 14, 6; 1. Io. 1, 2; 5, 12.

Io 11, 25: *Dixit ei* (Marthae) *Iesus: Ego sum resurrectio et vita.* 14, 6: *Dixit ei* (Thomae) *Iesus: Ego sum via et veritas et vita.*

4. *Ex sensu ss. Patrum.* Omnes Patres, qui verba illa allegarunt vel exposuerunt, retulerunt pronomen « hic » ad Christum.

II. Christus *a s. Paulo* ter vocatur Deus, sc. in epistolis ad Romanos, ad Titum, ad Hebraeos.

Rom. 9, 5: *Ex quibus* (patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* (ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας). *Amen.*

Doxologia «qui est super omnia Deus benedictus in saecula» referenda est ad Christum, quin interpungatur.

Probatur: 1. *Ex constructione.* Secundum regulam grammaticalem participium ὤν, quod aequivalet sententiae relativae ὃς ἐστιν, referendum est ad illud nomen, quod proxime praecedit.

2. *Ex contextu.* Verbis praecedentibus «*secundum carnem*» innuitur Christum non esse hominem tantum, sed et aliquid amplius. Unde exspectatur, ut indicetur, quid praeterea sit, cui exspectationi optime respondetur per illam doxologiam, cui exspectationi non responderetur, si doxologia non referretur ad verba praecedentia.

3. *Ex usu loquendi Apostoli.* S. Paulus eiusmodi doxologiam nunquam ponit, nisi antea mentionem illius fecit, quem eadem celebrat, ut patet ex Rom. 1, 25; 11, 36.

Rom. 1, 25: *Qui* (Gentiles) *commutaverunt veritatem Dei in mendacium et coluerunt et servierunt creaturae potius, quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Amen.* — 11, 36: *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in saecula. Amen.*

4. *Ex codicibus.* Inter ducentos quinquaginta codices quatuor tantum sunt, in quibus aliter atque in Vulgata interpungitur.

5. Ex versionibus antiquis: arabica, syricaca, gothica.

6. *Ex sensu ss. Patrum.* Nam c. quadraginta Patres, etiam antenicaeni, illa s. Pauli verba ita retulerunt, ut in Vulgata continentur.

Tit. 2, 13: *Exspectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi* (προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ).

Per particulam «et» non distinguuntur duae personae, sed coniunguntur duo de eadem persona praedicata, sc. de Iesu Christo, qui est et magnus Deus et Salvator noster.

Probatur: 1. *Ex constructione.* Nomina Dei et Salvatoris in textu graeco coniunguntur uno articulo. Sed si duae essent personae, articulus iuxta regulam grammaticalem deberet re-

peti. Etiam in Scriptura, si plura nomina plures significant personas, articulus repeti solet. Econtra in iis Scripturae locis, in quibus articulus non repetitur, aperte est sermo de una eademque persona. Prius constat e. g. ex Matth. 28, 19. Col. 2, 2; 1. Thess. 3, 11; 2. Thess. 2, 16; alterum ex 2. Cor. 1, 3. Eph. 1, 3. Philipp. 4, 20. Col. 3, 17; 1. Thess. 3, 11. 13; 1. Tim. 1, 17.

Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete* etc. cf. pag. 74. sub 3. — 2. Cor. 1, 3: *Benedictus Deus et Pater* (ὁ θεὸς καὶ πατήρ) *Domini nostri Iesu Christi.*

2. *Ex mente novi testamenti.* Adventus in novo testamento numquam praedicatur de Deo Patre, sed semper de Dei Filio seu Christo, ut Matth. 24, 3. Act. 7, 52; 13, 24; 1. Cor. 15, 23; 1. Thess. 2, 19; 3, 13. Iac. 5, 7.

Act. 7, 52. Stephanus dixit Iudaeis: *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui praenuntiabant de adventu Iusti, cuius vos nunc proditores et homicidae fuistis.*

Hebr. 1, 8: *Ad Filium autem* (dixit Deus Pater): *Thronus tuus, Deus* (ὁ θεός), *in saeculum saeculi.*

Ὁ θεός quoad formam quidem est casus nominativus; sed tamen quoad rem est vocativus.

Probatur: 1. *Ex sensu.* Si ὁ θεός quoad rem esset casus nominativus, sensus esset: Thronus tuus est Deus in saeculum saeculi. Sed istud dicere et inusitatum est et indecens, cum thronus deterioris conditionis sit, quam is, qui in eo sedet.

2. *Ex usu linguae graecae.* Nam in lingua graeca non raro fit, ut loco casus vocativi ponatur nominativus, idque a scriptoribus non solum profanis, sed etiam sacris, ut Marc. 9, 24. (in textu graeco 25). Luc. 8, 54. Eph. 6. 1.

Marc. 9, 24 (25): *Surde et mute spiritus* (τὸ πνεῦμα)... *exi ab eo.* — Luc. 8, 54: *Puella* (ἡ παῖς), *surge.* — Eph. 6, 1: *Filii* (τὰ τέκνα) *obedite parentibus.*

III. Christus *a s. Thoma* vocatur Deus. Io. 20, 28: *Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus* (Ὁ κύριός μου καὶ ὁ θεός μου).

His verbis s. Thomas non ablatus admiratione Deum exclamavit, sed affatus est Christum.

Probatur: 1. *Ex dicto Thomae.* Diserte notatur: et dixit *ei* sc. Christo.

2. *Ex responso Christi.* V. 29: *Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, et crediderunt.* Unde apparet s. Thomam professum esse fidem Christi.

C. Iesus Christus aequivalenter vocatur Deus.

I. Christus vocari solet *Dominus* (ὁ κύριος).

Act. 9, 11 sqq: *Et Dominus* (ὁ δὲ κύριος) *ad eum* (Ananiam dixit): *Surge et vade in vicum, qui vocatur rectus, et quaere in domo Iudae Saulum* etc.

Iam vero in vetere testamento hoc nomen a Septuag. constanter adhibetur ad significandum verum Deum, ibique ponitur, ubi in textu hebraico invenitur tetragrammaton « Iahve », quod de solo Deo vero praedicatur. Praeterea Is. 42, 8 Deus de se dicit: *Ego Dominus; hoc est nomen meum.* Ergo in novo testamento Christus aeque constanter et sine ulla restrictione Dominus vocari non posset, nisi et ipse esset verus Deus.

Insuper Christus non modo appellatur Dominus simpliciter, sed etiam *cum addito* quodam, quod ad vim nominis illius augendam valet. Sic Act. 10, 36 vocatur Dominus omnium, Apoc. 19, 16 Dominus dominantium, Iud. 4 solus dominator.

Act. 10, 36: *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Iesum Christum (hic est omnium Dominus).* — Apoc. 19, 16: *Et* (Verbum Dei v. 13.) *habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium* (κύριος κυρίων). — Iud. 4: *Subintroierunt enim quidam homines... solum Dominatorem et Dominum* (τὸν μόνον δεσπότην καὶ κύριον) *nostrum Iesum Christum negantes.*

II. Christo adscribitur identitas cum Deo Patre seu *divina natura.* Christus enim de se ipso dicit:

Io. 10, 30: *Ego et Pater unum sumus.* Hoc intelligendum non est de unione morali, sed de unitate physica et substantiali.

Probatur: 1. *Ex mente Scripturae.* In tota Scriptura illud nusquam praedicatur de creatura quantumvis Deo coniuncta.

2. *Ex antecedentibus.* Christus dixerat (28): *Ego vitam aeternam do eis* (ovibus meis);... *et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Hoc voluit probare. Probavit autem sic (29): *Nemo potest* (eas) *rapere de manu Patris mei;* ergo nec de manu mea; quia *ego et Pater unum sumus.* Iam vero, si hoc intelligitur de unitate potentiae ac naturae, id, quod erat demonstrandum, demonstratum est; sin intelligitur solummodo de unione morali voluntatum, demonstratum non est.

3. *Ex subsequentibus.* (31) *Sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut lapidarent eum.* Et dixerunt (33): *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.*

Neque obstant verba Christi (34): *Nonne scriptum est in lege vestra* (Ps. 81, 6): *Quia ego dixi: Dii estis* (vos iudices)? Nam cum Iudaei opinarentur Christum secundum legem (Lev. 24, 16) esse lapidandum, Christus ex eadem lege probavit se ea poena non obligari. Usus est igitur argumento ad hominem, quod dicitur; simulque se accommodavit imbecillitati hominum furentium, ideoque veritatis non patientium, ad eorum furorem sedandum. Id ita intelligendum esse apparet ex eo, quod Iudaei Christum, etiam postquam illa verba locutus est, quaerebant apprehendere, ut legitur v. 39.

Io. 12, 45: *Qui videt me, videt eum, qui misit me.*

Io. 14, 9: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.*

III. Christo adscribuntur *divina attributa.*

1. *Generatim.* Io. 16, 15: *Omnia, quaecunque habet Pater, mea sunt.*

2. *Speciatim.* e. g. Io. 14, 6: *Ego sum... veritas et vita* (ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή).

IV. Christo adscribuntur *divina opera.*

1. *Generatim:* Io. 5, 19: *Quaecunque enim ille* (Pater) *fecerit, haec et Filius similiter facit* (ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ).

2. *Speciatim. a)* Quae *ab* ipso fiunt. α) Creatio. Io. 1. 3: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Col. 1, 16 (Cf. supra pag. 116.). Hebr. 1, 10. — β) Conservatio. Hebr. 1, 3: *Portansque omnia verbo virtutis suae.* Col. 1, 17 (Cf. supra pag. 131.). — γ) Vivificatio corporalis et spiritualis. Io. 5, 21: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat* (ζωοποιεῖ). Act. 3, 15. — δ) Missio Spiritus Sancti. Io. 16, 7: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* — ε) Habitatio in iustis una cum Patre. Io. 14, 23: *Si quis diligit me,... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.*

b) Quae *ipsius nomine* fiunt. α) Collatio baptismi in remissionem peccatorum. Act. 2, 38: *Baptizetur unusquisque re-*

strum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum. Act. 10, 43. — 3) Patratio miraculorum. Marc. 16, 17. 18: *In nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis,... super aegros manus imponent, et bene habebunt.* Act. 3, 6-8: *Petrus autem dixit* (claudo):... *In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula. Et apprehensa manu eius dextera alleravit eum, et protinus consolidatae sunt bases eius et plantae. Et exiliens stetit et ambulabat.*

V. Christo attribuitur *divinus cultus.* Christus dicit Io. 5, 22. 23: *Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut* καθώς *honorificant Patrem.* — S. Paulus scribit Philipp. 2, 10: *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum*, cum Is. 45, 23. 24 Deus dixerit: *In memetipso iuravi... mihi curvabitur omne genu.*

Scholion. Ad infringendas difficultates contra divinitatem Christi e Scriptura allatas haec duo potissimum advertantur: 1. Christus non solum Deus, sed etiam *homo* est, unde de eo qua homine multa recte possunt praedicari, quae de eo qua Deo nullatenus praedicari possunt, e. g. eum esse Patre minorem (Io. 14, 28), eum esse Patri subiectum (1. Cor. 15, 28), eum pro nobis interpellare (Hebr. 7, 25). 2. Christus qua Deus a Patre est *genitus*, unde omnia, quae ut Deus habet, habet a Patre seu a Patre accepit, nimirum non per donationem, sed per generationem.

Marc. 10, 18: *Iesus autem dixit ei* (qui ipsum affatus erat: Magister bone): *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus: Deus.* Christus respondet ad mentem interrogantis, sc.: Cur tu, qui me pro solo homine habes, me vocas bonum, cum solus Deus sit bonus? Praeterea forsitan interrogatione illa eum monet, ut deliberet, an ex iis, quae de ipso noverit et propter quae eum bonum vocaverit, concludendum sit eum non esse merum hominem, sed etiam Deum. Certe Christus verbis illis vult docere omnem laudem, quae nobis tribuitur, ad Deum esse referendam et in Dei laudem vertendam.

Marc. 13, 32: *De die autem illo vel hora* (universalis iudicii) *nemo scit; neque angeli in coelo, neque Filius; nisi Pater.* Filius illud scit qua Deus et qua homo quantum ad se ipsum; illud nescit quantum ad nos, i. e. qua legatus missus ad nos homines, seu scientia communicabili; scit igitur simpliciter; nescit secundum quid. Cf. Io. 12, 49: *Quia ego ex me ipso non sum locutus; qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar.*

Io. 1, 30 Ioannes Baptista de Christo dicit: *Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est* (ἔμπροσθέν

μου γέγονεν), *quia prior me erat.* Verba « ante me factus est » significant: mihi est praelatus seu antepositus.

Io. 5, 19: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecunque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.* Non negatur potentia Filii simpliciter, sed tantummodo incommunicata; seu innuitur Filium potentiam suam generatione accepisse a Patre. Insuper indicatur Filium in nulla re agenda Patri posse esse contrarium, eo quod necessario idem faciat ac Pater.

Io. 14, 28: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Sub eo respectu Pater maior est Christo, quo Christus ad Patrem vadit. Sed Christus vadit ad Patrem non ut Deus, sed ut homo.

Col. 1, 15: *Qui* (Filius dilectionis) *est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae* (πρωτότοκος πάσης κτίσεως). Primogenitus omnis creaturae est idem ac prius genitus, quam ulla creatura facta est. Nam: 1. Superlativus « πρῶτος » latens in « πρωτότοκος » habet vim comparativi « πρότερος », id quod etiam alibi occurrit, ut Io. 1, 15: *quia prior me erat* (ὅτι πρῶτός μου ἦν); item Matth. 21, 28. 36 et Act. 1, 1. — 2. Genitivus « πάσης κτίσεως » est genitivus comparationis, qui in lingua graeca est usitatus. — 3. Huic genitivo mente adiungendum non est τεχθέντος, sed γενηθέντος.

Argumenta desumpta e Traditione.

I. *E scriptis ss. Patrum. S. Ignatius* scribit [1]: « Ipse *Deus* noster Iesus Christus, in Patre exsistens, magis manifestatur ». *Hermas* [2]: « Filius Dei omni creatura eius antiquior est... Nomen Filii Dei magnum et immensum est ac totum mundum sustinet ». — *S. Iustinus M.* [3]: « Qui (Iesus Christus), cum Verbum sit primogenitum Dei, *Deus* etiam est ». — *Origenes* [4]: « Nullus evangelistarum adeo pure manifestavit Iesu *divinitatem*, ut Ioannes ».

Epistola ad Diognetum [5]: « Ipse omnium regnator et omnium conditor et invisibilis Deus ipse e coelis veritatem et Verbum sanctum inter homines

[1] Rom. 3, 3.
[2] Pastor, sim. l. 9, c. 12, n. 2.
[3] Apol. 1, n. 63.
[4] In Ioann. t. 6.
[5] 7, 2. 4.

locavit et cordibus eorum infixit; non, quemadmodum aliquis coniicere possit, hominibus ministrum aliquem mittens aut angelum aut principem aut aliquem eorum, qui terrena gubernant, aut aliquem eorum, quibus commissa est cura rerum in coelis administrandarum, sed ipsum opificem et *creatorem omnium*... In clementia et lenitate ut rex mittens *Filium regem* misit eum, ut *Deum* misit, ut hominem ad homines misit ». — *Aristides* [1]: « Christiani initium religionis suae a Iesu Christo computant. Hic ipse Filius Dei altissimi appellatur, et de eo docent: *Deum* descendisse de coelo et ex virgine hebraea carnem assumpsisse et induisse. Itaque Filius Dei in filia hominis habitavit. ». — *Irenaeus* [2]: « Christo Iesu, Domino nostro et *Deo* et salvatori et regi, secundum placitum Patris invisibilis omne genu curvetur ». Et [3]: « Ipse *proprie Deus* et Dominus et rex aeternus et Unigenitus ». Et [4]: « Filius Dei, qui *Deus* est... quoniam Deus, et quoniam in Bethlehem adventus eius,... Deus igitur homo factus est ». — *Clemens Alex.* [5]: « Dominus, qui specie tenus despectus, re ipsa adoratus est, expiator, servator, mansuetus, divinum Verbum, *verus sine controversia Deus* ». — *Tertull.* [6]: « Pauca de Christo ut Deo. Hunc ex Deo prolatum didicimus et prolatione generatum et ideirco Filium Dei et Deum dictum unitate substantiae... De Deo Deus, ut lumen de lumine accensum... Quod de Deo profectum est, *Deus est* et Dei Filius ». — *Cypr.* [7]: « Habemus advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris Iesum Christum, et Dominum et *Deum nostrum* ».

Patres postnicaenos divinitatem Iesu Christi aperte docuisse ab adversariis vulgo conceditur.

II. *E testimoniis ss. martyrum.* Ex actis martyrum constat permultos martyres fidem divinitatis Christi coram iudicibus confessos esse et pro hac fide mortem subiisse. Sic s. *Symphorosa* dixit [8] ad Adrianum imperatorem (qui regnavit 117-138): « Si pro nomine Christi, *Dei mei*, incensa fuero, illos daemones tuos magis exuro ».

Martialis, filius Felicitatis, (a. 150): « Omnes, qui non confitentur Christum *verum esse Deum*, in ignem aeternum mittentur ». — *Iustinus M.* (a. 167.): « Dominum Iesum Christum Dei Filium confitemur. Ego quidem homo imbecillis sum et longe minor, quam ut *de infinita illius Deitate* aliquid magnum dicere possim ». — *Felix Nolanus*: « Credimus in Dominum nostrum Iesum Christum,... qui, cum *perfectus* esset *Deus*, factus est simul et homo perfectus, ex Virgine incarnatus ».

[1] Apol. c. 2.
[2] Adv. haer. l. 1, c. 2.
[3] Ib. l. 3, c. 22.
[4] Ib. l. 3, c. 23.
[5] Cohort. ad gent. c. 10.
[6] Apol. c. 21.
[7] Ep. 3.
[8] Act. SS. 18. Iulii, 4, 358.

Scholion. Christianos iam primis saeculis credidisse Christum esse Deum patet quoque ex testimoniis scriptorum *gentilium*. Sic *Plinius* iun., proconsul Bithyniae a. 107. ad Traianum imperatorem scripsit Christianos stato die carmen Christo tamquam Deo dicere. *Celsus* philosophus eodem saec. 2. Christianis obiecit, quod putarent Deum factum esse hominem.

« Deus », inquit[1], « est bonus, pulcher, felix et in pulcherrima optimaque forma. Si vero ad homines descendit, oportet, ut mutetur. Mutabitur autem e bono in malum, e pulchro in deformem, e felice in infelicem, ex optimo in nequissimum. Quis talem eligat immutationem »?

CAPUT II.

De Natura Humana Assumpta.

Thesis I. **Iesus Christus est verus homo, seu Filius Dei assumpsit veram naturam humanam.**

De fide ex Conc. Chalcedonensi (a. 451.), quod definivit Christum esse hominem verum, perfectum in humanitate, constantem ex anima rationali et corpore, secundum humanitatem nobis consubstantialem (D. 134). — Item ex symbolo Athanasiano.

Explicatur: Sensus igitur thesis est: 1. Verbum assumpsit seu Iesus Christus habet veram naturam humanam, quae constat ex corpore et anima rationali corpus informante, quaeque naturae ceterorum hominum est *consubstantialis*. 2. Porro humana Christi natura seu Christus qua homo ceteris hominibus consubstantialis est non solum metaphysice, quatenus sc. est animal rationale, sed etiam *physice*, i. e. quatenus habet easdem proprietates physicas et ab eodem stipite descendit ac ceteri homines, habendo corpus desumptum ex vera matre, quae fuit naturalis progenies Adae.

Probatur per partes: I. Christus est verus homo.

Nam: 1. Ipse se vocat *hominem* dicendo Io. 8, 40: *Quaeritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum.*

---

[1] Origenes, contra Cels. l. 4, n. 14.

2. Ipse se frequentissime (sc. demptis locis parallelis quinquagies) vocat *Filium hominis;* e. g. Matth. 12, 8, ubi dicit: *Dominus enim est Filius hominis* (ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) *etiam sabbati.* Eo autem nomine exprimi Christum esse verum hominem perspicuum est.

Ea appellatio deprompta est ex Dan. 7, 13. 14: *Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus coeli quasi* (ὡς) *Filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit; et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur: et regnum eius, quod non corrumpetur.* Christus igitur se ipsum Filium hominis vocando declaravit se esse eundem, qui a Danicle sit praenuntiatus, i. e. Messiam. Unde et Io. 5, 27 dixit: *Et potestatem dedit ei* (Christo Deus Pater) *iudicium facere,* QUIA *Filius hominis est.* Et interrogatus a principe sacerdotum, sitne Christus, respondit Matth. 26, 64: *Tu dixisti. Verumtamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem* IN NUBIBUS COELI.

II. Christus habet verum humanum corpus.

Olim negatum est a *docetis* seu phantasiastis, qui Christo corpus mere apparens seu phantasticum tribuerunt, et a *Valentino* gnostico, qui docuit Christum corpus aethereum de coelo detulisse et per Mariam transiisse, quin ex ea quidquam assumeret.

Christum habere verum corpus humanum patet ex eo, quod ipse:

1. Post resurrectionem dixit discipulis existimantibus se spiritum videre Luc. 24, 39: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

2. In Scriptura dicitur natus, circumcisus, fatigatus, passus, mortuus, etc., quae omnia dici non possunt nisi de eo, qui habet verum corpus.

Matth. 1, 16: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* — Luc. 2, 21: *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero concipereter.* — Io. 4, 6: *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* — Marc. 8, 31: *Et coepit* (Iesus) *docere eos* (discipulos), *quoniam oportet filium hominis pati multa... et occidi.* — Marc. 15, 37: *Iesus autem emissa voce magna exspiravit.*

III. Christus habet animam rationalem corpus informantem.

Negatum est ab *Arianis* et *Apollinaristis;* definitum a Conc. Constantinop. II. (a. 553.) et Viennensi (a. 1311-12).

Constantinopol. II: Si quis... non confitetur, sicut sancti Patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum compositionem, id est secundum subsistentiam factam..., a. s. (D. 175). — *Vienn.:* Aperte cum sancta nostra Ecclesia confitemur unigenitum Dei Filium... partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus ipse, in se verus Deus exsistens, fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad unitatem suae hypostasis et personae (D. 408).

Christum habere animam rationalem, patet ex eo, quod ipse:

1. *Dixit* in Gethsemani Matth. 26, 38: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* et in cruce Luc. 23, 46: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

2. *Exercuit virtutes,* quae exerceri non possunt nisi a creatura rationali, imprimis:

a) Humilitatem. Matth. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

b) Obedientiam. Luc. 22, 41. 42: *Et* (Iesus) *positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Io. 4, 34: *Dicit eis* (discipulis) *Iesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* — Io. 5, 30: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* — Philipp. 2, 8: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.*

c) Religionem, et gratias agendo et precando; gratias agendo e. g. in multiplicatione panum, resuscitatione Lazari, institutione Eucharistiae; precando e. g. in Gethsemani.

Io. 6, 11: *Accepit ergo Iesus panes, et, cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* — Io. 11, 41. — Matth. 26, 27. 39. — Luc. 22, 41. 42.

3. *Meruit et satisfecit,* id quod neque divinitatis est neque animae irrationalis, sed solummodo animae creatae rationalis.

IV. Christus est nobis metaphysice et physice consubstantialis.

Nam 1. legitur Hebr. 4, 15: *Habemus pontificem* (Iesum)... *tentatum... per omnia pro similitudine absque peccato.*

2. Christus in Scriptura vocatur semen Abrahae et filius David; dicitur factus ex muliere, natus de Maria; et Maria appellatur Christi mater.

Gal. 3, 16: *Abrahae dictae sunt promissiones et semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi* (loqueretur) *in* (de) *multis; sed quasi in uno* (ἀλλ' ὡς ἐφ' ἑνός): *et semini tuo, qui est Christus.* — Matth. 1, 1: *Liber generationis Iesu Christi, filii David.* — Gal. 4, 4: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* — Matth. 1, 16: *Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* — Matth. 1, 18: *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph* etc.

Scholion. 1. Christus Mariam non vocavit matrem, sed mulierem (Io. 2, 4; 19, 26), in hac, sicut in aliis rebus externis, secutus mores suae nationis. — 2. Christus 1. Cor. 15, 47 vocatur *secundus homo de coelo coelestis* (ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ), quia est Filius Dei, qui descendit de coelis et assumpsit corpus virtute coelesti i. e. de Spiritu Sancto formatum et suo tempore glorificandum. — 3. S. Paulus verbis 2. Cor. 5, 16: *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum; sed nunc iam non novimus* non vult dicere: Ego aliquando putavi Christum veram habuisse carnem; at hunc errorem postea correxi; sed: In nemine adhuc glorior carnalis propinquitatis causa, ne in ipso Christo quidem; seu non magni facio Christum carnali generatione esse Iudaeum et me, utpote etiam Iudaeum, eius esse popularem seu contribulem; nam huic et similibus affectibus terrenis iam mortuus sum. — 4. Sensus verborum Philipp. 2, 7: *Semetipsum exinanivit formam servi* (μορφὴν δούλου) *accipiens, in similitudinem* (ἐν ὁμοιώματι) *hominum factus et habitu* (σχήματι) *inventus ut* (ὡς) *homo* potest esse: Filius Dei, qui naturam humanam assumpsit, extrinsecus apparuit ut servus et ut ceteri homines, cum intrinsecus divinitas lateret.

Thesis II. **Verbum assumpsit corpus ex Maria, perpetua virgine.**

Est *de fide* ex symb. Apost., in quo recitatur: natus ex Maria Virgine, et ex Conc. Later. a. 649. sub Martino I. celebrato.

Dicit Lat. can. 3: Si quis secundum ss. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem *Dei genitricem*, sanctam semperque virginem immaculatam Mariam, utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter, qui

a Deo Patre ante omnia saecula natus est, in ultimis saeculorum absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum eiusdem virginitate, condemnatus sit (D. 204).

Explicatur: Virginitas Mariae fuit omni ex parte perfecta. Nam: 1. *Quantum ad modum* fuit virginitas non solum corporis, sed etiam mentis, imo et sensus, ita ut Maria ne involuntarie quidem senserit ullum libidinis motum. 2. *Quantum ad durationem* fuit virginitas perpetua, seu, ut dici solet, fuit ante partum et in partu et post partum. Fuit ante partum, i. e. Virgo Filium suum non concepit naturaliter ex commercio maritali, sed supernaturaliter de Spiritu Sancto. — Fuit in partu, i. e. Mariae parturienti integritas corporalis modo supernaturali remansit. Modus igitur, quo Christus est natus, similis est ei modo, quo ipse a mortuis resurgens per sepulchrum clausum pervasit. — Fuit post partum, i. e. Maria nec post Christum natum ullum commercium maritale habuit; consequenter neque alios filios habuit praeter Iesum.

Probatur: A. Virginitas Mariae simpliciter perpetua e Traditione.

1. In omnibus symbolis et liturgiis Maria simpliciter appellatur *virgo*, et ab omnibus catholicis ipsa ut virgo semper colebatur. Atqui simpliciter virgines post mortem appellantur et ut virgines coluntur solummodo eae, quae continuo seu usque ad mortem virgines permanserunt.

2. Insuper a primis religionis Christianae temporibus Maria quasi nomine proprio nuncupari solebat *semper-virgo* (ἀειπάρθενος).

In liturgia *Romana* in commemoratione Sanctorum consecrationem praecedente sacerdos orat: « Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper virginis Mariae », et in *graeca:* « ἐξαιρέτως τῆς παναγίας καὶ ὑπερευλογημένης ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν, θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ».

S. Epiphanius scribit[1]: « Quis unquam aut in qua generatione ausus est pronuntiare nomen Mariae, quin interrogatus continuo subiiceret appellationem virginis »? — *S. Hieronymus* Helvidio adversario obiicit[2]: « Numquid non possem tibi totam veterum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Iustinum martyrem multosque alios apostolicos et eloquentes viros »?

---

[1] Haer. 78, n. 6.

[2] Contra Helvid. n. 17.

B. Virginitas Mariae ante partum, quae negata est vel negatur ab Ebionitis, Socinianis, rationalistis,

I. E Scriptura. Luc. 1, 26-38: *Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria... Et ait angelus ei:... Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum... Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi... Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* — Matth. 1, 20: *Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

II. Rationibus congruis. Virginitas Mariae ante partum conveniens fuit:

1. Dignitati *Patris* Christi. Esse enim Patrem Christi proprium est primae personae divinae, nec decet eandem dignitatem communicari personae humanae.

2. Dignitati *Christi* ipsius. Nam: *a)* Decuit generationem Christi temporalem, quae fuit ex matre, similem esse generationi ipsius aeternae, quae est ex Patre. Huic vero tum similis fuit, si facta est ex uno tantum principio et eo quidem illaeso. — *b)* Dedecuit Christum, caput generis humani supernaturale, in generatione sua dependere a voluntate viri generantis et eo mediante ab Ada, capite generis humani naturali. Econtra decuit caput supernaturale iam per modum, quo productum est, super caput naturale elevari.

3 Dignitati *matris* Christi. Eam enim dedecuit per elevationem ad sublimissimam dignitatem maternitatis divinae amittere dignitatem pretiosissimam virginitatis ipsi tam carae.

C. Virginitas Mariae in partu, quae negata est a Iloviniano, Helvidio, Bonoso saec. 4.

I. Cum probabilitate quadam e Scriptura. Luc. 2, 7: *Et peperit* (Maria) *filium suum primogenitum, et* (ipsa!) *pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio.*

II. Rationibus congruis. Virginitas Mariae in partu congruit:

1. *Christo.* Ei enim, qui natus est ad corruptionem nostram integrandam, non fuit congruum nascendo matris integritatem corrumpere.

2. *Mariae.* Eam, quae conceperat integra mente, decuit parere integro corpore.

D. Virginitas Mariae post partum, quae negata est ab Helvidio et Bonoso,

I. Quodammodo e Scriptura. Luc. 1, 34: *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* E quibus verbis patet Mariam votum virginitatis servandae suscepisse; sin forte minus, firmum propositum eam servandi habuisse. Ipsa autem illud pro sua sanctitate exsolvisse, hoc observasse censenda est. — Io. 19, 26. 27: *Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* (εἰς τὰ ἴδια). Quodsi Maria alios filios habuisset, non fuit, cur a Christo curae Ioannis commendaretur.

II. Rationibus congruis. Mariam post nativitatem Christi commercium maritale habere aliosque filios concipere dedecuit:

1. *Christum.* Eum enim, qui est secundum naturam divinam Unigenitus Patris, decet secundum naturam humanam esse Unigenitum Matris.

2. *Spiritum Sanctum,* cuius sacrarium, in quo ab ipso caro Christi erat formata, postea violari dedecuit.

3. *S. Mariam,* quae appareret ingrata, si tanto filio non fuisset contenta et virginitatem supernaturaliter servatam sponte perdidisset.

4. *S. Ioseph* ob rationem similem.

Scholion I. De sensu quorundam vocabulorum, quibus adversarii abutuntur.

1. Particula « donec » in Matth. 1, 25 *(Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum)* assignatur terminus, usque ad quem illud factum non sit. Quid ultra hunc terminum acciderit, per se neque affirmatur neque negatur. Sic etiam legitur Gen. 8, 7: *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquae super terram;* et Ps. 109, 1: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum*

tuorum. Certe neque corvus aquis siccatis est reversus neque Christus devictis inimicis sedere a dextris Patris desinet.

2. *Primogenitus* (Luc. 2, 7: *Et peperit filium suum primogenitum*) ille dicitur, ante quem nullus filius est genitus, etiamsi maneat unicus.

Exod. 13, 13: *Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes*. Sine dubio hoc non est dilatum in tempus, quo alius filius est natus.

3. Christi *fratres et sorores* (Matth. 13, 55. 56. Marc. 6, 3) sunt eius cognati. Sic etiam fratres vocantur: Gen. 13, 8 *Abraham et Lot*, qui fuit filius fratris Abrahae (Gen. 11, 27); — Gen. 29, 15 *Laban et Iacob*, qui fuit filius sororis Laban (Gen. 29, 13; 28, 2); — et Gal. 1, 19 *Iacobus* vocatur frater *Domini*, licet fuerit filius Alphaei seu Clopae (Cleophae, Matth. 10, 3) et Mariae, sororis i. e. cognatae beatae Virginis (Io. 19, 25).

Matth. 13, 55. 56: *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, et fratres eius Iacobus et Ioseph et Simon et Iudas? Et sorores eius nonne omnes apud nos sunt?*

Gen. 13, 8: *Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quaeso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; fratres enim sumus.* Gen. 11, 27: *Hae sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor et Aran. Porro Aran genuit Lot.*

Gen. 29, 13. 15: *Qui* (Laban) *cum audisset venisse Iacob, filium sororis suae, cucurrit obviam ei, .. dixit ei: Num, quia frater meus es, gratis servies mihi?*

Gal. 1, 19: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum, fratrem Domini* Matth. 10, 2. 3: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt haec:... et Matthaeus publicanus, Iacobus Alphaei et Thaddaeus.* Io. 19, 25: *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, Maria Cleophae et Maria Magdalene.*

Scholion II. De voto virginitatis et matrimonio B. M. V.

I. Beata Virgo: 1. Iuxta opinionem theologorum communem votum virginitatis aliquando *emisit*, id quod:

a) Colligi solet ex verbis eius: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (Luc. 1, 34): idque haud immerito. Nam Maria verbis « virum non cognosco » omnino videtur indicare sibi simpliciter *non licere* virum cognoscere, id quod de mero proposito dici non potest. Si enim ageretur de mero proposito, Maria angelo illud responsum vix dedisset. Nam quilibet prudens, a fortiori Virgo prudentissima intelligere pote-

rat pro re tam inopinata et tanti momenti, unde salus omnium hominum pendebat, merum propositum esse mutandum.

b) Affirmatur a compluribus ss. Patribus, ut Gregorio Nysseno [1], Epiphanio [2], Ambrosio [3], Hieronymo [4], Augustino [5].

Dicit e. g. Epiph. fuisse consuetudinem antiquae Ecclesiae vovere Deo virginitatem in honorem et *imitationem* B. M. V.

c) Fuit congruum. Nam beatam Virginem: α) Decuit omnem virtutem colere modo excellentissimo; sed virginitas excellentiore modo colitur, si servatur ex voto, quam si ex mero proposito servatur. — β) Dedecuit in aliquo bono ab aliis meris creaturis superari. Sed multi sunt homines, qui virginitatem per totam vitam ex voto illibatam servant.

2. Iuxta opinionem aeque communem votum illud emisit *ante matrimonium* cum s. Ioseph contractum; verisimiliter eo tempore, quo de statu vitae primum deliberavit; probabiliter iam aetate puellari. Id beata Virgo fecisse censenda est Spiritu Sancto auctore, qui eius mentem illuminavit, ita ut clare cognosceret se ad statum virginalem esse vocatam, eiusque voluntatem movit, ut hunc statum modo perfectissimo amplecteretur.

Cur a B. M. V. votum virginitatis iam annis puellaribus sit emissum, afferri potest, quod idem a compluribus virginibus factum esse traditur, e. g. a s. Magdalena de Pazzis, nec decet Mariam ab his superari.

3. Secundum opinionem quidem s. Thomae votum illud ante contractum matrimonium sub conditione tantum emisit, et post matrimonium initum absolute; sed secundum opinionem multo communiorem illud statim *absolute* emisit.

Conditio autem, sub qua iuxta s. Thomam beata Virgo ante nuptias votum virginitatis emisit, haec fuisse dicitur: nisi Deo aliter placet. Cuius rei affertur ratio, quod Maria tunc temporis nondum certa fuerit virginitatem suam quacunque conditione Deo magis, quam matrimonium placere.

4. Secundum opinionem incertam multorum, ut ss. Bedae et Bernardi, inter omnes homines votum illud *prima* emisit. Quamvis enim ante Mariam iam alii homines virginitatem

---

[1] In diem nat. Dom.
[2] Panarion, haeres. 78.
[3] De instit. virg. c. 5, n. 35.
[4] Ep. 2. ad Eustochium.
[5] De s. virginit. 4.

servaverint aut sine voto aut ex voto aliorum, ut filia Iephte (Iudic. 11), tamen nemo fuisse putatur, qui eam ipse voverit et ex voto proprio per totam vitam servaverit.

Ratio affertur, quia decuit ea, quae pertinent ad statum perfectionis, incipi in lege gratiae, ad quam Maria iam ante redemptionem peractam ut Redemptoris mater inchoativo quodam modo pertinebat.

II. Eadem beata Virgo:

1. Non obstante voto virginitatis cum s. Ioseph matrimonium contraxit. Nam ea, quae in omnibus a Spiritu Sancto dirigebatur, etiam ex illuminatione eiusdem Spiritus certum habere poterat maritum suum numquam a se postulaturum esse, ut votam virginitatem laedat.

Sunt quoque, qui cum Vasquez contra Sanchez opinentur in matrimonio contrahendo eius usum per mutuum consensum posse excludi, quin contractus matrimonialis per hoc reddatur invalidus, eodem modo, quo e. g. a possessore agri huius dominium possit alienari usu fructu sibi retento.

2. Ad matrimonium illud contrahendum divinitus est mota, idque propterea ut vitarentur et ipsius infamia et aliorum scandalum, — ut ipsa eiusque Filius nutricium haberent et adiutorem, — ut matrimonium honoraretur.

CAPUT III.

De Unione Verbi Cum Humana Natura, Seu De Unione Hypostatica.

Explicatio unionis hypostaticae.

I. *Causa efficiens* unionis hypostaticae fuit actus voluntatis divinae tribus personis divinis communis, formaliter immanens, virtualiter transiens. Tota enim ss. Trinitas, quae humanam Christi naturam creavit, etiam voluntate sua effecit, ut illa ab ipsa sua creatione cum Verbo coniungeretur, seu ut hypostasis Verbi ad naturam humanam ab ipsa huius creatione extenderetur.

II. *Causa formalis* unionis hypostaticae est id, quo Verbum et Christi humanitas formaliter coniunguntur, i. e. quo

humanitas Christi ad Verbum ut suum terminum formaliter refertur. Hoc:

1. *Iuxta alios* est entitas creata a Verbo et humanitate distincta. Et haec quidem entitas a Suarez, de Lugo, Vasquez habetur *modus*, eo quod ab his theologis quaelibet unio modus habetur. Cum vero in omni naturali unione modus in utroque extremo recipiatur, in unione hypostatica modus ille in sola Christi humanitate recipitur, quia haec sola est ea, quae possit perfici ideoque sit capax unionem per modum subiecti sustinendi. Ad Verbum autem idem modus terminatur.

2. *Iuxta alios*, ut Caietanum, Gonet, Billuart, de Valencia, Wirceburgenses, Pesch etc., non est entitas creata a Verbo et humanitate distincta; e contrario Verbum *immediate* per se ipsum seu sola sua personalitate humanitati unitur.

Cuius rei haec affertur ratio: Verbum humanae naturae per id unitur, per quod eam terminat atque sustentat. Sed Verbum humanam naturam terminat atque sustentat immediate per se ipsum seu sola sua personalitate. Ergo Verbum humanae naturae per se ipsum seu sola sua personalitate etiam unitur.

Verbum autem naturae humanae per id uniri, per quod eam terminat et sustentat, probatur sic: Verbum humanitati unitur per modum termini supplentis vices subsistentiae creatae; seu breviter: Verbum supplet vices subsistentiae creatae; atqui subsistentia creata substantiae suae per id unitur, per quod eam terminat et sustentat, seu substantiae suae immediate unitur; ergo.

Porro Verbum humanam naturam immediate per se ipsum seu sola sua personalitate terminare sic probatur: Verbum non minus est actualissimum et infinitum in ratione termini, quam in ratione principii productivi. Sed in ratione principii productivi exercitium virtutis divinae non est aliquid, quod sit realiter distinctum ab ipsa divina virtute. Ergo etiam in ratione termini exercitium terminandi, quod Verbo competit, non est aliquid, quod sit realiter distinctum a virtute terminandi seu, quod idem est, a Verbi personalitate.

III. Ex terminatione humanitatis ad Verbum resultat inter hoc et illam *relatio substantialis*. Qua quidem relatione fit, ut Verbum possideat naturam humanam ut suam et per eam

sit verus homo. Haec relatio est ex parte humanae naturae realis; ex parte Verbi, utpote incapacis internae mutationis, solummodo rationis. Huius igitur relationis subiectum est humana natura; fundamentum est potentia eiusdem obedientialis, qua evehi potest ad subsistendum in supposito divino; terminus est secunda persona divina, quatenus functione sua hypostatica naturam humanam terminat atque sustentat, seu quatenus personalitatem suam ad naturam humanam extendit.

IV. Praeterea de hac unione aliqua dicenda sunt respectu assumentis seu formaliter unitivi, respectu assumpti seu uniti, respectu durationis et excellentiae unionis.

1. *Respectu formaliter unitivi. a)* Unio duarum naturarum, sc. divinae et humanae, *immediate* facta est in subsistentia solius Verbi, *mediate* cum invicem. Cum enim facta sit per extensionem subsistentiae Verbi ad naturam humanam, et cum subsistentia Verbi realiter sit distincta ab aliis duabus subsistentiis divinis, hae qua subsistentiae humanam naturam non assumpserunt nec cum ea sunt unitae. Quia vero subsistentia Verbi non est realiter distincta a divina natura, etiam haec cum natura humana est unita, seu duae illae naturae unitae sunt cum invicem, idque mediante Verbi subsistentia. Porro, quia natura divina non est realiter distincta a Patre et Spiritu Sancto, etiam hae personae humanitati unitae sunt, idque per circuminsessionem et aliter ac persona Filii.

b) Verbum naturam humanam sibi hypostatice uniendo *nullam subiit mutationem realem* seu propriam seu internam, sed tantummodo nominalem seu impropriam seu externam (etiam virtualem, de qua infra). Nam eam sibi uniendo neque amisit neque acquisivit ullam positivam perfectionem, sed solummodo recepit novam denominationem, quae consistit in eo, quod ipsum subsistentia sua naturam humanam terminat atque fulcit.

Illustratur simili: In conclavi, quod solis lucem fenestris recipit, etiam lucerna accensa lucet. Lumine lucernae lux solis neque in melius neque in deterius mutatur. Luce solis repraesentatur Christi divinitas: lumine lucernae eius humanitas.

2. *Respectu uniti. a)* Unione hypostatica Verbo: α) *Immediate* unita sunt generatim ea omnia et sola, quae ita pertinent sive ad essentiam sive ad integritatem humanae naturae, ut in

ordine naturali ad ea extendatur humana subsistentia; speciatim igitur anima et corpus, et hoc quidem integrum, seu omnes eius partes, quae anima informantur, praecipue etiam totus sanguis. — β) *Mediate* unita sunt accidentia, quae mediantibus anima et corpore, quibus inhaerent, ad Verbum pertinent.

b) Quia humanitas Christi iis omnibus instructa est, quae eam in ratione naturae complent, dicendum est Christum habere humanam naturam seu humanitatem *completam*, quamvis non habeat humanam subsistentiam. Consequenter Christus vocandus est perfectus homo; nam hoc idem est ac persona (aliqua, non necessario humana) habens perfectam naturam humanam. Vocandus autem non est humana persona. Ex eo vero, quod humanitati Christi deest humana subsistentia, non derogatur quiddam de eius dignitate; sed contrarium evenit. Dignius enim est ei subsistere subsistentia divina, quam subsistere subsistentia humana.

3. *Respectu durationis* unionis. *a)* Unio hypostatica facta est *in primo conceptionis instanti*, seu humana Christi natura nullo temporis instanti prius exstitit, quam fuit unita Verbo. Immo Verbum in uterum Virginis descendit ratione prius, quam factum est homo, seu natura Christi humana est creata in supposito divino.

b) Eadem unio *numquam dissoluta est; numquam dissolvetur*. Proinde post Christi necem cum Verbo unita remanebant: et anima, quae degebat in limbo patrum, et corpus, quod erat positum in sepulchro, et sanguis, qui erat effusus. Hic sanguis in resurrectione Christi cum corpore iterum est coniunctus. Si vero quaedam guttulae sanguinis, in instrumentis passionis etc. relictae, in resurrectione corpori iterum non sunt unitae, hae exinde neque cum Verbo manserunt unitae, quemadmodum nec particulae materiales, quae in corpore Christi continuo resolvebantur, post resolutionem adhuc cum Verbo unitae fuerunt.

4. *Respectu excellentiae* unionis. *a)* Unio hypostatica omnium unionum *praestantissima* est, et ea quidem: α) *In ratione unionis formaliter spectatae*. Nam unio eo praestantior est, quo longius extrema ab invicem distant et quo arctius sunt unita. Sed natura divina et natura humana infinite ab invicem distant et arctissime cum invicem sunt unitae. Nam

persona Verbi, qua unitae sunt, cum uno extremo, sc. natura divina realiter idem est, et alteri extremo, sc. naturae humanae suam subsistentiam tribuit. — *β) In ratione doni.* Nam per eam creaturae aliquid perfectius communicatur, quam per ullam aliam unionem: nimirum ipsum esse divinum.

b) Unio hypostatica a sola infinita virtute Dei potest fieri; itaque *incomprehensibilis* est seu mysterium, atque id primi ordinis. Unde a nullo sufficienter explicari potest, quid sit extensio functionis hypostaticae Verbi facta ad naturam humanam etc.

Incarnatio mysterium vocatur Col. 1, 26. 27: *Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti* (μυστηρίου) *huius in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriae.* — 1. Tim. 3, 16: *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod* (τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· θεός) *manifestatum est in carne, iustificatum est* (ἐδικαιώθη = coargutum est) *in Spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria*

Thesis 1. **Unio Verbi cum natura humana est hypostatica, et consequenter Christus est una tantum persona et ea quidem divina.**

De fide ex Conc. Ephesino (a. 431).

Dicit *Ephes.* can. 2.: Si quis non confitetur carni secundum substantiam (καθ' ὑπόστασιν) unitum (ἡνῶσθαι) Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, a. s. (D. 74).

Opponitur 1. haeresi Nestorianae, iuxta quam inter Verbum et Christum hominem est unio tantummodo moralis, consistens in inhabitatione illius in hoc gradu tamen seu modo multo excellentiore, quam in aliis iustis, cum facta sit ad genus humanum redimendum et Deum perfecte manifestandum; 2. errori Güntheriano, qui prioris est similis.

Probatur: I. E Scriptura, secundum quam:

1. Christus est *una* tantum persona.

Nam: *a)* Christus expresse dicitur unus. 1. Cor. 8, 6: *Nobis tamen... unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Sed, ut patet ex iis, quae de Christi divinitate et humanitate dicta sunt, Christus non est unus in natura seu una natura; ergo est una persona.

b) De uno Christo non raro aeque ac simul praedicantur divina et de Christo Deo praedicantur humana. Rom. 9, 5: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Luc. 1, 35. — 1. Cor. 2, 8: *Si enim cognovissent* (Dei sapientiam), *numquam Dominum gloriae* (τὸν κύριον τῆς δόξης) *crucifixissent.* Cf. Io. 17, 5. Sed illa de uno eodemque Christo praedicari non possent, nisi esset una persona. Nam duae naturae, duae formae de invicem in concreto praedicari non possunt, nisi uniuntur in substantia, ita ut unum suppositum constituant, quando quidem forma in concreto enuntiata designat suppositum. Sic, quamvis dici possit: iste homo est vestitus, iste vestitus est homo, tamen dici non potest: ista vestis est homo, siquidem vestis et homo sunt duo supposita.

2. Christus est persona *divina*, atque ea secunda: Verbum seu Dei Filius. Nam idem Verbum, quod *in principio erat... et erat apud Deum et Deus erat* (Io. 1, 1), *caro* i. e. homo *factum est et habitavit in nobis* (Io. 1, 14). Hoc autem nihil aliud significare potest nisi: Verbum assumpsit naturam humanam. Rom. 1, 3. Gal. 4, 4.

II. E Traditione. 1. *E ss. Patribus. a)* Christus vocatur a s. *Ignatio*[1] in carne natus Deus, a s. *Irenaeo* Filius Dei incarnatus pro nobis, a *Tertulliano* Deus vere crucifixus etc.

Ign.[2]: « Deus noster Iesus Christus in utero gestatus est a Maria iuxta dispensationem Dei ex semine quidem David, ex Spiritu autem Sancto, qui natus est et baptizatus, ut passione aquam purificaret ». — Et[3]: « Concedite mihi imitatorem esse passionis Dei mei ». — *Iren.*[4]: « Discite insensati, quoniam Iesus, qui passus est pro nobis, qui habitavit in nobis, idem ipse est Verbum Dei ». — Et[5]: « Unus et idem ostenditur Verbum et Unigenitus et Vita et Lux et Salvator et Christus et Filius Dei, et hic idem incarnatus pro nobis ». — *Tertull.*[6]: « Nonne vere crucifixus est Deus? Nonne vere mortuus est, ut vere crucifixus est »? — *Greg. Naz.*[7]: « Si quis duos filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eundem induxerit, is ab ea quoque adoptione excidat, quae recte credenti-

[1] Ad Eph. c. 7.
[2] Eph. 18, 2.
[3] Rom. 6, 3.
[4] Adv. haer. l. 1, c. 9.
[5] Ib. l. 3, c. 16.
[6] De carne Christi, c. 5.
[7] Ep. 101.

bus promissa est. Quamvis enim duae naturae sint Deus et homo, quippe qui anima sit et corpus, non tamen duo filii et dii... Atque ut paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator...: non tamen alius atque alius; absit».

b) Tertull. dicit[1]: « Videmus duplicem statum non confusum, sed coniunctum in una persona Deum et hominem ». *Hippolyt.*[2]: « Caro per se ipsam seorsum a Verbo non potuit subsistere, quia in Verbo habet subsistentiam (σύστασιν) ». — *Epiph.*[3]: « Verbum univit sibi corpus, animam, mentem in unam unitatem et in unam spiritualem hypostasim (εἰς μίαν ἑνότητα καὶ εἰς μίαν πνευματικὴν ὑπόστασιν).

2. *E symbolis fidei*, quibus non proponitur alter, qui sit Dei Filius, et alter, qui sit natus ex Maria virgine, passus, mortuus etc., sed unus idemque, qui est Filius Dei et natus ex Maria virgine, passus, mortuus etc.

III. Rationa theologica. Si ad incarnationem sufficeret inhabitatio Verbi in Iesu homine, haec sequerentur: 1. Verbum *frequenter* incarnatum esset et incarnaretur, cum in omnibus iustis habitet. Perfectio enim gradus, qua sola inhabitatio Verbi in Iesu ab inhabitatione eiusdem in ceteris distincta esse a Nestorio dicitur, speciem unionis non mutat.

2. Non Verbum solum, sed simul etiam *Pater et Spiritus Sanctus* incarnati fuissent et incarnarentur, siquidem et hi in iustis habitant.

Scholion. Christum, utpote Deum et hominem, merito dici posse compositum per se patet. Sed quaeri potest, utrum persona Christi composita possit dici necne. Si intelligitur persona, quae est Christus, non potest dici composita, quia illa est Verbum simplicissimum; sin intelligitur persona, *quatenus* est Christus, recto quodam sensu composita dici potest. Nam persona Christi, quatenus est Christus i. e. Unctus (in humana, ut patet, natura), est Deus et homo seu persona habens naturam divinam et naturam humanam, et proinde est unum substantiale compositum ex duobus. Haec tamen compositio a quavis alia compositione eo distincta est, quod duo ipsius compo-

[1] C. Praxeam, 27.
[2] C. Noët. 15.
[3] Theoria incarnat. (post haer. 20) n. 4.

nentia se non habent per modum partium invicem perficientium. Et hoc quidem a compositione ex ipsius conceptu non postulatur; sed id, quod ex conceptu compositionis postulatur, non est nisi unitas orta ex coniunctione distinctorum.

THESIS II. **Natura divina et humana per unionem hypostaticam non sunt factae una, sed manserunt duae, eaeque integrae.**

De fide ex Conc. Chalcedonensi (a. 451).

Dicit *Chalc.:* Sequentes sanctos Patres unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in humanitate, Deum vere et hominem vere, eundem ex anima rationabili et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato; ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis diebus eundem propter nos et propter salutem nostram ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem: unum eundemque Christum Iesum Filium unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum (ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως. ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον. D. 134).

Opponitur haeresi Eutychianorum seu Monophysitarum.

Probatur: I. E Scriptura, in qua Christus, ut abunde apparet ex iis, quae supra dicta sunt, vocatur et Deus et homo. Sed Deus non est, nisi habet naturam divinam; homo non est, nisi habet naturam humanam.

II. E Traditione. *S. Athanasius* scribit[1]: « Dicendus erit Christus perfectus Deus et perfectus homo ». — *S. Ambrosius*[2]: « Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est ».

III. Ratione theologica. Si in Christo esset una tantum natura, haec esset aut divina aut humana aut neutra aut utraque simul seu divino-humana. Si esset divina, Christus non esset homo; si humana, Christus non esset Deus; si neutra, Christus nec Deus esset nec homo; si utraque simul, haberetur repugnantia, quia una eademque natura esset (utpote divina) increata et (utpote humana) creata, infinita et finita, absolute simplex et composita, immutabilis et mutabilis etc.

THESIS III. **In Christo est duplex voluntas et duplex operatio: divina et humana.**

[1] De incarn. contra Apollinar. l. 1, n. 16.
[2] De fide, l. 2, c. 9, n. 77.

De fide ex Conc. Constantinop. III. (a. 680.) dicente: Duas naturales voluntates in eo (Christo) et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum sanctorum Patrum doctrinam adaeque praedicamus (D. 238).

Opponitur haeresi Monotheletarum.

Probatur: I. E Scriptura, Io. 5, 30 Iesus dixit: *Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Christus igitur habet aliam voluntatem atque ille, qui eum misit, i. e. Pater. Sed qua Deus aliam voluntatem ac Pater non habet. Ergo hanc habet qua homo, seu praeter voluntatem divinam etiam habet humanam.

Gal. 4, 4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Sed id, quod praecise et formaliter sub lege est, est voluntas, et ea quidem tantummodo creata.

Philipp. 2, 8: (Christus Iesus) *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Atqui se humiliare et obedire sunt actus voluntatis; voluntatis autem non increatae, sed creatae.

II. E Traditione. Ss. Patres etc. aperte docent duplicem Christi voluntatem et operationem, eamque non solum ex Scriptura demonstrant, sed etiam ratione, eo sc. quod Christus duplicem habeat naturam, (ut ss. Greg. Nyss., Ambros.), et quod numerus voluntatum et operationum non sequatur numerum personarum, sed naturarum, ut ss. Maximus et Agatho.

Greg. Nyss.[1]: « Naturas ambas in Christo inconfusas manere, carnis et divinitatis proprietatibus salvis, dum in se ipsis singulae spectantur:... nec caro rerum opifex est, nec divinitas patibilem vim habet:... neque Lazarum humana natura vivificat, neque iacentem plorat potestas: verum Dominis quidem propria est lacrima, vita vero eius est, quae re vera vita est ». — *Ambr.*[2]: « Servemus distinctionem divinitatis et carnis. Unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est.. Quasi Deus loquitur, quae sunt divina, quia Verbum est; quasi homo dicit, quae sunt humana, quia in ea substantia loquebatur ». — *Agatho* in epist. dogm. (Conc. Constantinop. III. actio IV): « Iuxta regulam sanctae catholicae et apostolicae Christi Ecclesiae duas etiam naturales voluntates in eo et duas naturales operationes esse confitetur et praedicat (Ecclesia). Nam si personalem quisquam intelligat voluntatem (i. e. si dicat, quot personas, tot

[1] L. 4. adv. Eunomium, ad finem.

[2] L. 2. de fide, c. 4.

necessario esse voluntates), dum tres Personae in sancta Trinitate dicuntur, necesse est, ut et tres voluntates personales et tres personales operationes dicantur, quod absurdum est et nimis profanum. Sin autem, quod fidei Christianae veritas continet, naturalis voluntas est (i. e. si tot sunt voluntates, quot sunt naturae), ubi una natura dicitur sanctae et inseparabilis Trinitatis, consequenter et una naturalis operatio intelligenda est. Ubi vero in una persona Domini nostri Iesu Christi, mediatoris Dei et hominum, duas naturas, i. e. divinam et humanam confitemur, in quibus et post admirabilem adunationem consistit, sicut duas unius et eiusdem naturas, ita et duas naturales voluntates duasque operationes eius regulariter (κανονικῶς) confitemur ».

III. Ratione theologica et congrua. Verbum humanam naturam 1. assumpsit *integram;* sed voluntas humana ad eam pertinet; 2. assumpsit, *ut nos sanaret;* sed, quod in nobis sanatione maxime eget, est voluntas; unde decuit etiam eam a Verbo assumi.

Scholion. De operationibus Christi theandricis. Theandricae seu deiviriles vocandae non sunt eae Christi operationes, quae sunt pure divinae, ut creatio et conservatio; vocandae autem sunt tam eae operationes, quae sunt et divinae et humanae (mixtae) quam eae operationes, quae sunt mere humanae. Divinae et humanae sunt eae, in quibus divina Christi operatio usa est operatione sua humana, e. g. patratio miraculorum. Mere humanae sunt eae, quarum principium quo (remotum) est sola natura humana, principium autem quod est persona divina, e. g. ambulatio.

Plenior doctrina de humana Christi voluntate.

A. *Praenotanda de voluntate humana in genere.*

I. De divisione voluntatum.

1. Voluntas accipi potest sensu proprio et sensu improprio. Accepta *sensu improprio* est appetitus sensitivus, qui etiam voluntas sensualitatis vocatur. Hic communis est hominibus cum brutis animalibus. Accepta *sensu proprio* est appetitus rationalis, qui etiam vocatur voluntas rationis vel humana vel simpliciter: voluntas. Haec hominum est propria.

2. In hac voluntate *duplex diversus actus* distinguendus est: alter, qui fertur in finem sine respectu mediorum, v. g. in sanationem recuperandam sine sumptione medicinae; alter, qui fertur aut in media cum ordine ad finem, v. g. in sumptionem medicinae ad sanitatem recuperandam, aut in finem

ex ordine mediorum (in ipsum finem), v. g. in sanationem recuperandam ex sumptione medicinae. Prior actus vocatur voluntas ut natura seu voluntas *naturalis*, gr. θέλησις (a Ioanne Damasc.), alter actus vocatur voluntas ut ratio seu voluntas *rationalis*, gr. βούλησις.

3. Voluntas naturalis semper est inefficax et consistit in mera seu simplici complacentia, unde velleitas solet appellari. Voluntas autem rationalis potest esse perfecta seu *efficax*, et potest esse imperfecta seu *inefficax*. Voluntas rationalis perfecta consistit in libera electione et vocatur volitio; imperfecta consistit in mera complacentia et, sicut voluntas naturalis, vocari debet et solet velleitas.

4. Voluntas naturalis nomen suum cepit ex eo, quod in bonum suum fertur per modum naturae, i. e. ex sola inclinatione naturali, sine deliberatione et comparatione. Differentia autem inter eam et appetitum sensitivum consistit in eo, quod appetitus sensitivus prosequitur ea tantum, quae *sensibus* sunt commoda, et refugit solummodo ea, quae sensibus incommoda sunt; sed voluntas naturalis appetit ea, quae sunt convenientia suae *naturae*, etiam quoad partem superiorem spectatae, et refugit ea, quae eidem sunt noxia. Voluntas rationalis nomen suum accepit ab eo, quod fertur in obiectum suum per modum rationis, i. e. deliberando et comparando.

Illustratur exemplo. Homo gravi morbo correptus et acerbis doloribus affectus naturaliter et hos dolores refugit (appetitu sensitivo) et desiderat sanitatem recuperare ac diutius vivere (voluntate naturali). Quod ut obtineatur, ei datur medicamentum efficax quidem, sed et periculosum. Libere decernit hoc medicamentum sumere (voluntate rationali efficaci), tamen, cum sit plenum periculi, invitus seu animo iniquo (ea voluntas rationalis inefficax!).

II. De conformitate voluntatis humanae cum divina.

1. Conformitas voluntatis humanae cum voluntate divina aut est in actu volendi tantum aut etiam in obiecto. Si est quoque in obiecto, aut est in obiecto materiali tantum, aut in obiecto formali tantum, aut in utroque simul.

2. Conformitas voluntatis humanae cum voluntate divina *in actu volendi tantum* tunc habetur, si homo vult id, quod Deus vult hominem velle, sed quod ipsum Deus non vult. Occurrit e. g. in religioso, qui obedit mandato superioris sui, quod propterea quod non est v. g. satis prudens, Deo non est

probatum seu acceptum. Conformitas *in obiecto materiali tantum* habetur, si Deus vult idem, quod homo vult, sed non ex eadem ratione. Sic Iudaei voluerunt Christum mori; idem voluit Deus; Iudaei autem id voluerunt ex odio in Christum habito, Deus idem voluit ex caritate habita erga homines. Conformitas *in obiecto formali tantum* habetur, si homo vult aliud ac Deus, sed ex eadem ratione. Sic ille, qui non est vocatus ad statum religiosum, sed erronee putat se ad eum statum vocatum esse, religionem vult ingredi, ut aeternam salutem consequatur; et Deus ex eadem ratione vult eum manere in saeculo. Conformitas denique *in obiecto materiali et formali simul* tunc habetur, si homo idem vult ac Deus et ex eadem ratione.

III. De repugnantia et inordinatione voluntatum humanarum.

1. Repugnantia voluntatum eiusdem hominis tunc solum habetur, si adest voluntatum oppositio circa idem *sub eadem ratione*, i. e. si una voluntas in aliquid sub aliqua ratione fertur seu convertitur, et altera voluntas ab eodem sub eadem ratione avertitur. Non igitur habetur, si quis aliquid secundum unam rationem amat vel eligit et secundum alteram rationem odit vel reiicit.

Apparet e. g. in nauarcho naufragium metuente, in quo simul esse potest voluntas (efficax) merces in mare proiiciendi, quia sunt ponderosae et ea de re periculum naufragium faciendi augent, et voluntas (inefficax) easdem merces servandi, quia sunt pretiosae.

2. Inordinatio inter diversas voluntates solummodo tunc habetur, si voluntas inferior movetur *sine imperio vel permissione* voluntatis superioris.

His praemissis facile intelliguntur, quae sunt:

B. *Tenenda de voluntate humana Christi.*

I. *Respectu divisionis voluntatum.* In Christo homine fuit et appetitus sensitivus et appetitus rationalis seu voluntas humana. Huius voluntatis duplex fuit in eo actus, sc. voluntas naturalis et voluntas rationalis. Nam Filius Dei assumpsit integram naturam humanam cum omnibus, quae ad perfectionem eius pertinent.

II. *Respectu conformitatis cum voluntate divina.*

1. Appetitus sensitivus et voluntas naturalis in Christo non semper fuerunt voluntati divinae conformes in obiecto, semper autem huic conformes fuerunt in actu volendi.

Probatur 1. pars. Ambo abhorruerunt necem, quam Deus voluit Christum pati, uterque autem suo modo: appetitus sensitivus, quia nex est incommoda sensibus, qui homini communes sunt cum bruto animali; voluntas naturalis, quia violenta separatio animae et corporis repugnat naturae humanae (etiam quoad partem superiorem spectatae).

Probatur 2. pars. Tam appetitus Christi sensitivus quam voluntas eius naturalis nihil appetiverunt nihilque refugerunt, nisi quod divina voluntas voluit ab iis appeti vel refugi. Patet ex summa Christi perfectione et sanctitate.

2. Voluntas Christi rationalis, efficax saltem, voluntati divinae semper fuit conformis etiam in obiecto, atque eo tam materiali quam formali. Nam difformitas in voluntate illa respectu obiecti non oritur nisi aut ex ignorantia intellectus aut ex perversitate voluntatis, quarum neutra in Christo fuit.

Dictum est: efficax saltem, quia fieri potuit, ut voluntas Christi rationalis *inefficax* voluntati divinae in obiecto non esset conformis. Sic potuit Christus eadem voluntate, qua mortem subire efficaciter voluit, eandem mortem ineffícaciter refugere, in tantum sc., in quantum ea fuit occasio infandorum peccatorum ab inimicis suis patratorum et atrocium poenarum iis totique populo Iudaico infligendarum. Sed haec Christi hominis voluntas inefficax, quae voluntati divinae efficaci difformis erat, divinae voluntati ineffícaci erat conformis, ita ut eximde magis appareat conformitas cum divina voluntate, quam difformitas.

III. *Respectu repugnantiae et inordinationis voluntatum humanarum.*

1. Repugnantia voluntatum humanarum in Christo numquam fuit. Nam Christus numquam aliquid sub aliqua ratione una voluntate voluit et idem altera voluntate noluit sub eadem ratione, sed tantummodo sub ratione diversa. Sic mortem appetiit voluntate rationali efficaci ut postulatam a Patre et salutarem generi humano; eandem autem refugit appetitu sensitivo et voluntate naturali ut nocivam sensibus et naturae humanae.

2. Appetitus Christi hominis sensitivus et voluntas naturalis tunc solummodo et in tantum ferebantur in obiectum suum, cum et in quantum voluntas eius rationalis, quae in omnibus sequebatur divinam, id voluit. Sic Christus, sicut voluntate divina, ita etiam voluntate humana rationali voluit et

appetitum sensitivum et voluntatem naturalem necem refugere. Fuit igitur in voluntatibus Christi perfectissima harmonia, cum divinae voluntati subdita fuerit voluntas rationalis, voluntati autem rationali subditae fuerint et voluntas naturalis et voluntas sensualitatis seu appetitus sensitivus.

C. *Explicatio orationis Christi agonizantis.*

Matth. 26, 39: *Et progressus pusillum procidit in faciem suam orans et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* — Luc. 22, 41. 42: *Et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, et positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea voluntas fiat, sed tua.*

In hac oratione Christus voluntate humana rationali Patri suo profitetur voluntatem suam sensualitatis et naturalem repugnare passioni et morti; sed simul eadem voluntate rationali voluntatem suam et sensualitatis et naturalem divinae voluntati subiicit. Ex eo igitur, quod Christus orat, apparet voluntas eius rationalis. Nam nec voluntas divina orare potest nec appetitus sensitivus nec voluntas naturalis. Voluntas, de qua dicit: *non sicut ego volo* seu *non mea voluntas fiat*, est voluntas sensualitatis et naturalis, quas repugnantiam contra passionem ac mortem sentire voluntate rationali voluit.

Quodsi quaeritur: quare Christus hanc repugnantiam contra passionem ac mortem in voluntate sensualitatis et naturali sentire voluerit, cum illam etiam potuerit praecavere, respondendum est: Christus id voluit, ut intensius pateretur, nobis magis assimilaretur nobisque horrorem passionis aut mortis sentientibus exemplo sit atque solatio.

Si ulterius quaeritur, cur Christus hanc repugnantiam oratione illa expresserit, cum et certo sciverit eam exauditum non iri nec voluntate rationali eam exaudiri vere voluerit, responderi potest: Christus id fecit, 1. quia ex una parte cuivis homini naturale est ea, quibus interius vehementer movetur, exterius manifestare, et quia ex altera parte hominis Deo prorsus devoti est ea precibus Deo effundere; 2. ut nos exemplo suo doceret in laboribus et angustiis ad Deum confugere, sed tantummodo cum debito illo obsequio, quod ipse expressit verbis: non sicut ego volo, sed sicut tu.

CAPUT IV.

De Consectariis Unionis Hypostaticae.

Thesis I. **In Christo admittenda est vera communicatio idiomatum, eaque in concreto, non in abstracto.**

Est *fidei proximum.*

Opponitur: 1. Nestorianis, qui veram communicationem idiomatum non admittunt, sed eam tantum, quae fit imputatione quadam morali. 2. Eutychianis, qui veram idiomatum communicationem etiam in abstracto admittunt. 3. Ubiquistis, qui docebant corpus Christi per incarnationem factum esse ubique praesens (ergo etiam in eucharistia, quin fiat consecratio), cum natura Christi humana formaliter habeat proprietates naturae divinae.

Explicatur: 1. Idioma (ἴδίωμα) est proprietas. Communicatio (a Graecis vocata ἀντίδοσις = permutatio) idiomatum, quae hic intelligitur (sc. *logica*, a qua distinguitur *ontologica*, quae est unio duarum naturarum et earum proprietatum in una Verbi persona), est mutua praedicatio (wechselseitige Aussage) attributorum divinorum et humanorum de Christo.

2. Haec igitur consistit in eo, quod de Christo Deo praedicantur humana, et de Christo homine praedicantur divina. Unde aut habetur, si in subiecto sententiae Christus exprimitur secundum naturam divinam et in praedicato secundum naturam humanam, aut, si in sententiae subiecto Christus exprimitur secundum naturam humanam et in praedicato secundum naturam divinam.

Itaque non habetur, si in subiecto Christus exprimitur secundum naturam et divinam et humanam, idque aut explicite aut implicite. Habetur igitur communicatio idiomatum, si e. g. dicitur: Filius Dei est mortuus, quia subiectum « Filius Dei » Christum exhibet secundum naturam divinam, secundum quam solam est Dei Filius, et praedicatum « mortuus est » secundum naturam humanam, secundum quam solam mortem subiit Item habetur in hac sententia: Filius Mariae Virginis omnipotens est, quia subiectum « Filius Mariae Virginis » exhibet Christum secundum naturam humanam, secundum quam solam est Filius matris, et praedicatum secundum naturam divinam, secundum quam solam est omnipotens. Non vero habetur communicatio idiomatum, si dicitur e. g. Verbum incarnatum mortuum est,

aut: Verbum incarnatum est omnipotens. Nam subiecto « Verbum incarnatum » Christus exprimitur, idque explicite, secundum naturam tam divinam quam humanam, unde praedicatio mutua iam non potest haberi, sive de Christo enuntiatur humanum quoddam sive divinum. Item (stricte loquendo) non habetur in his sententiis: Iesus vel Christus vel Iesus Christus est omnipotens; Iesus etc. est mortuus. Nam subiecto « Iesus etc. » Christus implicite exprimitur secundum naturam divinam et humanam, quia Iesus etc. significat non Verbum solum, sed Verbum incarnatum.

3. Communicatio de Christo valet in concreto, quia sic in recto exprimitur persona; et haec est una eademque. Itaque: « Filius Dei mortuus est » idem est ac: persona, quae est Filius Dei, mortua est; et: « Filius Mariae Virginis omnipotens est » idem est ac: persona, quae est Filius Mariae, omnipotens est.

Non valet in abstracto, quia sic in recto exprimitur natura; et haec est duplex. Unde dici non potest: Divinitas Christi mortua est, humanitas Christi omnipotens est.

Probatur e Scriptura, in qua communicatio idiomatum saepius occurrit, ut: Rom. 9, 5: *Ex quibus* (Patribus) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula.* Christus igitur Deus est secundum naturam humanam ex Patribus.

Gal. 4, 4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Filius igitur Dei secundum naturam humanam factus est ex muliere et sub lege.

Ratio theologica satis liquet ex iis, quae in explicatione sunt dicta.

Scholion. De modo loquendi de Christo.

I. **Rectum** est dicere: 1. *Christus est omnipotentia.* Nam nomina abstracta exhibentia naturam divinam (non: humanam) de Christo in sensu identico (non formali) praedicari possunt, quia divina natura a Christi persona realiter non est distincta.

2. *Caro dominica, cor divinum* in similem fere modum, in quem dici potest domus regia etc. Nam eiusmodi adiectiva praedicari possunt et solent de iis, quae ii habent, qui exprimuntur substantivis, a quibus illa adiectiva sunt derivata. Caro dominica idem est atque caro, quam Dominus habet, seu caro Domini; et cor divinum idem est atque cor, quod Deus possidet, seu cor Dei. Quia igitur caro et cor sunt aliquid Christi, non Christus ipse, hinc recte ita dici potest. Si autem per adie-

ctiva illa adiective sumpta non exprimitur aliquid Christi, sed Christus ipse, non licet ea adhibere. Sic non licet dicere: Christus est homo divinus.

II. **Ambiguum** est dicere: *Christus homo est Dei servus.* Nam Christus simpliciter non est servus; secundum quid servus est. Servus non est, in quantum ut persona Patri aequalis est; servus est, in quantum habet naturam servam.

III. **Falsum** est dicere:

1. *Filius Dei est corpus et anima, hoc corpus est Deus.* Nam partes naturae humanae exprimi debent, ut ipsa natura, quarum partes sunt. Unde sicut dicendum non est: Filius Dei est humanitas; sed: habet humanitatem, ita pariter non est dicendum: Filius Dei est corpus humanum; sed: habet corpus humanum; et sicut non est dicendum: humanitas est Deus; sed: est Dei, ita pariter non est dicendum: hoc corpus humanum est Deus; sed: est Dei.

2. *Homo factus est Deus, unitus est Deo; Christus incarnatus est.* Nam neque homo neque Christus formaliter spectatus unioni hypostaticae praeexsistit. Si forte dicatur, sensus est: Factum est, ut homo sit Deus etc.

3. *Filius Dei non est passus; Filius hominis non conservat mundum.* Nam de Christo simpliciter negari non potest, quod ei secundum alterutram naturam convenit. — Idem valet de eo, quod negationem includit, ut: *Christus est minor Patre,* quod includit hoc: Christus non est aequalis Patri. Id vero non valet de vocabulis, quae secundum formam negativa, secundum sensum positiva sunt, ut: Filius hominis est immensus.

IV. **Vitanda** sunt: 1. *Quae errores haereticorum videntur sapere,* quamvis recte explicari possint; e. g.: Christus est creatura; id quod in rigore sermonis dici posse a s. Bonaventura et Scoto affirmatur, a s. Thoma negatur.

2. *Quae iis, coram quibus dicuntur, offensioni esse vel ab iis perperam intelligi possunt.* Sed nec damnanda sunt omnia, quae in orationibus et poematibus liberius dicuntur, ubi iam ex modo loquendi apparet ea secundum quandam metonymiam dici; e. g. si dicitur: Omnipotentia mortua est, quod idem est atque: Is, qui est omnipotentia, est mortuus, id quod omnino recte dicitur.

THESIS II. **Christus nullo modo est Filius Dei adoptivus, sed unice naturalis.**

Definitum est a synodo Francofurdiensi (a. 794. — D. 253-256) ab Adriano I. approbata.

Opponitur haeresi Adoptianorum, quae saeculo octavo labente Felice episcopo Urgelitano et Elipando archiepiscopo Toletano auctoribus in Hispania est orta. Iuxta eam Christus secundum divinam quidem naturam est Filius Dei naturalis; sed secundum naturam humanam est Filius Dei adoptivus.

Explicatur: 1. *Dicendum* est: Christus homo, Christus subsistens in natura humana est Filius Dei naturalis. Etiam dicendum est: Christus ut (qua, quatenus) *hic* homo est Filius Dei naturalis. Nam pronomine « hic » efficitur, ut per sententiam illam designetur persona.

2. Dicendum *non* est: Christus ut (qua, quatenus) homo (seu secundum naturam humanam) est Filius Dei adoptivus. Nam particula « ut » aut accipitur late seu materialiter, ita ut idem fere sit ac pronomen relativum « qui », aut accipitur stricte seu formaliter (reduplicative). Si accipitur materialiter, directe significat personam; et sensus illius propositionis est: Christus seu persona Christi, quae est homo, seu quae subsistit in humana natura, est Filius Dei adoptivus. Et haec propositio aperte est falsa atque haeretica. Nam persona Christi subsistens in humana natura est Filius Dei naturalis. Sin particula « ut » accipitur formaliter, directe significat humanam naturam, et sensus illius propositionis est: Natura Christi humana est Filius Dei adoptivus. Etiam haec propositio falsa est. Nam natura Christi humana, sicut quaevis natura, nullo modo est filius: nec natura nec adoptione, cum filius sive naturalis sive adoptivus non sit nisi suppositum.

Probatur: I. E Scriptura. 1. *Positive.* Rom. 8, 32: *Qui* (Deus) *etiam proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ergo Christus in eadem natura, in qua traditus est, sc. in humana est Filius Dei proprius, i. e. naturalis. Gal. 4, 4: *Misit Deus Filium suum* (τὸν υἱὸν αὐτοῦ) *factum ex muliere, factum sub lege.* Ergo Christus in eadem natura, in qua factus est ex muliere et sub lege, est ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ i. e., ut cap. 1. ostensum est, Filius Dei naturalis.

Si autem Christus in humana natura est Filius Dei naturalis, non potest simul esse Filius Dei adoptivus, ut magis apparebit ex dicendis infra sub III.

2. *Negative.* Christus in Scriptura numquam sive explicite sive implicite, Filius Dei adoptivus vocatur. Scriptum est quidem Rom. 1, 4 de Christo: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute... ex resurrectione mortuorum.* Inde tamen concludi non potest: Qui praedestinatus est, ut sit filius, utique non est filius naturalis; ergo est filius adoptivus. Nam: *a)* Textus originalis est: τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ etc. Sed ὁρίζειν significat constituere aut hoc loco fortasse, ut plerique Graeci censent, ostendere seu demonstrare. Unde sensus illorum verborum iuxta textum originalem est hic: Qui constitutus est Filius Dei in virtute... ex resurrectione mortuorum. Verba autem « in virtute » cum nomine Filii Dei arcte sunt connectenda, ita ut sensus sit idem ac: Filius Dei potens. Iam vero inde a resurrectione seu in sua glorificatione Christus re vera publice constitutus est Filius Dei potentissimus seu in potentia. — Aut sensus est: Qui ostensus seu demonstratus est Filius Dei etc. — *b)* Etiam iuxta textum Vulgatae recte potest explicari, et quidem sic: Praedestinatum est ab aeterno, ut in tempore hic homo sit Filius Dei naturalis.

II. E Traditione. *S. Hilarius* Christum vocat Filium Dei origine, *non adoptione*, s. *Augustinus* Filium Dei unicum, *non adoptatum*; s. *Gregorius* filios Dei *adoptivos* Christo ut Filio eius naturali *opponit.*

Hilar.[1]: « Multi nos filii Dei, sed non talis hic Filius. Hic enim et verus et proprius est Filius; origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione ». — *Aug.*[2]: « Oportebat, ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium ». — *Greg. M.*[3]: « Aliud est enim natos homines gratiam adoptionis accipere, aliud unum singulariter per divinitatis potentiam Deum ex ipso conceptu prodiisse ».

Nota. Ss. Patres interdum utuntur quidem vocabulo adoptionis, sed solummodo respectu naturae humanae.

III. Ratione theologica. 1. Filium esse non competit naturae, sed personae; sed persona Christi est Filius Dei naturalis.

2. Adoptio est assumptio gratuita personae *extraneae* (i. e. personae, quae ab adoptante non est genita); sed Christus non est persona Deo extranea.

---

[1] De Trin. l. 8, n. 11.

[2] In Ioan. tract. 7, n. 4.

[3] Moral. l. 18, c. 52, n. 85.

THESIS III. B. M. V. vere et proprie est Dei genitrix. *De fide* ex Conc. Ephesino.

Ephes. can. 1.: Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel et propterea Dei genitricem sanctam Virginem (καὶ διὰ τοῦτο θεοτόκον τὴν ἁγίαν παρθένον), a. s. (D. 73).

Opponitur Theodoro Mopsvesteno et Nestorio asserentibus Mariam non esse vocandam Θεοτόκον sed Χριστοτόκον.

Probatur: I. E Scriptura. Luc. 1, 35: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur* (= erit) *Filius Dei.* Quod est idem ac: Filius tuus sanctus erit Filius Dei; quod iterum idem est ac: Tu eris mater Filii Dei sancti, seu breviter: tu eris mater Dei.

Gal. 4, 4: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Hoc nihil aliud est nisi: Misit Deus Filium suum, Filium mulieris, i. e. Mariae; et hoc nihil aliud est nisi: Misit Deus Filium suum, cuius mater est Maria.

II. E Traditione. E ss. Patribus iam ante Conc. Ephes. aliqui Mariam expresse vocaverunt Θεοτόκον, i. e. Dei genitricem ut Athanasius, Gregorius Naz.

Athan.[1]: Agnoscimus Filium Dei « assumpta carne de Virgine Dei genitrice (ἐκ παρθένου τῆς θεοτόκου) Maria hominem esse factum ». — *Greg. Naz.*[2]: « Si quis non Dei genitricem Mariam suscipit, separatus a divinitate sit ».

III. Ratione theologica. Persona Verbi in utero Virginis veram subiit generationem; ergo contraxit erga eam veram filiationem; ergo Virgo vicissim erga personam Verbi contraxit veram maternitatem. Aut sic: Generari est suppositi; atqui suppositum, quod ex Maria generatum est, est Deus; ergo Maria est genitrix Dei.

Corollaria. 1. Relatio materna ad Deum secum fert maiorem *dignitatem*, quam ulla alia mera creatura habet.

2. Creari non potest maior mater, quam mater Dei, in sensu *reduplicativo*, i. e. sub ratione matris, seu quatenus est mater. Nam non potest esse maius seu perfectius ens, quam Deus; ergo nec mater maioris entis, quam Dei.

Ne igitur intelligatur Mariam alioquin sive in naturalibus sive in supernaturalibus tam perfectam esse, ut perfectior esse non possit. Nam re-

[1] Orat. 4. contra Arian.

[2] Epist. 101 ad Cledon. c. 1.

spectu naturalium Maria est homo; creatura autem, quae sit perfectior, quam homo, non solum esse potest, sed etiam est, sc. angelus. Neque ulla creatura tam perfecta esse potest, ut non possit esse perfectior. Etiam respectu supernaturalium, sc. donorum gratiae et gloriae, numquam tanta copia vel tantus gradus dari potest, ut non possit dari maior. Dicere igitur aliquam creaturam sive in naturalibus sive in supernaturalibus tantam seu tam perfectam esse, ut maior seu perfectior esse non possit, est dicere potentiam divinam aliquo ab ipsa producto exhauriri et consequenter non esse infinitam, sed finitam.

3. Maternitas Mariam formaliter non sanctificavit; sed fuit titulus, ob quem eam sanctificari et consequenter glorificari summe decuit, et quidem supra omnes meras creaturas, ita ut solus eius Filius habeat maiorem gradum gratiae et gloriae, quam ipsa, quilibet autem alius, sive angelus sive homo, minorem. Unde maternitas B. M. V. quodammodo vocari potest sanctificatio eius radicalis. Maternitas igitur Mariae, si consideratur ut titulum illum includens, est maior gratia, quam gratia sanctificans aliarum merarum creaturarum; sin consideratur ut separata a gratia sanctificante, est minor gratia, quam haec. Nam ordinatum esse ad Deum ut finem supernaturalem est maior gratia, quam physice concurrere ad temporalem Dei nativitatem, id quod Christus innuit Luc. 11, 28 et Patres docent dicendo Mariam fuisse beatiorem concipiendo mente, quam ventre etc.

Thesis IV. **Totus Christus adorandus est una adoratione atque ea latreutica.**

De fide ex Conc. Constantinop. II. (a. 553).

Dicit hoc Conc. can. 9.: Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duae adorationes introducuntur semotim Deo Verbo et semotim homini,... non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria eius carne adorat (προσκυνεῖ), iuxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est, talis anathema sit (D. 180).

Opponitur Nestorianis, qui statuerunt duplicem Christi adorationem diversam, unam latreuticam, quae competat Christo Deo; alteram non latreuticam, quae competat Christo homini.

Explicatur: 1. Cultus latreuticus seu cultus latriae (Anbetung) est cultus soli Deo debitus.

2. Quantum ad Christum distinguendum est inter personam vel naturam divinam et naturam humanam. Persona vel natura divina cultu latriae adoratur propter se. Est igitur obiectum

cultus tam materiale quam formale. Natura Christi humana, in quantum consideratur ut hypostatice unita cum Verbo, adoranda est eodem cultu latriae, non tamen propter se, sed propter Verbum. Est igitur obiectum cultus latriae materiale, idque secundarium; non formale.

3. Dictum est supra: in quantum consideratur ut hypostatice unita cum Verbo. Unde quaeritur, num liceat vel conveniat humanam Christi naturam considerare ut abstractam a persona Verbi eamque ita consideratam colere cultu non latreutico. Respondendum est saltem id neutiquam convenire. Nam: *a)* Ecclesia, Concilia, Patres non norunt nisi unum Christi cultum, atque eum latreuticum. — *b)* Nullibi est usus personam, quae plures gradus excellentiae possidet, colere secundum gradum inferiorem abstractione facta a gradu superiore. Immo qui ita ageret, gradum superiorem virtualiter negare videretur. — Attamen licet et convenit humanas Christi perfectiones secundum se spectatas *admirari et laudari.*

4. Ex eo, quod dictum est humanam Christi naturam adorandam esse non propter se, sed propter Verbum, non licet concludere cultum, qui illi tribuatur, esse cultum relativum, cum potius sit absolutus. Nam cultus relativus est ille cultus, qui alicui tribuitur ob excellentiam alterius, quocum moralem habet connexionem, e. g. imagini alicuius Sancti. Cultus autem absolutus est ille, qui alicui tribuitur ob excellentiam ipsius *propriam*, quam habet sive per modum identitatis sive per modum formae inhaerentis, sive per modum unionis substantialis, ad quam etiam unio hypostatica pertinet.

Excellentiam sibi propriam habet: per modum identitatis: Deus; per modum formae inhaerentis: e. g. homo sanctitate praeditus: per modum unionis substantialis: e. g. corpus anima rationali informatum. Deus igitur colitur propter se; homo ob sanctitatem, quam ut formam sibi inhaerentem possidet; corpus ob perfectionem animae, quacum substantialiter est unitum. Sic quoque humana Christi natura colitur ob perfectionem Verbi, quocum hypostatice unita est.

Probatur: I. E Scriptura, quae non novit cultum Christi duplicem, sed unum tantum. Et hic quidem est, cum Christus in Scriptura proponatur ut Deus, idem, qui Deo competit, i. e. latreuticus.

Io. 5, 22, 23: *Pater... omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut* (καθώς) *honorificant Patrem.*

Ex eo, quod dicitur « dedit » merito potest colligi ibi sermonem esse de Christo homine. Non enim nisi ipsi ut homini auctoritas iudiciaria est *collata*, munus iudicium exercendi est *demandatum*. Iam vero idem ipse est, quem omnes iuxta verba Scripturae citata debent honorare, quemadmodum honorificant Patrem, i. e. cui omnes eundem cultum tribuere debent, quem Patri tribuunt. — Rom. 14, 10. 11. Philipp. 2, 9. 10 (Is. 45, 24). Hebr. 1, 6. Apoc. 5, 8.

II. **E Traditione.** *S. Athanasius* scribit[1]: « Neque Verbum adorare volentes ipsum longe a carne disiungimus... Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: recede a corpore, ut te adorem »? — *S. Ambrosius*[2]: « Per scabellum (Ps. 98, 5) terra intelligitur; per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis (in ss. eucharistia) adoramus, et quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt. Neque enim divisus est Christus, sed unus (1. Cor. 1, 13); neque enim, cum adoratur tamquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur ».

III. **Ratione theologica.** Obiectum cultus est persona cum iis omnibus, quae in ipsa subsistunt. Sed natura Christi humana subsistit in persona Verbi divina. Ergo illa cum hac uno cultu est adoranda. — Aut sic: Omnis honor, etiam ille, qui immediate exhibetur alicuius personae parti, spectat ad ipsam personam. Ergo excellentiae personae debet esse commensuratus. Sed excellentia personae Christi est divina. Ergo cultus, qui debetur humanitati in persona Verbi subsistenti, est cultus latriae.

Scholion. Quamquam ex una parte humanitas Christi ut hypostatice unita cum Verbo cultu latriae est adoranda et ex altera parte sacrificium non est nisi cultus latreuticus externus et publicus, tamen sacrificium missae humanitati Christi ut unitae cum Verbo offerri non potest. Ratio est, quia Christi humanitas in persona Verbi subsistens est id, quod in missa offertur. Sed inter id, quod offertur, et eum, cui offertur, necessario realis est distinctio. Praeterea in sacrificio missae Christus homo est sacerdos principalis seu principalis offerens. Atqui etiam inter eum, qui offert, et eum, cui offertur, distinctio realis sit oportet.

[1] Epist. ad Adelphium, n. 3.
[2] In Ps. 98.

Missam autem Deo offerri posse in honorem humanitatis Christi vel alicuius eius partis, v. g. sanctissimi cordis manifestum est. Etiam constat, si haberetur aliud sacrificium praeter sacrificium missae, in quo Christus neque oblatio esset neque offerens, illud humanitati eius Verbo unitae posse offerri.

THESIS V. Ss. Cor Iesu cultu latriae dignum est.

Est *certum* ex damn. prop. 62. et 63. synodi Pistoriensis facta a Pio VI. et ex praxi Ecclesiae.

Dicit synodus Pistor. n. 62: Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum Cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas aut saltem periculosas, intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata: falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem iniuriosa.

63. Item in eo, quod cultores Cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant sanctissimam carnem Christi aut eius partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae; quasi fideles Cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Iesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro: captiosa, in fideles Cordis Christi cultores iniuriosa (D. 1425 et 1426).

Explicatur et probatur: 1. Quia Verbum hypostatice unitum est cum singulis corporis Christi partibus, hae ut unitae cum Verbo, si iusta habetur causa, speciatim possunt coli ceteris eiusdem corporis partibus neque expresse spectatis neque exclusis.

2. Iusta autem causa habetur speciatim colere Iesu Christi ss. Cor. Et haec quidem causa est, quia cor est symbolum naturale amoris. *a)* Cor est *symbolum* amoris ex usu hominum, ut patet ex loquendi consuetudine, quae non solum vulgo et apud scriptores profanos invenitur, sed etiam in s. Scriptura, ut Prov. 23, 26: *Praebe fili mi cor tuum mihi;* = praebe mihi tuam caritatem. — *b)* Cor est symbolum amoris *naturale* ex eo, quod motus animi, speciatim affectus amoris, et motiones cordis inter se intime sunt nexa. Si igitur omne cor est symbolum aptum amoris, etiam Cor Iesu est aptum symbolum illius caritatis, qua Christus erga homines flagrat, flagrat et ut Deus et ut homo.

3. Itaque id, quod in cultu ss. Cordis Iesu proxime spectatur, seu obiectum eius proximum est Cor Iesu carneum,

anima informatum et cum Verbo hypostatice unitum, in quantum est symbolum caritatis Christi. Obiectum igitur proximum est duplex: Cor illud et caritas; Cor ut res signans, caritas ut res signata; Cor ut obiecti proximi pars materialis, caritas ut eiusdem obiecti pars formalis seu ratio, sub qua.

4. Cum igitur in hoc cultu proxime atque expresse spectentur et persona Verbi et Christi anima et eius cor carneum, ceterae corporis Christi partes expresse non spectantur; tamen nec excluduntur. Unde obiectum cultus illius integrum est totus Christus.

5. Id, quod illo cultu intenditur, seu eius finis est: promovere nostram erga Deum caritatem et quadamtenus reparare iniurias, quibus caritas Christi ab hominibus afficitur, praesertim in caritatis seu amoris sacramento.

Scholion I. Iam olim cultum ss. Cordis Iesu foverunt complures homines sanctitate conspicui, ut ss. *Augustinus*, *Bernardus*, *Thomas*, *Bonaventura*, *Franciscus Salesius*. Eundem tradunt speciali revelatione manifestatum esse b. *Margaritae Mariae Alacoque* (O. Visit. B. M. V., in urbe Paray-le-Monial in ducatu Burgundiae, regno Galliae), idque anno 1675. Sed cultus ss. Cordis Iesu huic revelationi privatae ut fundamento suo theologico nequaquam innititur; sed independenter ab ea principiis fidei et morum consonus est, et propter hoc ab Ecclesia permittitur et commendatur.

Scholion II. Expressio « Cor Iesu », ut communiter fere admittitur, non est personificatio, quia per eam non solum exprimitur cor, sed etiam persona, quae cor possidet. Tamen haec persona tantummodo significatur secundum eas rationes, quarum organum vel symbolum cor est. Itaque cordi Iesu non sunt attribuenda ea, quae ex natura sua non pertinent nisi ad suppositum *integrum*, ut conceptum esse de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine, resurrexisse, sedere ad dexteram Patris, habere matrem etc.

CAPUT V.

De Proprietatibus Humanitatis Christi.

ARTICULUS I.

DE HUMANITATIS CHRISTI DEFECTIBUS ET AFFECTIBUS.

THESIS I. **Corpus Christi ante resurrectionem ex conditione naturae suae obnoxium fuit iis omnibus defectibus physicis, qui naturae humanae communes sunt.**

Corpus Christi defectibus illis reapse fuisse obnoxium *de fide* est; illud his obnoxium fuisse ex naturali conditione est *certum*.

Opponitur: 1. Aphtardocetis seu incorrupticolis, parti monophysitarum (saec. 6.), qui duce Iuliano, episcopo Halicarnassensi, docebant corpus Christi incorruptibile fuisse.

2. Quibusdam catholicis eiusdem temporis et Philippo, O. Praem., abbati Bonae Spei (Bonne Espérance in Hannonia [Hennegau] Belgica, saec. 12.), qui putabant incorruptibilitatem corpori Christi per unionem cum Verbo primo esse datam, sed deinde, ut Christus pati et mori posset, miraculo esse ablatam.

Explicatur: 1. Verbum libere assumpsit corpus, cui ii defectus, qui omnibus hominibus communes sunt, erant *naturales;* et Christus voluntate sua humana initio vitae suae eosdem defectus libere acceptavit; (Hebr. 10, 5-10), et quidquid per totam vitam suam passus est, libere est passus.

2. Verbum defectus illos assumpsit, *a)* ut patiendo et poenas peccatorum subeundo pro peccatis nostris satisfactionem praestaret, et pro nobis mereretur; — *b)* ut nobis praeberet exemplum patientiae ac fortitudinis; — *c)* ut caritatem nostram erga se accenderet; — *d)* ut demonstraret se esse verum hominem.

3. Corpus Christi per se consideratum subiectum fuit *naturali necessitati* huiusmodi defectuum. Hinc dici potest Christum passibilem fuisse necessitate naturali, voluntarie tamen acceptata. Dici autem non potest Christum defectus illos contraxisse (= sich zuziehen). Illud enim solum stricte dici potest

contrahi, quod trahitur simul cum sua causa. Sed causa illorum defectuum est peccatum. Peccato autem Christus fuit immunis.

4. Corpus Christi natura non fuit indissolubile, ita ut mori non potuerit nisi nece seu morte violenta; sed patuit morti *naturaliter* oriundae ex aetatis infirmitate (S. Aug.).

5. Ex altera parte corpus Christi nullos eorum defectuum habuit, qui ex causis *particularibus* insunt in *quibusdam* hominum, quorum praecipui sunt morbi. Christum enim his laborasse neque a s. Scriptura ullo verbo indicatur et a ss. Patribus, ut Athanasio, negatur. Ratione quoque dissuadetur. Nam morbi oriri solent ex defectu virtutis formativae, ignorantia, imprudentia, inordinato victu etc., quae omnia a Christo abfuerunt.

Attamen a corpore Christi non necessario sunt excludendae affectiones, quae et quatenus oriuntur ex noxia vi elementorum, non ex imprudentia etc., v. g. sequelae perfrictionis (Erkältung). Nam eiusmodi affectiones magis sunt conatus naturae se ipsam curandi (Naturheilprozesse), quam morbi stricte dicti. Multo minus a corpore Christi eae affectiones excludendae sunt, quae naturaliter oriuntur ex vulneratione, ut febris (Wundfieber).

6. Corpus Christi non fuit deforme, ut erronee opinabantur Clemens Alex. et Tertullianus, nixi verbis perperam intellectis Is. 53, 2: *Non est species ei neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus;* quae quidem verba intelligenda sunt de Christo patiente et vulneribus deformato. E contrario ss. Patres et theologi communiter sentiunt Christum virili *pulchritudine ac dignitate* fuisse insignem. Cf. Lev. 21, 16-23.

Probatur e Scriptura. 1. Defectus omnibus communes in corpore Christi fuisse patet:

a) Ex passione Christi, quae ibi narratur.

b) Ex Hebr. 4, 15: *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem* (= sed tentatum, gr. πεπειρασμένον = malis affectum, quibus eius virtus probetur) *per omnia pro similitudine.* — Hebr. 2, 18; 5, 8. 9.

2. Eos defectus corpori Christi fuisse naturales indicatur Hebr. 2, 14: *Quia ergo pueri communicaverunt carni et*

sanguini (= Quia igitur liberi acceperunt carnem et sanguinem), *et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.* Quibus verbis asseritur Filium Dei corpus assumpsisse ob id ipsum, ut moreretur. Ergo etiam tale corpus assumpsisse censendus est, ut posse pati et mori ipsi sit naturale.

Scholion. *S. Hilarius* docere videtur[1] carnem Christi ex vulneribus nullum sensum doloris habuisse, praeter alia imprimis hoc dicendo: Virtus corporis sine sensu poenae vim poenae... excepit. Sed hoc communiter sic explicatur: « Virtus corporis » est Verbum in corpore existens. Hoc certe poenam non sensit. Nam aliis locis idem s. Doctor diserte docet Christum dolores esse expertum, et illud scripsit contra Arianos, qui ex passione Christi concludebant eum Patre esse inferiorem.

THESIS II. **Christus habuit passiones, sed absque ulla inordinatione.**

Explicatur: 1. Passiones (Gemüthsbewegungen) sunt affectiones appetitus sensitivi, quae coniunctae sunt cum commotione corporali. Appetitus sensitivus vocatur concupiscibilis, quatenus versatur circa bonum obtinendum et malum fugiendum *per se consideratum*; irascibilis, quatenus versatur circa eadem, in quantum non obtinentur aut fugiuntur nisi difficulter.

2. Passiones in nobis saepissime sunt inordinatae, quatenus *a)* feruntur ad illicita, — *b)* iudicium rationis praeveniunt, immo trahunt. Ut per se patet, contrarium fuit in Christo. Ipse igitur non potuit tentari nisi mere extrinsecus.

Probatur: I. **E Scriptura**, iuxta quam in Christo fuerunt:

1. Tristitia. Matth. 26, 37: *Coepit contristari et moestus esse.*

2. Timor. Marc. 14, 33: *Coepit pavere.*

3. Ira. Marc. 3, 5: *Et circumspiciens eos* (qui observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum, 3, 2) *cum ira, dicit homini: extende manum tuam.*

4. Admiratio. Matth. 8, 10: *Audiens Iesus* (centurionis fidem) *miratus est.*

II. **Ratione theologica et congrua.** 1. Appetitus sensitivus pertinet ad integritatem naturae humanae. 2. Christum

[1] De Trin. l. 10, n. 13.

decuit habere eiusdem appetitus actus, *a)* ut se verum hominem ostenderet, — *b)* ut hominibus, qui passionibus agitantur, sit solatio, — *c)* ut exemplo suo doceret passiones esse gubernandas etc.

Scholion. Quidam Patres, ut s. *Hieronymus*, et quidam theologi, ut *Petrus Lombardus*, passionem (πάθος) intelligentes motum appetitus sensitivi inordinatum tantum, eam Christo abnegant, eique adscribunt *propassionem* (προπάθειαν), quam vocant.

ARTICULUS II.

DE ANIMAE CHRISTI SCIENTIA.

Thesis I. **Christus a primo instanti conceptionis habuit usum rationis et scientiam creatam.**

Est *certum*.

Probatur rationibus congruis: Quoad I. partem. 1. *Respectu naturae eius.* Decuit naturam *cum Sapientia hypostatice unitam* aliquantum temporis vitam agere solummodo vegetativam vel etiam sensitivam.

2. *Respectu muneris eius.* Decuit eum, qui homo factus erat eo animo, ut pro nobis *satisfaceret et mereretur*, satisfacere et mereri toto vitae suae tempore. Sed ut hoc posset facere, usus rationis necessarius erat.

Quoad II. partem. *Relative ad homines.* Decuit Verbum assumere naturam humanam omnino *perfectam*, quia ea mediante genus humanum ad perfectum voluit reducere. Sed humana natura ea non est, nisi praedita est scientia, quia omne, quod est in potentia ad aliquid habendum, tam diu imperfectum est, quam diu illud non habet.

2. *Relative ad angelos.* Christus est *caput* non solum hominum, sed etiam angelorum. Sed angeli a creatione scientia sunt praediti. Ergo idem decuit Christum.

Scientia Christi creata distinguitur triplex: beatifica, infusa, acquisita.

Thesis II. **Christus habuit et habet visionem beatificam.**

Est *certum*.

Explicatur et probatur. I. *Quantum ad exsistentiam.* Christus iam in vita mortali visionem beatificam habuit, id quod negatum est a *Günther*, *Klee*, *Laurent;* et eam quidem habuit a primo instanti humanae suae exsistentiae.

1. Christum visionem beatificam iam in vita sua mortali habuisse quodammodo indicatur in Scriptura et suadetur rationibus congruis.

Nam: *a)* Christus dixit Nicodemo Io. 3, 13: *Nemo ascendit* (ἀναβέβηκεν) *in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.* Illud « ascendit » stricte non potest intelligi de Christi natura divina; ergo intelligi debet de natura eius humana; nec potest intelligi de ascensu corporeo, qui tunc temporis nondum erat factus; ergo debet intelligi de ascensu spirituali, i. e. de visione beatifica.

Dictum est supra: *Quodammodo* et *stricte*, quia ascendisse hoc loco nihil aliud videtur significare nisi contemplatum esse coelestia *(Ians.);* et hoc etiam de Christi divinitate intelligi potest, dummodo ne urgeatur vel tempus praeteritum vel significatio propria verbi ascendendi.

b) Rationes congruae sunt: α) *Respectu unionis hypostaticae.* Eam naturam, quae in vita mortali Deo *personaliter* erat unita, decebat in eadem vita etiam *intelligibiliter* Deo esse unitam. — β) *Respectu magisterii Christi.* Christus in natura humana erat supremus doctrinae divinae magister. Sed huic conveniebat docere etiam *clare visa.*

2. Christum visionem beatificam iam a primo instanti humanae exsistentiae habuisse sic suadetur: Ratio praecipua, cur anima Christi iam in vita sua mortali visionem beatificam habuit, sita est in unione hypostatica; sed haec fuit a primo instanti; ergo etiam illa.

II. *Quantum ad naturam.* Visio beatifica Christi est *eiusdem speciei,* ac visio beatifica ceterorum hominum.

1. *Patet ratione.* Nam visio beatifica et Christi et aliorum hominum: *a)* Fit ab eodem principio, sc. ab intellectu lumine gloriae elevato. Sed intellectus Christi est eiusdem speciei atque intellectus aliorum hominum. Pariter lumen gloriae, quo Christi intellectus elevatur, eiusdem speciei est ac lumen gloriae, quod aliis communicatur. — *b)* Versatur circa idem obiectum formale.

2. *Innitur Scriptura,* et quidem Rom. 8, 17, ubi iusti vocantur coheredes Christi: *Si autem filii, et heredes: heredes*

quidem Dei, coheredes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglorificemur.

III. *Quantum ad gradum.* Attamen visio beatifica Christi quantum ad gradum perfectior est, quam visio omnium beatorum, tam hominum quam angelorum, idque certe, si hi omnes distributive sumuntur; probabiliter, si etiam collective sumuntur. Nam Filio Dei naturali et capiti (angelorum atque hominum) convenit hereditas i. e. beatitudo quoad gradum multo perfectior, quam filiis Dei adoptivis et suis membris.

Ex iis, quae de natura et gradu visionis beatificae Christo impertitae dicta sunt, haec possunt deduci:

IV. *Quantum ad obiecta.* 1. Ex una parte anima Christi neque divinitatem comprehendit neque in divinitate omnia possibilia actu cognoscit. Nam neque ens infinitum ab ente finito comprehendi potest, et omnes possibiles effectus alicuius causa in seu ex hac causa actu cognoscere est hanc causam comprehendere.

2. Ex altera parte anima Christi Deum *clarius et perfectius* videt, quam omnes mere creaturae certe distributive, probabiliter etiam collective sumptae; et in eadem proportione in Deo actu videt *plura et possibilia et actualia.*

Actualia sunt ea, quae aut a Deo aut a creaturis aliquando fiunt, sive sunt praesentia sive praeterita sive futura.

Cum de possibilibus nihil specialiter possit dici, accurate determinari potest, quot et quae actualia ab anima in Deo videantur. Axioma enim communiter et merito receptum hoc est: Beati per visionem beatificam in Deo illa omnia vident, quae ad eos spectant, seu quae videre eos decet iisque est optatum. Nam de ratione beatitudinis est per eam omne rationabile desiderium satiari neque quidquam, quod haberi deceat, desiderari. Iam vero ad Christum hominem spectant *omnia actualia*, i. e. omnia in aliqua temporis differentia exsistentia, sive sunt praeterita, sive praesentia, sive futura, quae ad hanc oeconomiam pertinent (ut ab aliquibus recentioribus haud immerito additur). Nam Christus est caput et iudex angelorum atque hominum et dominus totius mundi. Sed ad caput pertinet habere notitiam membrorum, ad iudicem personarum et rerum iudicandarum, ad dominum omnium sibi subditorum.

V. *Quantum ad modum.* Controversum est, utrum anima Christi in essentia divina omnia actualia *semper actu* cognoscat, an *quasi habitualiter*, i. e. ita, ut in divina essentia ea omnia simul repraesentante quidvis eorum pro libitu possit intueri, et etiam permulta simul, non tamen simul omnia.

1. Animam Christi in Deo omnia actualia semper actu cognoscere tenent *Thomistae*, qui pro sua sententia hanc afferunt rationem: Ex una parte omnia actualia, licet quoad durationem ipsis propriam sint successiva, tamen in Verbo seu in essentia divina ea repraesentante simul sunt praesentia. Ex altera parte visio beatifica est aeterna, unde etiam metienda est aeternitate; sed in aeternitate nulla est successio, nulla mutatio.

2. Animam Christi in Deo omnia actualia non semper actu videre, sed tantummodo quasi habitualiter sentiunt *s. Bonaventura, Scotus, alii.* Pro qua sententia haec afferri potest ratio: Si anima Christi omnia actualia semper videret actu, simul videret infinita. Nam e. g. cogitationes beatorum, quae per totam aeternitatem erunt, numero sunt infinitae. Sed simul videre infinita intellectui finito repugnat.

THESIS II. **Christus habuit et habet scientiam per se infusam.**

Est sententia *fere saltem communis.* Videtur tamen magis esse philosophica, quam theologica.

I. *Quantum ad exsistentiam et naturam.* 1. Scientia Christi per se infusa est ea, qua ipse obiecta creata non cognoscit in Deo, sed in iis ipsis seu in proprio genere, idque modo angelorum proprio ac per species a Deo initio vitae suae infusas.

2. Haec scientia Christo conveniens est: *a) Si spectatur in se.* Ratione enim unionis hypostaticae animam Christi tam perfectam esse decet, ut in ea nulla sit potentia, quae ad actum non sit reducta. Sed anima Christi est in potentia cognoscendi res non solum in Deo, sed etiam in iis ipsis, idque per species infusas; ergo.

b) Si spectatur ut caput angelorum. Nam Christum ut caput angelorum decet habere omnes modos cognoscendi eorum proprios. Sed angeli praeter cognitionem matutinam, qua creata vident in Deo, etiam habent cognitionem vespertinam, qua ea per species infusas cognoscunt in proprio genere.

c) Si spectatur ut redemptor hominum. Nam Christus per totam vitam suam mortalem pro hominibus continuo satisfecit ac meruit, idque actibus supernaturalibus caritatis etc., quos posuit non ut comprehensor, sed ut viator. Sed ut actus illi essent actus viatoris, debebant dirigi lumine a lumine gloriae distincto, et, ut essent supernaturales, debebant dirigi lumine supernaturali. Non autem dirigebantur lumine fidei, quae utpote obscura Christo semper visionem beatificam habenti communiter abnegatur. Ergo debebant dirigi alio lumine supernaturali. Et hoc quidem erat lumen scientiae per se infusae, quae etiam ad supernaturalia extendebatur.

Nota. Haec ratio non probatur ab omnibus theologis.

Praeterea Christus non ut comprehensor, sed ut viator fuit auctor et doctor rerum supernaturalium. Ergo has ab illo etiam ut viatore clare cognosci vel maxime fuit conveniens. Sed eas cognoscere in essentia divina est comprehensoris; viatoris est eas cognoscere per proprias species. Ergo Christus eas etiam hoc modo cognovisse censendus est.

Nec valet dicere: Iuxta sententiam longe plurimorum theologorum Deus res non cognoscit in iis ipsis, sed tantummodo in sua essentia, quin per hoc cognitio eius sit manca; ergo non aliter existimandum est de Christo homine. Nam disparitas est. Deus enim, quia infinite perfectus est, non potest nisi modo infinite perfecto cognoscere: ergo non potest cognoscere duobus modis, quorum unus minus perfectus sit, quam alter. Sed Christus homo, utpote creatura, est in potentia, sive naturali sive obedientiali, cognoscendi modis pluribus. Ergo eius scientia non esset omni parte perfecta, si uno tantum modo res attingeret.

3. Haec scientia Christo infusa est primo instanti conceptionis. Nam ei data est praesertim ratione unionis hypostaticae. Atqui haec facta est primo conceptionis instanti. Neque ulla fuit ratio communicationem scientiae illius differendi.

II. *Quantum ad obiecta.* Iuxta plurimos theologos, praesertim Thomistas et Suarez, a Christo per scientiam per se infusam cognoscuntur:

1. Clare et intuitive omnia a Deo *creata* vel aliter effecta: et materialia et spiritualia; non modo naturalia, sed etiam supernaturalia, ut gratiae, habitus infusi, visio beatifica, unio hypostatica.

2. Clare quoque et intuitive omnes creaturarum *actus liberi:* non solum externi, verum etiam interni (secreta cordium); tam naturales, quam supernaturales; et praeteriti et praesentes et futuri (saltem usque ad diem ultimi iudicii inclusive, ut Antoine addit). Supremum enim iudicem videtur decere hos actus omnes etiam in iis ipsis cognoscere.

3. Distincte quidem, tamen abstractive (per species alienas) atque analogice *Deus*, et is non solum quoad unitatem naturae omniaque attributa, sed etiam quoad trinitatem personarum; (ut aliqui, e. g. Gonet addunt, quantum ad huius mysterii exsistentiam) idque ex obiectis supernaturalibus, quae, ut visio beatifica, ad Deum ut trinum essentialem habent ordinem.

Praeterea *iuxta Thomistas: a)* A Christo, sicut ab angelis, per easdem species infusas res creatae cognoscuntur non solum quoad rationes specificas, sed etiam quoad rationes *individuales*. — *b)* Species infusae Christi sunt *minus universales*, quam species infusae angelorum, cum commensurentur eius intellectui, qui utpote humanus minus perfectus est, quam intellectus angelicus. — *c)* Ex altera autem parte species infusae Christi numero sunt *multo plures*, quam species infusae cuiusvis angeli, cum a Christo per easdem plura cognoscantur, quam ab angelis.

E Scotistis *Frassen* haec statuit[1]: Christus per scientiam per se infusam novit *a)* probabilius *Deum* ut unum et trinum (non solum quantum ad quaestionem, an sit, sed etiam quoad quaestionem, quid sit); — *b)* omnia entia a *Deo* producta per se *supernaturalia*, ut gratiam, virtutes theologicas, lumen gloriae, visionem beatificam etc.; 3. *cogitationes cordium*, necnon *futura*, etiam contingentia. *Henno* autem haec docet[2]: Anima Christi per scientiam per se infusam: *a)* Novit, quid sit *Deus* (non: Deum esse, quia aeque facile, imo facilius potuit cognoscere Deum esse, quam alii homines). Etiam habuit speciem Dei trini, saltem abstractivam. Si enim dari potest species expressa repraesentans Deum unum et trinum, sc. visio beatifica, quid ni impressa? — *b)* Cognovit ea entia creata supernaturalia, quae *essentialiter* dicunt *ordinem ad Deum*, quaeque perfecte non possunt cognosci, nisi cognoscitur Deus, ut sunt unio hypostatica et visio beatifica. Per hanc igitur scientiam Christus neque cognoscit illa entia supernaturalia, quae non essentialiter dicunt ordinem ad Deum, ut gratias actuales, gratiam sanctificantem etc., neque entia creata naturalia. Nam eorum omnium species ab entibus respondentibus possunt abstrahi.

III. *Quantum ad modum.* 1. Scientia Christi per se infusa secundum doctrinam omnium est *habitualis*. Habet enim mo-

[1] Tom. 7, disp. 2, art. 2, sect. 3, quaest. 3.

[2] Tom. 2, tract. de incarn. disp. 10, q. 2. et 3.

dum naturae humanae proportionatum, qui est res cognoscere per modum habitus, quo quis uti potest, quando et quantum vult.

2. In vita Christi mortali ad ipsius arbitrium potuit esse sine conversione et cum conversione ad *phantasmata*. Nam Christus tunc temporis erat et comprehensor et viator. Qua comprehensor non dependebat a corpore et habebat modum intelligendi, qui angelorum atque animarum separatarum est proprius. Qua viator habebat modum cognoscendi proprium hominum, quo, quoties ei libitum erat, poterat uti. Conversio autem ad phantasma constitit in eo, quod Christus in phantasia formavit phantasma de eodem obiecto, de quo per speciem infusam cogitavit, et quod hac specie non est usus, quatenus ipsa absolute repraesentavit suum obiectum, sed cum aliqua ad illud phantasma comparatione.

Ex eo, quod scientia Christi per se infusa sine conversione ad phantasmata esse potuit, intelligitur Christum etiam in somno ea potuisse uti.

3. Utrum eadem scientia in vita Christi mortali potuerit esse cum *discursu*, (quo certe non indiguit), necne, controversum est. Ab aliis, praesertim a s. Thoma affirmatur, cum Christus ab una cognitione progredi potuerit ad aliam, quae ab illa obiective dependeat, v. g. a cognitione causae ad cognitionem effectus. Ab aliis, ut Suarez et de Lûgo negatur, cum illud non sit cognoscere unum ex altero, sed tantummodo unum post alterum, id quod ad constituendum discursum non sufficiat.

Thesis IV. **Christus habuit scientiam humanae naturae connaturalem seu per se acquisitam.**

Est *sententia communis.*

Explicatur et probatur: I. *Quantum ad essentiam et exsistentiam.* 1. Scientia per se acquisita vocatur ea scientia, quae ab homine propriis actibus et potest acquiri et per se est acquirenda, quae tamen per accidens ei potest infundi. Hac scientia essentiae rerum mediantibus phantasmatibus abstractive cognoscuntur.

2. Christum scientiam per se acquisitam habuisse ex eo colligitur, quod ipse erat verus et perfectus homo, et is quidem viator.

II. *Quantum ad modum acquirendi.* Controversum est, utrum Christus hanc scientiam a Deo infusam acceperit, an propriis actibus acquisiverit.

1. *Alexander Hal., s. Bonaventura, Scotus* eiusque sectatores, *pauci Thomistae, Suarez, de Lugo* censent hanc scientiam totam Christo esse infusam. Idem tenuit s. Thomas priore vitae suae tempore. Et illi quidem omnes praeter de Lugo sentiunt eam Christo infusam esse primo instanti conceptionis; de Lugo autem sentit eam Christo non esse infusam nisi respondentibus organis corporeis rite dispositis. Itaque:

a) Ab his theologis statuitur duplex scientia Christi infusa: altera infusa per se; altera infusa per accidens. Illa, qua res cognoscuntur super modum humanum, a Christo homine nisi per infusionem recipi non potuit; haec, qua res cognoscuntur modo humano, potuit quidem ab eo propriis actibus acquiri, est tamen reapse ei infusa.

Iidem autem theologi ad statuendum hanc scientiam Christo infusam esse his potissimum rationibus sunt adducti: α) Nihil boni atque perfecti, quod Christo inesse potest, ei est denegandum. — β) Christum dedecuit paulatim atque gradatim discere. — γ) Item eum dedecuit in ulla re Ada esse inferiorem.

Iuxta paucos illos *Thomistas etc.*, qui Christo scientiam per accidens infusam adscribunt, ipse eadem, quae hac cognovit, etiam scientia per se infusa cognovit, modo tamen diverso: scientia per accidens infusa abstractive, scientia per se infusa intuitive.

Iuxta *Scotistas* autem Christus scientia per accidens infusa alia cognovit atque scientia per se infusa; et quidem iuxta *Frassen* [1] quidditates omnium rerum *naturalium* aliquando exsistentium; iuxta *Henno* [2] omnes species entium aliquando exsistentium tum naturalium tum *etiam* illorum *supernaturalium*, quae *non* dicunt *essentialem ordinem ad Deum;* iuxta utrumque insuper multa individua, non tamen omnia (ut Frassen dicit: individua totius rerum universitatis nobilissima).

b) Secundum omnes, qui Christo adscribunt scientiam per accidens infusam, ab eo propriis actibus et quidem ope sensuum tantummodo acquisita est cognitio experimentalis, quae paulatim accessit ad cognitionem earundem rerum abstractivam iam ab initio habitam. Earum igitur rerum, quae sensibus expertus non est, Christus iuxta illos scientiam acquisitam non habuit.

2. *S. Thomas* posteriore vitae suae tempore tenuit et *longe plurimi discipulorum eius* tenent scientiam humanae

[1] Ib. quaest. 4, concl. 2. et coroll.

[2] Ib. quaest. 4.

naturae connaturalem Christo non esse divinitus infusam, sed ab eo propriis actibus acquisitam. Quae sententia:

a) Explicatur. Iuxta eam Christus:

α) Scientiam illam tum coepit acquirere, cum incepit ratione sua uti eo modo, qui hominibus est naturalis; tum igitur, cum cerebrum eius et sensus rite fuerunt disposita.

β) In eadem scientia multo magis profecit, quam quilibet alius homo; idque tum ob excellentissimam vim ingenii, tum ob lumen adiunctum scientiae beatificae et per se infusae.

γ) Semper habebat eam scientiam acquisitam et eam huius scientiae perfectionem, quae singulis eius aetatibus erant accommodatae. Numquam igitur ullam rem scientia acquisita non novit, quam eum decuit hac nosse.

δ) Scientiam illam omnem sibi acquisivit propria inventione; nec unquam aliquid sive ab angelo sive ab homine didicit, cum hoc summum doctorem dedecuerit.

b) Probatur: α) *Ratione naturae huius scientiae.* Modus naturalis hanc scientiam obtinendi consistit in eo, quod propria vi atque industria acquiritur. Atqui hic modus eam obtinendi Christum non dedecuit, sed potius omnino decuit. Nam primum: ceteris paribus perfectius est ad aliquid habendum se ipsum movere, quam illud aliunde recipere. — Deinde: si Christus ut viator non abstraxisset species a phantasmatibus, intellectus eius agens caruisset actu status viae proprio. — β) *Ratione conditionis Christi.* Christus per aliquot annos fuit *infans.* Sed infanti, cuius cerebrum formandis phantasmatibus nondum potest adhiberi, instructum esse ea scientia, in qua phantasmata naturaliter concurrunt, alienum vel ineptum esse videtur. Econtra, sicut Christus quantum ad corpus non fuit ab initio perfectus homo, sed paulatim crevit, perveniendo ab infantia ad pueritiam, a pueritia ad adolescentiam etc., ita etiam quantum ad animam decuit eum in scientia mere humana paulatim proficere. — Deinde Christus non fuit, sicut Adam, *caput et doctor* hominum in naturalibus, sed in supernaturalibus. Unde nec oportuit eum sicut Adam ab initio habere scientiam per accidens infusam. — Quod autem attinet ad id, quod instar axiomatis contenditur Christum dedecere Ada in ulla re esse inferiorem, hoc non esse minus urgendum nemo est, qui non videat. Nam, sin secus, Christus etiam ab initio debuit habere cognitionem ex-

perimentalem et usum loquendi etc., id quod neque ab adversariis admittitur.

III. *Quantum ad perfectionem.* Secundum doctrinam omnium Christus neque unquam erravit, neque unquam habuit cognitionem obscuram vel mere probabilem. Nam haec omnia involvunt internam imperfectionem.

Conclusio. Ut ex dictis patet, Christus scientia per se acquisita cognovit modo humano, scientia per se infusa modo angelico, scientia beatifica modo divino i. e. modo, qui naturaliter soli Deo competit.

ARTICULUS III.

DE ANIMAE CHRISTI GRATIA.

In anima Christi distinguenda est gratia substantialis et gratia accidentalis. Gratia substantialis est gratia *unionis;* et haec est ipsa unio hypostatica sub ratione gratiae spectata. Gratia accidentalis est gratia habitualis creata. Quae quidem dupliciter potest considerari, sc. quatenus Christum sanctificat ut hominem singularem, sub quo respectu vocatur gratia *personalis;* et quatenus Christo est principium sanctificandi alios, sub quo respectu vocatur gratia *capitis.* Itaque in Christo, sicut triplex scientia, ita etiam triplex distinguitur gratia, quae Io. 1, 14 et 16 sic exprimitur: *Verbum caro factum est; — plenum gratiae; — de plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Thesis I. **Humanitas Christi unione hypostatica est sanctificata.**

Explicatur et probatur. I. Humanitatem Christi unione hypostatica sanctificatam esse, si praescinditur a quaestione, quomodo sit sanctificata, certum est. Controversum autem est vel fuit, utrum humanitas Christi per unionem hypostaticam sanctificata sit *formaliter* seu actualiter, ita ut ad ea sanctam reddendam nulla requiratur gratia creata, an tantummodo fundamentaliter seu radicaliter seu exigitive, ita ut unio hypostatica non sit nisi ratio, ex qua humanitati Christi gratia creata ipsam formaliter sanctificans sit danda.

Priorem sententiam, quam olim imprimis Thomistae et theologi Societatis Iesu defendere solebant, quamque iam saec.

17. ipso Mastrio testante «universa recentiorum schola» tenebat, nostra aetate theologi *communiter* recipiunt. Alteram sententiam aliqui saltem Scotistae etc. amplexati sunt.

II. In favorem sententiae prioris haec affertur ratio: Illud humanitatem formaliter sanctificat, quod eam reddit participem esse divini Deoque gratam ac dilectam, quod eam constituit heredem aeternae beatitudinis, quod in ea peccatum excludit, quod eam capacem reddit ad merendum et satisfaciendum; ut breviter dicamus, quod eam recte ordinat ad Deum ut finem ultimum supernaturalem. Atqui Verbum haec omnia humanitati Christi iam ob unionem hypostaticam et per eam praestat. Ergo eam formaliter sanctificat.

Probatur minor: Per gratiam unionis humanitas Christi esse divini perfectius fit particeps, quam per gratiam habitualem creatam. Nam per hanc humanitas divinitati coniungitur solummodo accidentaliter; per illam autem personaliter. Unde etiam Deo Patri redditur permaxime grata atque dilecta ut natura Filii sui. Deinde per gratiam unionis humanitati Christi datur ius aeternae beatitudinis. Nam natura ad supremam, utpote personalem, unionem cum Deo admissa eo ipso habet ius, ne excludatur ab unione inferiore, ad quam Deus amicos suos admittit. Tum per gratiam unionis non solum quodvis peccatum excluditur, sed etiam peccandi possibilitas, cum secus persona divina posset peccare. Denique per gratiam unionis actiones Christi humanae fiunt actiones infinitae dignitatis. Propterea in statu viae, in quo Christus mereri et satisfacere debuit, habuerunt quoque infinitum valorem ad merendum et satisfaciendum. Itaque per gratiam unionis humanitas Christi recte ordinata est ad Deum ut finem ultimum supernaturalem.

Nota. Cum supernaturalis sanctitas creaturae consistat in recta habitudine ad Deum, finem ultimum supernaturalem, non absolute necesse est eam creaturae per modum formae inhaerere.

III. Haec sanctitas: 1. Dicitur substantialis, eo quod immediate provenit a Verbo, quod humanitati unitum est substantialiter. 2. Proxime pertinet, ut per se patet, ad animam. Tamen etiam Christi corpus unione hypostatica est sanctificatum, quatenus est Deo specialiter consecratum, incapax ullius maculae moralis etc.

THESIS II. **Humanitas Christi gratia sanctificante est ornata.**

Est sententia *certa*.

Probatur: I. E Scriptura. Io. 1, 14. Verbum caro factum vocatur *plenum gratiae*. Quod saltem etiam intelligi debet de gratia habituali creata, speciatim de gratia sanctificante. Nam 1. Ille simpliciter non potest dici gratiae plenus, cui aliqua gratia, quae ei convenit, deest. Sed gratia sanctificans humanae Christi naturae convenit, ut apparet ex rationibus congruis infra allatis. 2. In v. 16. additur: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Sed nos non accepimus gratiam unionis, sed gratiam creatam, praecipue sanctificantem. 3. In Scriptura gratia unionis vocatur plenitudo divinitatis, ut Col. 2, 9: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (σωματικῶς). Econtra, si ibi plenitudo gratiae dicitur, semper intelligitur gratia creata, ut Act. 6, 8: *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo*.

II. E Traditione. 1. *Ss. Patres* textum citatum in hunc modum explicant; e. g. s. Augustinus.

Scribit hic s. Doctor[1]: « Dominus Iesus Christus Spiritum Sanctum non solum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut homo; propterea dictus est plenus gratia et Spiritu Sancto (Io. 1, 14. Luc. 4, 1). Et manifestius de illo scriptum est in Actibus Apostolorum, quoniam unxit eum Deus Spiritu Sancto (Act. 10, 38), non utique oleo visibili, sed dono gratiae, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia ».

2. *Theologi* omnes hanc doctrinam ut certam proponunt.

III. **Rationibus congruis.** 1. Gratia sanctificans convenit humanae Christi naturae spectatae *in se*. Eam enim decet habere omnem perfectionem, quae neque ei repugnat neque superflua est. Sed gratia sanctificans humanitati Christi non repugnat, quia haec est creatura. Neque est superflua, quia, licet Christi humanitatem non reddat intensive sanctiorem, quam gratia unionis, tamen *a)* eam reddit sanctam in alium modum, sc. α) in genere sanctitatis *accidentalis*, et β) per modum qualitatis *inhaerentis*; — *b)* est connaturale principium *quo remotum* actuum Christi supernaturalium, cum in ordine super-

[1] De Trin. l. 15, c. 26, n. 4.

naturali eum fere locum occupet, quem in ordine naturali natura occupat; — *c)* in hoc providentiae ordine praerequiritur ad *gloriam*, cuius semen merito vocatur.

2. Gratia sanctificans convenit Christo homini spectato *in ordine ad Ecclesiam*. Nam Ecclesia est corpus Christi mysticum; Christus est illius caput, a quo ut fonte omnes gratiae in illam descendunt. Sed omnino decet caput corpori esse homogeneum, et fontem non esse sine gratia illa, quam aliis communicat.

Explicatur: Gratia Christi:

I. *Quantum ad naturam* est eiusdem speciei, ac gratia sanctificans ceterorum iustorum, tam angelorum quam hominum.

II. *Quantum ad perfectionem:* 1. Ex una parte *non* est *infinita*, quia creatum actu infinitum repugnat. 2. Ex altera parte: *a) Certe* superat gradus gratiae sanctificantis omnium iustorum *distributive* sumptorum, seu est in summo gradu, quem Deus conferre constituit. Unde eius plenitudo non solum est respectiva seu subiectiva, i. e. tanta, quanta statum et officium subiecti decet, ut occurrit imprimis in beata Virgine; sed etiam est absoluta seu formalis (sic dicta, quia est ex parte ipsius gratiae), i. e. tam intensa, ut intensior *nunquam detur*, seu tam intensa, ut intensiorem esse sit contra positivam Dei voluntatem et eam quidem omnino congruam.

Potest quoque dici gratiam intensiorem dari *non posse* de potentia Dei *ordinata* (supposito sc. libero Dei decreto, quo hic ab aeterno statuit intensiorem nunquam conferre). Dici vero non potest gratiam intensiorem non posse dari de potentia Dei absoluta.

Eadem divina voluntas est ratio ultima, cur gratia sanctificans Christi in eius mortali vita nunquam sit aucta. Propter illam enim meritum Christi viatoris in hunc finem neque ab ipso est oblatum neque a Deo est acceptatum. Cui rationi accedit et haec, quod Christus viator una simul fuit comprehensor. — *b) Probabiliter* et iuxta opinionem ss. Thomae et Bonaventurae etiam superat gradus gratiae sanctificantis omnium iustorum *collective* sumptorum, ita ut, quot gradus sanctificantis gratiae reperiuntur in omnibus angelis et hominibus a primo usque ad ultimum simul sumptis, tot et plures sint in Christo solo. Et hoc quidem iuxta multos theologos Christo homini congruit, quia hic et Deo est magis dilectus, quam

omnes merae creaturae collective sumptae, et angelorum atque hominum est caput.

Gratia sanctificans Christi, sicut et eius natura cum omnibus, quae in ea sunt, per unionem hypostaticam *dignificatur*, idque adeo, ut magis dignificari non possit, seu infinite. Eadem gratia ut principium quo proximum etiam producit *effectus*, qui ratione infinitatis personae *infiniti* sunt *valoris*. Propterea dici potest gratiam sanctificantem Christi ex relatione sua ad unionem hypostaticam esse infinitae dignitatis, vel etiam eam quodammodo esse relative infinitam.

Scholion I. Explicatio Luc. 2, 52: *Et Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines.* — 1. Iesum profecisse sapientia *a)* iuxta s. Thomam eiusque sectatores, qui Christo adscribunt veram scientiam humanam propriis actibus acquisitam, intelligi potest de vero in hac scientia profectu; — *b)* iuxta alios intelligi potest α) de profectu in cognitione mere experimentali. Christus enim secundum eos non solum oculis vidit, auribus audivit etc., sed etiam mediis sensibus in intellectu acquisivit novam aliquam cognitionem experimentalem, quae ibi remansit et res perceptas repraesentavit. sed solummodo cum ordine ad perceptionem sensibilem olim habitam; — β) de profectu quoad actus et ostensionem i. e. de eo, quod aetate procedente sapientiam sibi infusam verbis, operibus etc. magis magisque manifestabat, seu verba sapientiora loquebatur. opera sapientiora edebat etc. Quae in se spectata cum non apparenter, sed vere fuerint sapientiora, merito dici potest Iesum sapientia profecisse etiam apud Deum.

2. Iesum profecisse gratia apud Deum intelligi non potest nisi de gratiae effectibus seu operibus, quae ab ipso in dies vere maiora ostendebantur.

Scholion II. De gratia Christi actuali. Anima Christi: 1. Iuxta *omnes* accipiebat gratias actuales *adiuvantes*. Nam sicut homo in ordine naturali per naturam suam et facultates agere non potest, nisi Deus praestat concursum naturalem, ita in ordine supernaturali per gratiam sanctificantem et virtutes infusas non potest agere, nisi Deus largitur gratiam supernaturalem adiuvantem. Quod quidem axioma valet etiam de Christo homine viatore.

2. Iuxta *plerosque non* accipiebat gratias actuales *excitantes*, sive illustrationis sive inspirationis, quippe quae iis vi-

deantur fuisse superfluae: illae quidem ob visionem beatificam, hae ob amorem beatificum. Visio enim beatifica a Christo immediate applicari poterat ad considerandum, quidquid ad quemcumque actum supernaturalem ponendum necessarium erat; et amor beatificus Christum ad omnem eum actum impellebat, quin ulla difficultate retardaretur.

Iuxta *aliquos* vero, ut Henno, Christus homo accipiebat *etiam excitantes* gratias saltem *illustrationis* ad actus supernaturales non quidem ad statum comprehensoris (v. g. ad actum dilectionis Dei), sed tamen ad statum viatoris pertinentes (v. g. ad sustinendos dolores), utpote qui per visionem beatificam non fuerint directi.

Thesis III. **Animae Christi una cum gratia sanctificante alii supernaturales habitus sunt infusi.**

Est sententia *certa*.

Explicatur et probatur: I. Christo infusae sunt omnes virtutes tam theologicae quam morales, quarum actus neque unioni hypostaticae neque visioni beatificae repugnant.

1. Conveniens fuit virtutes Christo infundi, quia et hic fuit verus homo viator et illae sunt perfectiones naturae humanae elevatae prorsus consentaneae, cum conducant ad respondentes actus modo connaturali atque suavi eliciendos.

2. Virtutes, quarum actus aut omni aut aliqua ex parte visioni beatificae et unioni hypostaticae repugnant, sunt fides et spes et poenitentia.

a) Actum *fidei* ab intellectu Christi unquam elicitum esse communiter negatur. Ratio est, quia hic actus essentialiter includit obscuritatem quandam, unde cum visione beatifica, utpote cognitione omnino clara et ad omnia a Christo intellecta continuo se extendente, simul esse non potuit. Consequenter aeque communiter negatur intellectui Christi infusum esse fidei habitum seu theologicam virtutem, utpote ipsi inutilem. Attamen in voluntate Christi potuit esse affectus bene dispositus erga honestatem, quae est in credendo, et ad obediendum fidei, si oporteret. Consequenter in eadem voluntate etiam habitus affectui illi respondens esse potuit.

b) Respectu *spei* haec statuuntur:

α) *Actus* spei a voluntate Christi nunquam elicitus est quantum ad obiectum suum primarium, quod est Deus super-

naturali beatitudine possidendus. Nam anima Christi iam a sua creatione Deum continuo ita possedit.

Verumtamen voluntas Christi Deum amavit et amat amore illo concupiscentiae, qui in spe semper ac necessario est inclusus. Praeterea Christus appetiit aliqua beatitudinis obiecta secundaria, quae nondum erat adeptus, imprimis glorificationem corporis sui et exaltationem sui nominis. Quae quidem appetitio aliis theologis, et quidem nunc temporis plerisque, ea omnia in se continere videtur, quae sunt de ratione spei, aliis non videtur. Cf. tom. 2, pag. 132.

Ab iis, quibus illud videtur, haec affertur ratio: Obiecta illa beatitudinis secundaria a Christo per passionem et mortem erant adipiscenda; ergo ipsi erant bona ardua. Consequenter appetitio seu desiderium eorum in Christo coniunctum erat cum erectione quadam animi. Et quia idem desiderium etiam coniunctum erat cum certa fiducia illa bona adipiscendi, nihil in illo deest, quod ad spem constituendam requiritur.

Ab iis, quibus illud non videtur, haec ratio affertur: Christus ab initio in se habebat et sufficientem rationem ea bona possidendi, sc. gloriam animae atque unionem hypostaticam, et certitudinem ea suo tempore consequendi tam absolutam, quae ad fiduciam tantum nullo modo possit referri. Et quamquam Christus bona illa per passionem et mortem sibi comparare debuit, tamen per hoc eadem bona non redduntur formaliter ardua prae virtute spei.

β) Controversum est, utrum actus illi provenerint ex sibi respondente *habitu* necne.

Iuxta *aliquos*, ut Caietanum, ex eiusmodi habitu *non* provenerunt; neque Christo ad eos eliciendos speciali habitu opus fuit, quia is, qui Deum videt eoque fruitur, per hoc magis, quam per ullum habitum, ad eos eliciendos est dispositus. — Sed merito opponitur: Quaecunque est dispositio ex visione ac fruitione Dei beatifica proveniens, tamen haec non est principium voluntatem ad illos actus eliciendos *proxime* elevans, seu haec voluntatem non ita elevat, ut illis actibus modo *connaturali* eliciendis par sit. Hinc:

Iuxta *maiorem* partem theologorum actus illi ex habitu sibi respondente *provenerunt*. Et hic quidem habitus aliis (sc. iis, qui censent desiderium glorificationis corporis etc. vere ha-

buisse rationem spei) videtur fuisse habitus infusus *spei*, qui tamen non fuit talis, qualis est in meris viatoribus, neque vocandus est virtus theologica, cum obiectum primarium huius proprium defuerit; aliis (sc. iis, qui putant desiderium glorificationis corporis etc. rationem spei vere non habuisse) videtur fuisse habitus infusus *caritatis*, qua quis etiam inclinatur ad se ipsum propter Deum diligendum et bonum proprium appetendum. Cf. tom. 2, pag. 140, n. III.

c) Utrum Christus habuerit virtutem *poenitentiae* necne, pendet a notione, quae de hac virtute habetur. Itaque ii, qui tenent eam esse peculiarem habitum ab omnibus aliis habitibus realiter distinctum, cuius obiectum unicum et adaequatum sint peccata ab ipso poenitente commissa, Christo virtutem poenitentiae adscribere non possunt. Qui autem censent virtutem poenitentiae ad propria peccata commissa ex se non coarctari, sed etiam includere odium cuiusvis peccati propter vitandam Dei iniuriam conceptum, propositum divinae iniuriae vitandae propter eius turpitudinem, voluntatem recompensandi Dei offensam a quocunque illatam, ii negare non possunt Christum virtutem poenitentiae habuisse, idque eo minus, si tenent hanc a virtute religionis non esse realiter distinctam.

II. Christo iuxta Is. 11, 1-3 et doctrinam omnium theologorum data sunt *dona Spiritus Sancti*, quae in eo, sicut in omnibus iustis, fuerunt perfectiones atque complementa infusarum virtutum. Cf. tom. 2, pag. 145-149.

Legitur Is. 11, 1-3: *Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Hoc loco sermonem esse de Christo probatur:

1. *Ex testimoniis externis. a) S. Paulus* in epistola ad Romanos aliqua ex verbis citatis et nonnulla iis succedentia de Christo interpretatur.

Rom. 15, 8-12: *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis* (i. e. circumcisorum i. e. Iudaeorum) *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum .. sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine... Et rursus Isaias ait: Erit radix Iesse, et qui exsurget regere gentes: in eum gentes sperabunt* (Is. 11, 10. allegat. iuxta versionem Septuag.,

cum Vulgata habeat: In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, textus autem hebraicus sic reddatur: Erit in die illa radix Iesse, quae stat in signum populorum, ipsam gentes inquirent.

b) Ss. Patres, interpretes catholici omnes et plerique ex protestantibus textum illum de Christo interpretantur.

c) Etiam *antiqui Iudaei* verba illa de Messia intellexerunt, ut constat ex testimoniis s. Hieronymi et rabbinorum: Iarchi, Abarbanel, Kimchi, quos in medium attulit *Reinke* (ad hunc locum).

d) Paraphrasis chaldaica habet: Et egredietur rex de filiis Iesse et *Messias* de filiis filiorum eius excrescet.

2. *Ex criteriis internis. a) Ex contextu.* Aperte constat prophetam hic de eodem loqui, de quo iam 9, 6 sermonem instituerat, et regnum eius ibi (9, 6) adumbratum hic (11, 1 sqq.) uberius describi. Sed 9, 6 de Messia sermonem institui satis constat.

Is. 9, 6: *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius: Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis.*

b) Ex proprietatibus et effectibus flori illi eiusque regno adscriptis.

Is. 11, 4: *Percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium* (Cf. 2. Thess. 2, 8). — 6: *Habitabit lupus cum agno* etc. — 9: *Repleta est terra scientia Domini* etc.; quae certe non possunt intelligi nisi de Messia eiusque regno.

III. In Christo probabilius saltem fuerunt omnes *gratiae gratis datae* seu charismata. Nam: 1. Charismata primario dantur ad procurandam salutem aliorum. Sed Christus praecise ad hanc procurandam in hunc mundum venit.

2. Secundum 1. Cor. 12, 7-10 omnia charismata Christianis dantur, et quidem alia aliis. Sed convenit ea, quae in membris dispersa sunt, in capite esse coadunata.

3. Omnia fere charismata in vita Christi ab evangelistis descripta apparent. Nam *sermo sapientiae*, i. e. facultas tradendi profundiorem cognitionem mysteriorum altissimorum, et *sermo scientiae*, i. e. facultas tradendi, explicandi, demonstrandi eas veritates ad religionem pertinentes, quae ab omnibus sciri debent, a Christo, supremo hominum doctore, certe

est exhibitus. Legitur enim e. g. Luc. 2, 47: *Stupebant autem omnes, qui eum* (puerum duodecim annorum in templo) *audiebant, super prudentia et responsis eius;* et Matth. 7, 28. 29: *Et factum est, cum consummasset Iesus verba haec, admirabantur turbae super doctrinam eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei.* — *Fides* i. e. fides miraculorum, *gratia sanitatum* vel potius sanationum, *operatio virtutum* i. e. aliorum miraculorum, ut multiplicationis panum, resuscitationis mortuorum etc., passim occurrunt in vita Christi. — Item apparent *prophetia*, qua praedixit e. g. suam passionem ac mortem ac resurrectionem (Marc. 10, 33. 34), proditionem Iudae (Matth. 26, 21), negationem Petri (Marc. 14, 30) etc., nec non *discretio spirituum*, de qua e. g. legitur Matth. 22, 18: *Cognita autem Iesus nequitia eorum* (discipulorum Pharisaeorum etc.) *ait: Quid me tentatis, hypocritae?* — *Interpretatio sermonum* occurrit Luc. 24, 27, ubi Christus post resurrectionem suam *incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis* (sc. discipulis euntibus Emmaum) *in omnibus scripturis, quae de ipso erant.* — Sola *genera linguarum* (i. e. facultas variis loquendi linguis) in vita Christi, ut ab evangelistis est descripta, *non* apparent, siquidem ipse, qui de se dixit Matth. 15, 24: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel*, extra Palaestinam non docuit, nec pro modestia sua (2. Cor. 10, 1) scientiam suam vel artes unquam ostentavit.

Thesis IV. **Gratia competit Christo etiam ut capiti corporis sui mystici.**

Explicatur et probatur: 1. Christus homo in sensu morali et mystico caput vocatur ob aliquam similitudinem, quam habet cum humano capite physico.

1. Haec *similitudo* consistit in tribus, quibus caput membra praecellit, sc. *a)* in dignitate et supereminentia; — *b)* in plenitudine perfectionis, cum in capite physico vigeant omnes sensus, in Christo sit omnis gratia; — *c)* in virtute, qua membris aliqua communicat: caput physicum motus, Christus gratias.

2. *Dissimilitudo* autem consistit in his duobus: *a)* Caput physicum in vigore suo a toto reliquo corpore dependet, unde revera est corporis membrum. Sed Christus a corpore suo non dependet, unde nec eius est membrum. — *b)* Caput physicum

solummodo movere potest membra sibi unita; Christus etiam sibi unienda.

Nota. Etiam cor habet influxum quendam in alia membra. Verumtamen ipsum est occultum, neque super membra eminet Quapropter ipsi apte comparatur Spiritus Sanctus, qui membra corporis Christi mystici invisibiliter vivificat et unit.

II. Christus *diversimode* est caput respectu diversorum hominum. Aliorum caput est actu, aliorum potentia.

1. Ut actu sit caput membrorum, requiritur, ut in haec infundat aliquid supernaturale permanens et vitale, quo ut vinculo tam ipsi capiti quam aliis membris uniantur. Requiri iam satis intelligitur ex analogia. Proinde Christus actu non est caput eorum, quibus solummodo communicat gratias actuales, quia hae non sunt aliquid permanens. Neque eorum caput est actu, qui tantummodo possident characterem sacramentalem, quia hic non est aliquid vitale.

2. Ut potentia sit caput aliquorum, requiritur, ut in eos illud supernaturale permanens et vitale secundum legem Dei ordinariam infundere possit.

III. Actu Christus membrorum suorum caput est aut perfecte aut imperfecte. Perfecte est, si in ea infundit gratiam sanctificantem atque habitum caritatis; imperfecte, si in ea tantummodo infundit habitum fidei aut etiam habitum spei. Haec membra Christi imperfecta comparari possunt cum membris corporis physici, quae servarunt quidem vitam vegetativam, amiserunt autem vitam sensitivam.

IV. Has regulas ad particularia applicando haec sequuntur: Christus:

1. *Actu* est caput: *a) perfecte* beatorum, animarum purgatorii, viatorum iustorum i. e. gratia sanctificante ornatorum; — *b) imperfecte* viatorum fidelium peccato mortali inquinatorum.

2. *Potentia* est caput ceterorum viatorum, sc. infidelium et haereticorum formalium.

3. Neque actu neque potentia est caput damnatorum i. e. in statu peccati mortalis sive actualis sive originalis mortuorum.

V. Illud supernaturale vitale et permanens, quod Christus ut caput in membra sua infundit, vocatur anima Ecclesiae.

Haec igitur Ecclesiae anima perfecte accepta est gratia sanctificans atque habitus caritatis; imperfecte accepta est habitus fidei et spei. Ex quo intelligitur animam Ecclesiae et corpus Ecclesiae quantum ad extensionem non coincidere, cum aliqui pertineant ad corpus Ecclesiae, qui nullatenus pertinent ad eius animam (e. g. haeretici formales occulti), et rursus aliqui pertineant imperfecte saltem ad animam Ecclesiae, qui non pertinent ad eius corpus (e. g. haeretici publici materiales).

VI. Christum hominem esse caput Ecclesiae expresse docetur a s. Paulo Eph. 1, 20-23: (Deus) *suscitans illum* (Christum) *a mortuis et constituens ad dexteram suam in coelestibus supra omnem principatum et potestatem... et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.*

VII. Cum certum sit Christum esse caput protoparentum post eorum lapsum, quia est auctor omnis gratiae post eundem lapsum ullis hominibus datae vel dandae, controversum est, utrum etiam *ante lapsum* fuerit illorum caput. Ab iis negatur, qui docent non esse, ut incarnatio Verbi fieret, divinitus decretum nisi post praevisum Adae peccatum (a Thomistis); ab iis affirmatur, qui censent iam ante praevisum Adae peccatum a Deo decretum esse, ut Verbi incarnatio fieret (a Scotistis et Suarez).

VIII. Aliquo saltem modo Christus homo etiam est caput *angelorum* bonorum. Legitur enim de eo Col. 2, 10: *Qui est caput omnis principatus et potestatis.* Immediate autem ante scriptum est: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, unde patet ibi sermonem esse de Christo ut homine.

1. Secundum omnes theologos Christus angelorum caput est *a)* ratione dignitatis atque supereminentiae, et eius quidem cum auctoritate coniunctae, cum sit eorum rex et princeps; — *b)* ratione maioris perfectionis gratiae; — *c)* ratione virtutis, qua iis communicat gloriam accidentalem: in quantum est causa magnae laetitiae, quam percipiunt ex eo, quod per ipsum tot homines salvantur etc.

2. Utrum Christus homo sit causa angelorum gloriae etiam essentialis et consequenter gratiae, quae gloriae est semen, incertum est et controversum Thomistis id negantibus, Scotistis et Suarez affirmantibus.

ARTICULUS IV.

DE HUMANITATIS CHRISTI IMPECCANTIA ET LIBERTATE.

§ I. *De impeccantia naturae Christi humanae.*

THESIS. **Humana Christi natura ab omni peccato, tam actuali quam originali, semper fuit immunis.**

De fide ex Conc. Ephes. (can. 10.) et Florent. (in decr. pro Iacobitis).

Ephes. can. 10: Qui dicit, quod pro se obtulisset (Christus) semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis (non enim eguit oblatione, qui *peccatum omnino nescivit*), a. s. (D. 82).

Florent.: Firmiter credit, profitetur et docet (sacrosancta Romana Ecclesia) neminem unquam ex viro feminaque conceptum a diaboli dominatione fuisse liberatum nisi per meritum mediatoris Dei et hominum Iesu Christi Domini nostri, qui *sine peccato conceptus, natus et mortuus* humani generis hostem peccata nostra delendo solus sua morte prostravit (D. 602).

Probatur: I. E Scriptura. 1. Testimonio ipsius Christi. Io. 8, 29: *Ego, quae placita sunt ei* (Patri), *facio semper.* — Io 8, 46: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* — Io 14, 30: *Venit... princeps mundi huius, et in me non habet quidquam.*

2. Testimoniis Apostolorum, et quidem ss. Pauli et Petri et Ioannis, qui scribit 1. Io. 3, 5: *Et peccatum in eo non est.*

2. Cor. 5, 21: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* — Hebr. 4, 15: *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* — Hebr. 7, 26: *Talis enim decebat ut nobis esse pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus.* — 1. Petr. 2, 22: *Qui* (Christus) *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.*

II. Ratione theologica quoad peccatum originale. Peccato originali praeter alia obstat conceptio Christi facta de Spiritu Sancto.

THESIS II. **Humana Christi natura etiam a fomite peccati penitus immunis fuit.**

De fide ex Conc. Constantinop. II. can. 12.

Ibi dicitur: Si quis defendit Theodorum impiissimum Mopsvestenum, qui dixit alium esse Deum Verbum et alium Christum a passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum.., a. s. (D. 183).

Probatur I. E Traditione. *S. Augustinus* dicit: [1] « Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupiisse, a. s. ».

II. Rationibus theologicis, desumptis: 1. *Ex Christi immunitate peccati originalis.* Fomes peccati est sequela et poena peccati originalis; sed huius Christus omnino fuit immunis; ergo etiam illius.

2. *Ex Christi plenitudine gratiae et virtutum.* Cum fomes in sanctis per gratiam et virtutes soleat minui, plane abfuerit oportet ab eo, qui gratiae omniumque virtutum fuit plenus.

3. *Ex Christi dignitate.* Fomes est inordinatio naturae et impedit facilitatem in obsequendo voluntati divinae; unde Dei Filium hominumque redemptorem prorsus dedecuit.

Conclusio. Christus igitur ad peccandum non potuit tentari nisi suggestione mere externa.

THESIS III. **Humana Christi natura ratione unionis hypostaticae absolute impeccabilis est.**

Nunc *communiter* tenetur.

Explicatur: Unio hypostatica est ratio impeccantiae Christi. Verumtamen: 1. Non est ratio impeccantiae physica. Nam humana Christi natura physice talis est, qualis esset, si a Verbo assumpta non fuisset. Sed naturae humanae utpote creaturae rationali ac liberae essentiale est habere physicam potentiam peccandi. Quae quidem potentia nullatenus est malitia moralis. Nam alioquin omnis creatura rationalis ac libera essentialiter esset moraliter mala.

2. Utique est ratio impeccantiae *moralis*, et ea quidem, quae cum absoluta necessitate postulat, ut a natura Verbo hypostatice unita peccatum penitus excludatur. Si enim Deus naturam creatam rationalem ac liberam assumit, eo ipso sibi debet providere ac praecavere, ne eius potentia peccandi transeat in actum; idque non providere Deo absolute ac metaphysice est impossibile.

Reapse Deus id praecavet per dona supernaturalia humanitati Christi collata, imprimis per visionem beatificam, quae ab omnibus fere praeter Scotistas habetur ratio impeccantiae Christi physica.

Probatur rationibus theologicis. 1. Si natura Christi humana peccaret, persona divina peccaret, quia actiones sunt suppositorum.

[1] Op. imperf. contra Iulianum, l. 4, c. 47.

Confirmatur: Verbum naturam humanam ita sibi propriam habet, ut vere per eam agat, cum, ni ita esset, seu si humana natura ageret, Verbum autem per eam non ageret, iam haberetur alius et alius, seu iam haberentur duo supposita. Ergo, si natura humana peccaret, necessario etiam Verbum peccaret: Verbum ut principium quod, humana natura ut principium quo.

2. Si voluntas Christi humana peccatum committeret, hoc peccatum redundaret in voluntatem divinam. Nam ex una parte humana Christi natura personae divinae est propria, et consequenter ab ea perfecte dependet. Ergo etiam humana Christi voluntas a voluntate eius divina utpote a divina persona realiter indistincta perfecte dependet. Ex altera parte voluntatis superioris est voluntatem inferiorem a se dependentem ita gubernare, ut eam ab omni inhonestate contineat. Ergo, si voluntas Christi divina voluntatem humanam sibi plene subditam non ita gubernaret, ut eam ab omni inhonestate contineret, haec in ipsam voluntatem divinam redundaret.

Illustratur exemplo: In homine sunt duo appetitus: superior et inferior. Superioris est inferiorem moderari. Unde, si in appetitu inferiore est defectus moralis, qui ab appetitu superiore poterat praeveniri, ille defectus huic appetitui merito imputatur.

§ II. *De libertate voluntatis Christi humanae eiusque cum impeccantia conciliatione.*

THESIS. **Humana Christi voluntas habuit libertatem indifferentiae.**

Probatur: I. E Scriptura, in qua exprimitur Christum generatim habuisse eam libertatem humanam, quae requiratur, ut opus sit laudabile ac meritorium, et speciatim habuisse eandem libertatem etiam in subeunda morte.

Philipp. 2, 8. 9: *Humiliavit semetipsum* (Christus Iesus) *factus obediens usque ad mortem* (utrumque, ut patet, voluntate humana). **Propter quod** *et Deus exaltavit illum.*

Io. 10, 17. 18 Iesus dixit Iudaeis: *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam... Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Sed sola voluntas, quae gaudet libertate indifferentiae, mandati capax est.

II. Ratione theologica. Christus vere *meruit*, ut docet Conc. Trid. sess. 5, 3 (D. 672) et sess. 6, cap. 7 (D. 681). Atqui

meritum sine libertate indifferentiae esse nequit. Ergo Christus hanc habuit.

Sententiae theologorum de concilianda Christi libertate cum eius impeccantia imprimis in subeunda morte.

Nota. Libertas, de qua hic agitur, non est libertas mere physica, qua homo eligere potest inter varia obiecta sub ratione boni utilis vel delectabilis, quam per impeccantiam non impediri manifestum est; sed est libertas moralis, qua homo libere eligit obiectum sub ratione honesti, et qua potest mereri.

Sunt septendecim sententiae, quarum celebriores sunt sex sequentes:

I. Tres sententiae, iuxta quas Christo homini impositum est *rectum atque absolutum praeceptum* moriendi et quidem ita moriendi, ut reapse mortuus est.

1. *Sententia Thomistarum.* Christus non potuit quidem nolle mortem potentia consequente divinum praeceptum moriendi seu in sensu composito (i. e. stante praecepto moriendi); potuit tamen nolle mortem potentia antecedente divinum praeceptum moriendi seu *in sensu diviso* (i. e. ut ipsi Thomistae dicunt, facta praecisione a praecepto moriendi, seu, ut alii dicunt, nisi praeceptum divinum adesset).

Quod quidem Thomistis ad libertatem servandam videtur sufficere, cum praeceptum sit aliquid voluntati mere externum, eamque intrinsecus nullatenus immutet.

2. *Sententia Scotistarum.* Christus, sicut quivis beatus, ratione beatitudinis non habuit quidem indifferentiam moralem circa praeceptum divinum; habuit tamen una cum beatitudine circa idem praeceptum *indifferentiam physicam.* Seu: Christus, cum fuerit comprehensor, non habuit quidem potentiam peccandi moralem; habuit tamen potentiam peccandi physicam. Quia potentiam moralem peccandi non habuit, fuit impeccabilis. Quia potentiam physicam peccandi habuit, fuit liber.

Cuius rei haec ab Henno affertur ratio:[1] « Licet obiectum beatitudinis sit infinite bonum, nullam tamen (utpote extrinsecum) ponit in beato qualitatem ipsum ad unum determinantem; et ideo possunt beati physice loquendo cessare a visione beatifica et peccare ».

[1] Tom. 2, tract. de incarn. disp. 11, q. 4, concl. 3.

3. *Sententia a Pesch prolata*[1]: *a)* Christus non solum comprehensor fuit, sed etiam viator. Ergo habuit quoque viatoris cognitionem, et consequenter volitionem huic cognitioni respondentem. — Per viatoris cognitionem obedientiam Deo debitam ut bonum quidem percepit, tamen non ut bonum purum i. e. non ut bonum, cui nullum malum sit admixtum. Ergo circa obedientiam illam sub hac ratione spectatam fuit indifferens.

b) Christus habuit quoque visionem beatificam, et per hanc fuit impeccabilis. Sed haec visio beatifica actus Christi viatoris non afficiebat intrinsecus, sed tantummodo extrinsecus, seu per redundantiam in eos influebat. Ergo eadem visio beatifica divinitus ita temperari poterat, ut non obtineret effectum suum *totum*, qui est: omnem actum beatitudini oppositum excludere. Illud fieri potuisse patet ex eo, quod anima Christi non obstante beatitudine tristari potuit et pavere.

c) Itaque visio beatifica eo modo temperata pro humana Christi voluntate habuit rationem gratiae efficacis, qua voluntas illa ita dirigebatur et adiuvabatur, ut praeceptum moriendi impleret infallibiliter simul et libere.

II. Tres sententiae, quibus praeceptum moriendi Christo homini impositum quoad aliquid eius *extenuatur*, et quidem:

1. *Quoad eius naturam.* Christo homini antecedenter ad liberam ipsius acceptationem non est impositum praeceptum moriendi proprie dictum; sed tantummodo propositum est divinum *beneplacitum* (Ratschluss). Quod quidem beneplacitum ad liberam Christi acceptationem transiit in (verum) praeceptum seu mandatum.

Itaque in ordine intentionis Deus voluit Christum mori: ante praevisam acceptationem Christi liberam voluntate antecedente et conditionata; post praevisam acceptationem Christi liberam voluntate consequente et absoluta.

Hanc sententiam tenent *Franzelin* et multi recentiores.

2. *Quoad eius firmitatem.* Christus homo iam a primo quidem accepit praeceptum moriendi proprie dictum, ita tamen, ut, si voluisset, a Deo potuisset impetrare, ut hoc praeceptum *tolleretur*. Ab hoc autem impetrando libere abstinuit.

Hanc sententiam amplectitur *de Lugo*.

[1] Tom. 4, n. 317-335; imprimis n. 334.

3. *Quoad eius obiectum.* Christus homo circa mortis substantiam quidem verum accepit praeceptum, non tamen circa mortis *circumstantias* sive externas sive internas. Unde liber fuit quoad mortis genus et locum et tempus, quoad intensionem actuum, quos elicuit, etc.

Hanc sententiam defendit *Vasquez.*

ARTICULUS V.

DE HUMANITATIS CHRISTI POTENTIA.

THESIS. **Humanitati Christi aliqua causalitas competit respectu effectuum supernaturalium, praecipue respectu collationis gratiarum et patrationis miraculorum.**

Est *sententia communis.*

Probatur: I. Cum aliqua probabilitate e Scriptura. Matth. 9, 4-6: *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum* (quorundam de scribis) *dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua; an dicere: Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam.* Ex quibus verbis hoc solet concludi: Christus sibi ut (?) Filio hominis i. e. secundum naturam humanam attribuit potestatem dimittendi peccata et ad hoc probandum patrat illud miraculum. — At potest ibi esse communicatio idiomatum, unde argumentum apodicticum nequaquam habetur, sicut nec habetur in aliis textibus, e. g. Luc. 6, 19: *Et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes.* Luc. 8, 43-48.

II. Ratione congrua. Causalitatem illam dignitas Christi omnino videtur postulare. Quod enim Deus aliis multis hominibus concessit, id humanitati secum hypostatice unitae negare non debuit.

Explicatur: I. Humanitas Christi certe et secundum omnes:

1. Non est causa *physica principalis* ullius gratiae et miraculi. Nam haec causa non est nisi Deus.

2. *Neque* est causa *physica instrumentalis* earum gratiarum, quae *ante* incarnationem datae sunt, eorumve miracu-

lorum, quae ante eam sunt facta. Ratio est, quia physica operatio necessario supponit physicam exsistentiam.

3. *Est* causa *moralis* omnium gratiarum, quia eas omnes meruit, et speciali modo eorum miraculorum, quae Christus a Patre impetravit (Jo. 11, 41. 42). vel in quibus aliquid operabatur sive loquendo (Matth. 8, 13), sive tangendo (Matth. 20, 34), sive alio modo.

Jo. 11, 41. 42: *Tulerunt ergo lapidem* (de monumento Lazari); *Jesus autem elevatis sursum oculis dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis; sed propter populum, qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu me misisti.* — Matth. 8, 13: *Et dixit Jesus centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer* (paralyticus *in illa hora.* — Matth. 20, 34: *Misertus autem eorum* (duorum caecorum) *Jesus tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt et secuti sunt eum.* — Matth. 8, 3.

II. *Controversum* est, utrum humanitas Christi sit causa *instrumentalis physica* earum gratiarum, quae *post* incarnationem dantur, eorumque miraculorum, quae post eam fiunt.

Id *negatur* ab Alexandro Halensi, s. Bonaventura, Scoto, Alberto M., Melchiore Cano etc.; *affirmatur simpliciter* a schola Thomistica et Suarez; *secundum quid* a Vega, sc. quoad ea, quae data vel facta sunt immediate a Christo in terra degente.

Cum causalitas illa physica humanitatis Christi et sit difficilis intellectu nec sit ullo modo certa, hic breviter tantum et obiective proponitur, quomodo ab eius fautoribus explicatur et demonstratur:

1. *Quantum ad modum*, quo ipsi competat. Humanitas Christi causa physica instrumentalis fieri videtur: *a) Capreolo* per qualitatem permanentem humanitati Christi superadditam; — *b) de Medina* per motionem transeuntem, qua ut instrumentum coniunctum a Deo moveatur; — *c) Suarez* per potentiam obedientialem activam (in eo consistentem, quod quaelibet creatura opera supernaturalia efficere possit, dummodo Deus praestet concursum effectui respondentem); — *d) Cajetano* per id, quod per ipsam divinum imperium intimetur.

2. *Quantum ad possibilitatem.* Fieri posse, ut causalitas illa humanitati Christi communicetur, ex eo probari tentatur, quod gratia non creetur (creationem enim mediante causa physica instrumentali fieri posse communiter negatur), sed educatur

e potentia obedientiali animae, et ex eo, quod conditiones ad rationem instrumenti naturalis requisitae in instrumento supernaturali seu divino non univoce sed tantummodo analogice valeant. Quod sic exponitur:

a) Quia nihil agit in distans, necesse est instrumentum naturale realiter *contingere obiectum*, in quod agit. Sed id instrumento supernaturali seu divino necessarium non est; econtra hoc virtutem seu causalitatem suam ibi potest exercere, ubi ipsum non est. Idem etiam sic exprimitur: Instrumentum naturale realiter contingere debet obiectum, in quod agit, contactu ipsius suppositi seu rei; instrumentum supernaturale tantummodo contactu virtutis seu causalitatis.

Ratio discriminis est, quia ex una parte virtus divina non debet, sicut virtus creata, per instrumentum in obiectum deferri, cum huic iam intime sit praesens, et ex altera parte divina virtus propinquitatem agentis ad patiens alias requisitam potest supplere.

b) Instrumentum naturale habet aliquam *actionem sibi propriam*, qua dispositive agit in ordine ad producendum effectum causae principalis. Secus enim non esset causa, sed merum vehiculum. Et ita quidem necessario agit ex parte rei operatae; i. e. ipsi iuxta leges physicas proprium est ex se in obiecto aliquid producere. Sic calami atramento imbuti proprium est eodem atramento inficere chartam, quam satis contingit. Neque calamus hanc proprietatem habet ab homine ipsum adhibente. Econtra, si calamus hanc proprietatem non haberet, homo eum ad scribendum adhibere non posset.

Instrumento autem supernaturali non est necessarium habere actionem sibi propriam, qua dispositive agat in ordine ad producendum effectum causae principalis ex parte rei operatae; seu ipsi non est necessarium ex se in patiente aliquid posse producere; ei satis est, quod eiusmodi actionem habeat ex parte modi operandi. Et eam quidem humanitas Christi habet, si ponit aliquem actum sibi proprium, quo, ut dicit Gonet, capax fit ad recipiendam motionem causae principalis, per quam effectum huius causae possit attingere, vel quo, ut dicit Billuart, virtus causae principalis in ipsa (humanitate) recepta modificatur. Humana Christi voluntas e. g. voluit (obsequens, ut patet, voluntati divinae) dare gratiam vel patrare miraculum, et ita

virtutem divinam applicavit. Manus Christi tetigit infirmum; per hoc virtus divina manui insidens infirmo ad eum sanandum applicata est.

Ratio illius discriminis est, quia creaturae instrumentis utuntur ex indigentia, unde ea tantum possunt adhibere, quae in obiecto aliquid producunt, quod ad effectum causae principalis producendum disponat. Sed Deus instrumentis haudquaquam ex indigentia utitur, unde etiam ea adhibere potest, quae in obiecto illud non producunt.

c) Instrumentum naturale a causa principali recipit *virtutem participatam*, qua redditur potens ad producendum effectum causae principalis. Si enim hanc non reciperet, non esset instrumentum. Sic calamus atramento imbutus ab homine, a quo adhibetur, recipit virtutem participatam, qua potest formare litteras.

Sed virtus, quam humanitas Christi recipit ad dandas gratias et patranda miracula, est spiritualis; et ea recipitur in tota humanitate, ergo etiam in carne. Sed quomodo virtus spiritualis recipi potest in carne? Multi censent id hoc modo explicari posse: Virtus illa spiritualis non est completa et permanens, sed incompleta et transiens. Sed haec, quia formaliter est aliquid viale, tendens ad aliud, non debet esse proportionata subiecto, in quo recipitur, sed illi alii, ad quod tendit.

3. *Quantum ad convenientiam.* Causalitas illa physica convenit Christo homini, si hic spectatur:

a) In se. Ipsi enim concedendum est, quidquid est perfectius, modo neque in se neque fini incarnationis repugnet.

b) In relatione ad nos. Christus enim homo est:

α) *Caput nostrum* (Eph. 1, 20; 4, 15). Sed, ut hoc sit modo perfecto, non solum *pro* nobis operari debet, gratiam nobis merendo; sed etiam *in* nobis debet operari, ex propria plenitudine gratiam nobis ut suis membris infundendo.

β) *Norissimus Adam coelestis* (1. Cor. 15, 45. 47). Atqui homines a primo Ada terrestri naturam recipiunt ut a principio physico. Ergo etiam a novissimo Ada coelesti ut a principio physico gratiam recipiunt.

γ) *Vitis* (Io. 15, 5), eaque iuxta doctrinam Conc. Trid. (sess. 6, cap. 16.) non solum merendo, sed etiam infundendo.

Dicit enim Trid.: Cum enim ille ipse Christus Iesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat etc.

Praeterea probandi causa afferri solent e *Scriptura* Luc. 6, 19 et 8, 46: *Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse;* e *Traditione* Conc. Ephes., quod dicit can. 11: Si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse... quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, a. s. (D. 83); et nonnulli ss. Patrum, qui similitudinem calculi igniti (Is. 6, 6. 7) ad Christum applicant dicentes Christum ut Deum esse ignem, ut hominem calculum ignitum, in quo ignis habitet et ex quo virtus ignis in totum genus humanum se diffundat.

Is. 6, 6. 7: *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua; et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.*

Secundum hanc igitur sententiam humanitas Christi facta est organum virtutis divinae, quae quidem virtus primario in illam ut fontem se effundit illamque replet et secundario tantum ex illa in alios se diffundit.

CAPUT VI.

De Incarnationis Possibilitate, Necessitate, Convenientia, Fine.

ARTICULUS I.

DE INCARNATIONIS POSSIBILITATE.

Incarnationem potuisse fieri:

I. *Generatim* probatur ex concordia fidei et rationis. Lumen rationis enim cum lumine fidei pugnare non potest, quia utrumque est a Deo (Later. V. — D. 621).

II. *Specialim* probatur negative tantum, i. e. ostendendo incarnationem rationi non adversari seu solvendo difficultates, quae ex parte rationis contra eam moventur.

Positive enim possibilitas Incarnationis ratione demonstrari non potest, quia est mysterium stricte dictum (1. Tim. 3, 16).

Praecipuae autem difficultates sunt sequentes:

1. Qui fieri potest, ut persona divina naturam creatam in se suscipiat et sustentet? Resp. Id non esse impossibile colligitur:

a) Ex infinita perfectione Dei. Deus enim infinite perfectus est sub *omni* respectu, ideoque etiam in ratione subsistentiae; ergo haec etiam extendi potest ad naturam alienam.

Confirmatur. Similiter Dei voluntas uno eodemque actu, quo se ipsum vult, etiam vult alia.

b) Ex absoluto dominio Dei. Quo perfectius enim dominium in aliquid est, eo intimius hoc dominus sibi potest appropriare.

c) Ex incomprehensibilitate divinae hypostasis. Quid haec sit, conceptu proprio non cognoscimus. Unde etiam ignoramus, quid ipsa qua talis valeat.

2. Quomodo una persona divina naturam humanam in se suscipere potest, quin divina natura et consequenter duae aliae personae eam in se suscipiant? Resp. Cum hypostasis divina a natura divina virtualiter saltem sit distincta, eius hypostatica virtus sic extendi potest ad extra, ut divina natura qua natura ad extra non extendatur.

Confirmatur. Sicut Verbum divinum generatum est, natura divina generata non est, ita Verbum naturam humanam in se suscepit, natura divina eam in se non suscepit.

Nota. Utique mediante hypostasi etiam natura divina cum natura humana est *coniuncta;* quatenus sc is, qui a natura divina realiter indistinctus est, naturam humanam possidet.

3. Quomodo Verbum naturam humanam in se suscipere potest, quin per hoc mutetur? Resp. Verbum naturam humanam in se suscipiendo positiva perfectione nec ditatur nec privatur, unde nec proprie seu interne mutatur. Verbum per illud positiva perfectione non ditari patet ex eo, quod Deus omnes perfectiones, quae in creaturis reperiuntur, eminenter possidet. Verbum per illud perfectione non privari per se patet et infra una cum aliis expositum est verbis s. Bonaventurae.

Admittenda tamen est mutatio nominalis et etiam virtualis, qua Verbum humanam naturam assumens ob infinitam suam perfectionem sine sui mutatione id praestat, quod ab agente finito sine sui mutatione praestari non potest.

Dicit Doctor Seraphicus[1]: « Divinam autem naturam uniri humanae in unitatem personae non est aliud, quam divinam personam, quae ab aeterno fuit hypostasis respectu divinae, esse hypostasim respectu humanae naturae in tempore; hoc autem non dicit aliquam imperfectionem, sed potius dignitatem et nobilitatem.

Sicut enim, cum Deus sit *bonus* ab aeterno, in nullo fit derogatio bonitati suae, dum est causa bonitatis creatae in tempore, quamvis bonitas creata longe sit inferior bonitate increata; sic, cum persona Filii Dei sit hypostasis intellectualis et spiritualis et increata ab aeterno, in nullo derogat ei, si sit hypostasis rationalis naturae creatae in tempore. — Et quemadmodum Deus de non creante fit *creans* in actu absque ulla sui mutatione vel innovatione, sed solum facta immutatione ex parte naturae creatae: sic persona Filii Dei, quae non erat hypostasis humanae naturae in actu, habet esse eius hypostasis absque aliqua sui mutatione vel innovatione, sola facta mutatione ex parte naturae assumptae. — Et quemadmodum Deus, cum *est in creatura* per essentiam, praesentiam et potentiam, in nullo dependet ab ipsa, sed potius dependet creatura ab ipso, tamquam a causa conservante et sustentante, sic et Deus, cum est in creatura rationali per unionem, non dependet ex ipsa, sed potius e converso rationalis natura dependet ex hypostasi divina et habet substantificari in illa, sicut natura substantificatur in persona...

Ad illud quod obiicitur, quod omne unibile non unitum est ad complementum unionis possibile (et consequenter imperfectum seu in potentia ad ulteriorem perfectionem), dicendum, quod illud verum est de illo unibili, quod habet perduci ad actum unionis per aliquid acquisitum in ipso: de illo autem, quod est *unibile solum per aliquid acquisitum in altero,* non habet veritatem: et hoc modo est unibilis divina natura humanae naturae per mutationem factam in creatura. Et ideo ex hoc non sequitur, quod aliqua sit possibilitas imperfectionis vel mutationis ex parte divinae naturae, sed solum ex parte naturae creatae.

Et ratio huius est, quia unio dicit relationem; relatio introduci habet in esse per mutationem factam in uno extremo, altero omnino immobili remanente... Et potest... huius simile inveniri in unione radii et crystalli. Si enim crystallus superinducatur radio iam domum illuminanti, crystallus illuminari dicitur et a radio pertransiri et ei copulari absque mutatione facta ex parte radii, sed solum ex parte crystalli. Sic suo modo, sed longe spiritualius, intelligendum est in natura assumpta et persona Verbi ».

Ad obiectionem in hac re praecipuam, quod Verbum nunc est aliquid, quod prius non erat, sc. homo, ac proinde nunc aliter se habet, sic respondet *Alexander Halensis*[2]: « Dicendum, quod aliquid dicitur aliter se habens quam prius (vel per se vel) propter mutationem in altero, quod se habet modo ad ipsum aliter quam prius, sicut sol dicitur illuminans ab actione,

[1] Tom. 3, pag. 9-11.

[2] Summa 3, q. 7, memb. 3, a. 1.

quam habet in aërem, quod non prius; et tamen non mutatur in se, sed aër nunc se habet aliter ad ipsum quam prius, sol autem de se habet eodem modo. Sic dico, quod Verbum non se habet aliter quam prius, sed aliter se habet aliquid ad Verbum, quam prius, sc. humanitas ».

Scholion. Incarnatio quibusdam *analogiis* naturalibus potest illustrari; praesertim sequentibus:

I. Analogia *compositi humani*. Symb. Athan.: Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.

Similitudines sunt hae: 1. Anima et corpus per se spectata valde inter se distant. — Verbum et natura humana infinite inter se distant. 2. Nihilominus anima et corpus in homine substantialiter sunt unita et constituunt unam personam. — Etiam Verbum et natura humana in Christo ita unita sunt, ut sint una persona. 3. Quamquam anima et corpus in homine substantialiter sunt unita, tamen non sunt permixta, sed integra, ita ut anima maneat anima, corpus maneat corpus. — Nec Verbum cum natura humana in Christo est permixtum; sed tam illud manet integrum quam haec. 4. Vi illius unionis de homine possunt praedicari opposita, e. g. eum esse spiritualem et carnalem, immortalem et mortalem. — Etiam de Christo vi unionis hypostaticae opposita praedicari possunt. 5. Dignitas hominis procedit ab anima. — Dignitas Christi a Verbo procedit.

Sed et sunt *dissimilitudines*, imprimis hae:

1. Anima et corpus constituunt unam naturam. — Verbum et humanitas non sunt una natura. 2. Anima informat corpus. — Verbum humanitatem non informat. 3. Homo neque anima est neque corpus, sed compositum ex utroque. — Christus et Deus est et homo. 4. Ratio hypostasis humanae non sita est in sola anima, sed resultat ex compositione animae et corporis. — Ratio hypostasis Christi sita est in solo Verbo.

II. Analogia *ignis in rubo apparentis*. Exod. 3, 2: *Apparuitque ei* (Moysi) *Dominus in flamma ignis de medio rubi; et videbat, quod rubus arderet et non comburetur*. 1. Rubus vilis et asper significat humanitatem Christi humilem et in statu viae aerumnosam. 2. Ignis rubum non consumens significat deitatem humanitatem non consumentem.

ARTICULUS II.

DE INCARNATIONIS NECESSITATE.

I. Incarnatio necessaria non fuit supposita *creatione* mundi. Hoc tenendum est contra optimistas (Malebranche, Leibniz) et Ruiz aliosque paucos, illis docentibus Deum, si mundum libere velit creari, *metaphysice* necessitari ad faciendum optimum et consequenter ad incarnationem peragendam; his asserentibus Deum eadem conditione ad faciendum optimum et consequenter ad incarnationem peragendam necessitari non quidem metaphysice, tamen *moraliter* i. e. ex naturali sua bonitate.

II. Incarnatio necessaria non fuit supposito *lapsu* generis humani. Nam Deus genus humanum lapsum nullatenus debuit reparare; sed omnes homines potuit damnare, sicut et damnavit omnes peccantes angelos et damnat multos homines (ad poenam damni tantum eos qui solummodo inquinati sunt peccato originali; ad poenam damni et sensus ceteros).

III. Incarnatio absolute necessaria non fuit supposito divino decreto genus humanum lapsum *reparandi*. Nam Deus certe potest iniuriam sibi illatam, si haec retractatur, gratis condonare. Potest quoque postulare satisfactionem inadaequatam et cum hac esse contentus.

IV. Incarnatio necessaria fuit supposito decreto genus humanum lapsum *reparandi* et simul ab eo satisfactionem *condignam* pro peccatis mortalibus postulandi. Hoc extra scholam Scotisticam communiter tenetur. Ratio est, quia peccatum mortale est contemptus Dei ut supremi domini ac finis ultimi. Contemptus autem seu offensa personalis eo maior est, quo maior est dignitas offensi. Sed dignitas Dei tanta est, ut ea maior esse vel cogitari nequeat, seu est infinita. Ergo etiam offensa Dei, quatenus spectatur ex parte offensi (non quatenus spectatur ex parte actus, qui finitus est), tanta est, ut maior esse vel cogitari non possit, seu est infinita (secundum quid). Sed satisfactio personalis eo maior est, quo maior est dignitas satisfacientis. Dignitas autem purae creaturae non potest esse tanta, ut maior esse vel cogitari nequeat, seu non potest esse infinita (ne secundum quid quidem); consequenter nec eius sa-

tisfactio infinita esse potest. Ergo inter peccatum mortale et satisfactionem meae creaturae non est ea proportio, quae ad condigne satisfaciendum pro illo requiritur.

Dictum est supra: supposito decreto satisfactionem condignam postulandi pro peccatis mortalibus. Dubium enim est utrum mera creatura, et ea quidem iusta et gratia actuali adiuta, de condigno satisfacere possit pro peccatis *venialibus*. Aliqui, in his Tournely, id negant; plurimi autem affirmant his allatis rationibus: 1. Peccatum veniale non est contemptus Dei finis ultimi, sed tantummodo segnis seu insufficiens aestimatio eius. Unde nec habet malitiam illam quodammodo infinitam, quae est in peccato mortali. 2. Ex una parte opera supernaturalia creaturae iustae tantum valent, ut mereantur vitam aeternam. Ex altera autem parte peccata venialia eiusdem creaturae tantum non valent, ut eam vita aeterna privent. Ergo opera supernaturalia creaturae iustae etiam peccata venialia videntur posse compensare.

ARTICULUS III.

DE INCARNATIONIS CONVENIENTIA.

Incarnatio conveniens est:

I. *Ex parte perfectionum divinarum*. Per eam enim manifestatur:

1. Divina *potentia*, quia incarnatione infinite distantia intime coniunguntur.

2. Divina *sapientia*, quia incarnatione *a)* perficitur universum ex coniunctione primi intrinsecus Producti cum ultimo extrinsecus producto, sc. Verbi cum natura humana; — *b)* ostenditur harmonia inter divinam iustitiam et misericordiam, quatenus iustitiae satisfit per condignam satisfactionem a Verbo incarnato praestitam, et bonitati per redemptionem generis lapsi ab eodem factam.

3. Divina *bonitas*, quia *a)* incarnatione Deus se ipsum creaturae communicavit secundum esse proprium; — *b)* consequenter ad incarnationem Deus Pater in mortem tradidit Filium amicum ad redimendos servos inimicos.

4. Divina *iustitia*, quia Deus a Verbo incarnato exegit satisfactionem condignam pro peccatis hominum praestandam.

II. *Ex parte personae humanam naturam assumentis.* Quae quidem fuit:

1. *Filius.* Sed conveniens fuit eam praecise personam fieri filium matris in humanitate, quae est Filius Patris in divinitate.

2. *Verbum.* Sed *a)* per Verbum Dei homo et rerum natura sunt facta; unde convenienter per idem Verbum reparantur. — *b)* Per verbum diaboli homo incurrit mortem; convenienter igitur per Verbum Dei recuperat vitam.

3. *Imago Patris* essentialis, unde per eam imago Dei participata, quae peccato est deformata, apte reformatur.

4. *Sapientia et Veritas*, per quam convenienter erigitur ille, qui per insipientiam propriam et mendacium diaboli ceciderat.

III. *Ex parte naturae assumptae.* Natura humana est et spiritualis et materialis, ideoque *microcosmus* quidam. Ex eo igitur, quod haec assumpta est, natura tam spiritualis quam materialis seu totum universum est exaltatum.

IV. *Ex parte generis humani.* Hoc post ac propter protoparentum lapsum nimis inhaeret sensibilibus, neque ad pure spiritualia facile se potest erigere, unde Deum incarnatum ac visibilem facilius diligere et imitari potest, quam invisibilem.

V. *Ex parte temporis* serotini, quo facta est. Conveniebat:

1. *Hominem* ante incarnationem *a)* propriam infirmitatem et totam miseriam, in quam peccando ruerat, longa experientia cognoscere, et *b)* Redemptorem diu exspectare atque ardenter desiderare, ut eum post incarnationem magis aestimaret.

2. *Redemptorem* tam excelsum per longum tempus praenuntiari et praefigurari.

ARTICULUS V.

DE INCARNATIONIS FINE.

Finis ultimus incarnationis est idem, qui est finis ultimus omnium operum divinorum, sc. gloria Dei. Finis eius proximus est redemptio generis humani.

Sed quaestio est, utrum generis humani redemptio ita sit incarnationis finis, ut, si homo non peccasset, haec futura non

fuisset, an contra. Quae quidem quaestio tunc solum certo dissolvi posset, si de hac re, quae unice pendet a libera Dei voluntate, haberetur certa divina revelatio. Qua deficiente tantummodo habentur opiniones.

Prior opinio.

Etsi homo non peccasset, nihilominus incarnatio *futura fuisset,* idque vi eiusdem decreti, quod Deus nunc habet. Aliis verbis: Redemptio generis humani non est ratio incarnationis tam principalis, ut illa sublata incarnatio futura non fuerit.

Nota. Sed tunc Christus non fuisset venturus in carne passioni ac morti obnoxia.

Hanc opinionem amplectuntur *Rupertus Tuitiensis* (Deutz) s. 12. — *Alexander Halensis, Scotus, — b. Albertus M., Catharinus, — Suarez, s. Franciscus Salesius.*

Pro ea afferuntur hae rationes:

I. Incarnatio Verbi est:

1. *Omnium operum* divinorum *excellentissimum.* Sed eiusmodi opus non videtur esse decretum tantummodo occasione peccati.

2. Multo perfectior ac *nobilior,* quam *salus* hominum. Sed perfectius non ordinatur ad minus perfectum.

3. *Magis* conducens ad *gloriam Dei,* quam salus omnium hominum, quia Christus solus Deum magis glorificat, quam omnes homines collective sumpti. Ergo incarnatio non videtur esse decreta propter solam hominum salutem, cum Deus, cuius voluntas necessario est ordinata, prius velit ea media, quae fini sunt propinquiora, quam ea, quae huic remotiora sunt.

II. Christus homo iuxta Tridentinum (sess. 6, cap. 7.) est *causa finalis* iustificationis. Sed finis natura prius intenditur, quam media. Ergo Deus prius decrevit exsistentiam Christi seu incarnationem Verbi, quam iustificationem ideoque etiam redemptionem hominum.

Dicit Trid.: Huius iustificationis causae sunt: finalis quidem gloria Dei *et Christi* ac vita aeterna etc. (D. 681).

III. Incarnatio iam ante lapsum protoparentum *revelata* est: iuxta opinionem probabiliorem angelis, iuxta opinionem probabilem ipsis protoparentibus (cf. pag. 170 et 211. — Gen.

2, 24 coll. Eph. 5, 31. 32); ergo etiam independenter ab eorum lapsu videtur esse decreta.

E Scriptura in medium proferri solent praeter alia 1) Prov. 8, 22-24: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram.* « Quae singula huius oraculi verba », dicit Frassen[1], « nostram sententiam mirum in modum confirmant. Siquidem illa verba de Sapientia *incarnata*, nempe Christo Domino, exponunt ss. Patres... (citantur septem). Favet etiam versio Septuag., qui sic hunc locum efferunt: Dominus *creavit* (ἔκτισε) me initio viarum suarum, quae certe de Sapientia increata secundum illius generationem aeternam non possunt intelligi, siquidem secundum illam sui productionem non est factus nec creatus, sed genitus... Favet etiam s. Aug., qui... ait[2]: « Secundum formam *servi* dictum est: Dominus creavit me initio viarum suarum ». Igitur ex illo oraculo constat Verbum *incarnatum* fuisse *initio* viarum Domini, i. e. *operum Dei ad extra;* sed non fuit initium in temporali rerum exsecutione, cum post plurima iam creata fuerit incarnatum; ergo fuit initium in divina *intentione;* et proinde illius exsistentia futura prius fuit decreta, quam decerneretur productio aliarum creaturarum ». — Contra cf. Allioli, nota 16. in h. l. — Loch-Reischl, nota l. in h. l., ubi textus hebr. sic transfertur: Der Herr setzte mich als Erstling seines Weges, vor seinen Werken, vor der Ietztzeit. 2) Col. 1, 15, ubi Christus vocatur *primogenitus omnis creaturae.* Quae quoque verba a multis Patribus de Christo *homine* explicata esse dicuntur, e quibus ita explicatis sic concluditur: Christus homo non est primogenitus omnis creaturae secundum ortum temporalem; ergo secundum aeternam praedestinationem. — Contra cf. pag. 259.

Altera opinio.

Si homo non peccasset, incarnatio vi eius decreti, quod Deus reapse habuit, futura *non* fuisset.

Hanc opinionem ut probabiliorem saltem tenent *s. Thomas omnesque Thomistae, Vasquez, de Lugo* aliique *plurimi*, tam veteres, quam recentiores.

Pro ea affertur haec ratio: De iis, quae ex libera voluntate divina pendent, solummodo iudicandum est secundum ea, quae nobis sunt revelata. Atqui nobis nihil aliud revelatum est nisi Filium Dei hominem factum esse et in hunc mundum venisse, ut genus humanum redimeret.

Nam: 1. In *Scriptura* hoc et hoc quidem solum saepius praedicatur, ut Io. 3, 17, ubi Christus ipse dicit: *Non enim*

[1] Tom. 7, tract. 1, disp. 1, art. 3, sect. 3, q. 1. concl. 2.
[2] De Trin. lib. 1, cap. 12.

misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum. 1. Io. 3, 5: *Et scitis, quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret.* — Luc. 19, 10. Gal. 4, 4. 5 etc. — Sed, si alia est principalis ratio incarnationis ac redemptio generis humani, non intelligitur, cur illius in Scriptura nulla fiat mentio.

Confirmatur. Ex munere redemptoris Verbum incarnatum accepit nomen « *Ieschuah* » (Matth. 1, 21), post captivitatem Babylonicam contractum ex « Ia » et « Hoscheah » = Iahve est salus; quod nomen procul dubio maxime indicat eius proprietatem et adventus ipsius finem.

2. A *ss. Patribus* frequenter diserte docetur unicam incarnationis causam fuisse redemptionem generis humani; Verbum incarnatum non fuisse, si homo non peccasset. Ita Athan., Greg. Naz., Ambr., Aug., Leo M. etc.

Dicit *Athan.*[1]: « Quod autem homo est factus, numquam accidisset, nisi hominum necessitas causam praebuisset ». — *Greg. Naz.*[2]: « Quae humanitatis a Deo propter nos susceptae causa exstitit? Profecto, ut nobis salus pararetur ». Quid enim aliud causae afferri possit? — *Ambr.*[3]: « Quae erat causa incarnationis, nisi ut caro, quae peccaverat, per se (Christum) redimeretur ». — *Aug.*[4]: « Dominum Iesum Christum non aliam ob causam in carne venisse... nisi ut... omnes... salvos faceret, liberaret, redimeret ». — *Leo M.*[5]: « Si homo ad imaginem et similitudinem Dei factus in suae honore naturae mansisset, nec diaboli fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator creatura non fieret ».

3. In *symbolo Nicaeno* recitatur: Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis.

S. Bonaventura pro mente sua pia et modesta haec dicit[6]: « Quis autem horum modorum dicendi verior sit, novit ille, qui pro nobis incarnari dignatus est. Quis etiam horum alteri praeponendus sit, difficile est videre, pro eo quod uterque modus catholicus est et a viris catholicis sustinetur. Uterque etiam modus excitat animam ad devotionem secundum diversas considerationes.

Videtur autem primus modus magis consonare iudicio rationis; secundus tamen, ut apparet, plus consonat pietati fidei: primo, quia *auctoritatibus Sanctorum et sacrae Scripturae magis concordat...*

[1] Orat. 2. contra Arianos, n. 268.
[2] Or. 30, n. 2.
[3] De incarn. c. 6, n. 56.
[4] De peccat. mer. et rem. l. 1, c. 26, n. 39.
[5] Serm. 77; de Pentec. 3, c. 2.
[6] Tom. 3, pag. 24. 25.

Secundo vero praedictus modus magis concordat pietati fidei, quia Deum magis honorificat quam praecedens. Nam praecedens dicit, quod Deum conveniebat incarnari ad perfectionem universitatis: et ideo quodam modo Deum intra perfectionem universi concludit et quandam necessitatem incarnationis ponit ei, cum dicit opera eius aliter ad perfectionem non perduci. Hic autem modus dicendi, cum dicit, quod incarnationis mysterium est supra omnem perfectionem, ponit *Christum esse supra omnem perfectionem universitatis*, sive quantum ad naturam, sive quantum ad gratiam, sive quantum ad gloriam. Et in hoc recte facit...

Tertio modus iste dicendi incarnationis mysterium magis commendat, dum dicit hoc mysterium tantum esse, quod non debuit fieri nisi *ex maxima causa, utpote propter placandam divinam iram* et restauranda *omnia, sive quae in coelis sunt, sive quae in terra* [1]. Et ideo dicunt, quod tantum mysterium non fuisset introductum, nisi praecessisset lapsus nobilissimae creaturae et offensio maiestatis divinae.

Quarto etiam *fidelem affectum magis inflammat*. Plus enim excitat devotionem animae fidelis, quod Deus sit incarnatus ad delenda scelera sua quam propter consummanda opera inchoata.

Quoniam igitur hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus consonat pietati fidei... ideo concedendum est,... quod praecipua ratio incarnationis fuit redemptio generis humani, quamvis multae rationes aliae congruentiae huic rationi sint annexae».

Scholion. Secundum hanc opinionem: 1. Distingui possunt *tria decreta*, quorum primo Deus homines voluit creare et ad statum supernaturalem elevare, altero permisit hominum peccatum, tertio ad genus humanum restaurandum voluit incarnationem fieri.

2. Incarnatio decreta est ad delenda peccata *omnia*; singulari tamen quodam modo ad tollendum peccatum *originale*, quippe quo totum genus humanum infectum et a fine supernaturali aversum sit.

3. Si peccatum originale non esset, sed sola peccata gravia personalia (cf. supra pag. 228 et 229), verisimiliter neque incarnatio fuisset decreta.

[1] Eph. 1, 10.

PARS ALTERA.

DE OPERE REDEMPTORIS.

(Soteriologia).

CAPUT I.

De Muneribus Christi.

Praenotanda.

1. Opus, quod Christus implere debuit, fuit *redemptio* hominum. Hoc opus duo requisivit: ut *pretium* redemptionis solveretur, et ut *applicatio* redemptionis ordinaretur. Ad prius necessarium fuit opus satisfactorium et meritorium, quo Deus homini placaretur et ad restituenda dona peccato perdita moveretur. Ad alterum requiritur, ut animae ad beneficium redemptionis suscipiendum et retinendum praeparentur, quatenus earum intelligentiae doctrina redemptoris illuminentur, et earum voluntates lege redemptoris dirigantur.

2. Itaque ad opus redemptionis complendum tria fuerunt praestanda: solvendum pretium; praedicanda doctrina; condenda lex. Christus ex eo, quod primum praestat, est *sacerdos;* ex eo, quod alterum praestat, est *propheta;* ex eo, quod tertium praestat, est legislator vel *rex.*

3. Haec tria Christi munera continentur uno generali titulo *mediatoris,* quo insignitur a s. Paulo scribente 1. Tim. 2, 5: *Unus enim Deus; unus et mediator Dei et hominum: homo Christus Iesus.*

a) Qui quidem titulus Christo competit, quia medius inter Deum et homines reconciliationis causa agere debet cum Deo et cum hominibus: cum Deo qua sacerdos, cum hominibus qua propheta et rex.

b) Sed non solum secundum operationem mediator est, verum etiam secundum substantiam; in quantum sc. ita stat intermedius inter Deum et genus humanum, ut utriusque extremi naturam in una persona coniungat. Prior mediatio alteram ut fundamentum supponit. Neque enim Deus neque merus homo pro peccato satisfacere potuit; sed solus Deus-homo, qui satisfactionem secundum naturam humanam praestitit, secundum naturam divinam dignificavit.

c) Quia satisfactio a natura Christi humana praestita est, seu quia ex ea ut principio elicitivo processit, Christus mediator est *secundum naturam humanam*, seu ratio formalis mediationis est natura humana ut subsistens in Verbo.

4. Tria praedicta munera innuuntur nomine Messiae seu *Christi* i. e. Uncti, quo quasi nomine proprio Iesus insignitur (Dan. 9, 25. 26. Io. 1, 41; 4, 25), eo quod munera illa in vetere lege per unctionem conferebantur, ut colligitur quoad munus sacerdotale ex Exod. 28, 41 (text. hebr.); 30, 30. Levit. 8, 12; quoad munus propheticum et regium ex 3. Reg. 19, 16; quoad munus regium insuper ex 1. Reg. 10, 1; 16, 13; 3. Reg. 1, 39, ubi Saul et David et Salomon uncti esse traduntur.

Dan. 9, 25. 26: *Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt... Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.* — Io. 1, 41: *Invenit hic* (Andreas) *primum fratrem suum Simonem, et dicit ei: Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus).* — Io. 4, 25: *Dicit ei mulier: Scio, quia Messias venit (qui dicitur Christus).*

Exod. 30, 30: *Aaron et filios eius unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi.* 3. Reg. 19, 16: *Et Iehu, filium Namsi, unges regem super Israel; Eliseum autem, filium Saphat,... unges prophetam pro te* (Elia).

Christus autem non, ut sacerdotes et prophetae et reges veteris testamenti, externa caeremonia unctus est, sed *interna gratia*.

ARTICULUS I.

DE MUNERE CHRISTI SACERDOTALI.

§ I. *De sacerdotii Christi exsistentia et excellentia et functione.*

Thesis I. **Christus secundum naturam humanam est sacerdos proprie dictus.**

Est saltem *fidei proximum* ex Conc. Ephes., quod dicit can. 10: Pontificem (ἀρχιερέα) et Apostolum confessionis nostrae factum esse Christum divina Scriptura commemorat... Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum,... a. s. (D. 82).

Explicatur et probatur: I. Sacerdos (ἱερεύς) proprie dictus est ille, cui legitime mandata est mediatio inter Deum et homines procuranda, maxime per oblationem sacrificii proprie dicti. Offerre eiusmodi sacrificium ita sacerdoti proprium est, ut ipsi soli conveniat, essentialiter conveniat. Quapropter scriptum est Hebr. 5, 1: *Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

II. Christum esse sacerdotem patet ex Scriptura tam veteris quam novi testamenti. Legitur enim Ps. 109, 4: *Iuravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Hunc psalmum ad se referri ipse Christus testatur.

Dixit enim Christus Pharisaeis Matth. 22, 43. 44: *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum* (i. e. Christum, ut apparet ex v. 42.) *Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis etc.*

Hebr. 5, 5: *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu; ego hodie genui te.*

Thesis II. **Sacerdotium Christi est praestantissimum et absolute aeternum.**

Probatur et explicatur: Sacerdotium Christi:

I. Est *praestantissimum*. Nam ipsum longe superat omne aliud sacerdotium tam veteris quam novi testamenti; et quidem sacerdotium veteris testamenti ratione personae offerentis, hostiae oblatae, efficaciae oblationis; sacerdotium novi testamenti imprimis per hoc, quod alii eiusdem testamenti sacerdotes non sunt nisi Christi vicarii, cum in Christo sit potestas sacerdotalis suprema atque independens.

II. Est *absolute aeternum*, idque:

1. *Ratione dignitatis*. Si enim dignitas sacerdotalis in sacerdotibus novae legis secundariis ratione accidentalis characteris semper manebit, a fortiori semper manebit dignitas sa-

cerdotis primarii ratione unionis hypostaticae, qua ad munus sacerdotale est designatus.

2. *Ratione effectuum* semper manentium (Hebr. 5, 9).

3. *Ratione aliquarum functionum* (probabiliter saltem), quae in eo consistunt, quod Christus homo Deo in aeternum gratias aget pro beneficiis generi humano collatis, et quod affectu in aeternum iterabit oblationem olim re factam etc., minime autem ratione functionum omnium aut praecipuarum.

Thesis III. **Christus munere sacerdotali tum potissimum functus est, cum in cruce se ipsum sacrificium obtulit.**

Opponitur Socinianis docentibus Christum se ipsum sacrificium obtulisse in coelo, apparendo coram Patre eique necem a se toleratam offerendo.

Probatur: I. E Scriptura. 1. Ex iis locis, in quibus redemptio adscribitur Christi sanguini, quippe qui in cruce effusus sit, ut Eph. 1, 7: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* — 1. Petr. 1, 18. 19: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi* (ὡς) *agni immaculati Christi et incontaminati.*

2. Ex epistola ad Hebraeos, in qua generatim ex professo docetur unicam Christi mortem esse sacrificium sufficiens ad delenda peccata omnia; in qua speciatim dicitur 9, 27. 28: *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori,... sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata;* et 13, 12: *Propter quod et Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

II. Ratione theologica. In morte Christi omnia insunt, quae requiruntur ad constituendum sacrificium proprie dictum, quod est oblatio rei externae per aliquam destructionem legitime facta ad agnoscendam supremam Dei excellentiam. Nam: 1. Christus qua homo *interfectus est.* 2. Ipse item qua homo, substitutus pro toto genere humano, necem libere acceptavit et Patri *obtulit*, idque non solum interne, sed etiam externe ut minister a Deo constitutus et modo a Deo statuto. 3. Id fecit ad agnoscendam supremam Dei excellentiam, imprimis quatenus haec ab hominibus est offensa, seu id imprimis fecit *ad Deum* ab hominibus offensum *placandum*, idque per hoc, quod honorem eius laesum reparavit.

Neque obstat, quod Christus se ipsum physice non interfecit. Nam non est necesse materialem destructionem fieri ab ipso sacerdote, cum etiam in vetere testamento animalia sacrificanda interdum a laicis interficerentur, ut constat ex Lev. 1, 2. 5.

Ibi legitur: *Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est de bobus et ovibus offerens victimas,... immolabitque* (ipse!) *vitulum coram Domino; et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.*

Christus igitur fuit is, qui offerebatur; is, qui offerebat; is, cui offerebatur. Ut homo fuit is, qui offerebatur seu victima, et is, qui offerebat seu sacerdos; ut Deus fuit is, cui offerebatur.

Scholion I. De aliis functionibus Christi sacerdotalibus.

Christus munere sacerdotali non solum tum functus est, cum in cruce se ipsum sacrificium obtulit, sed etiam munere illo:

1. *In statu exaninationis* functus est *a) generatim*, quatenus toto illius status tempore pro nobis satisfecit et meruit; — *b) speciatim*, quando pro nobis orabat et in ultima coena sacrificium missae instituit et obtulit (Trid. sess. 22, cap. 1).

2. *In statu exaltationis* fungitur et usque ad consummationem saeculi fungetur *a)* per hoc, quod se offert in sacrificio missae, cuius ipse est et hostia et principalis offerens; — *b)* per hoc, quod est principalis minister sacramentorum; — *c)* per hoc, quod pro hominibus orat, idque, ut per se patet, voluntate humana. Haec enim ad ea explenda, quae desiderat, non est efficax per se, sed solummodo per virtutem divinam. Unde contingit, ut desideria sua de nostra salute Patri coelesti exprimat. Ideo s. Paulus de Christo dicit Hebr. 7, 24. 25: *Sempiternum habet sacerdotium... semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Scholion II. De tristitia a Christo tempore passionis habita.

Ut communiter tenetur, tempore passionis in anima Christi ut rationali fuit vera tristitia propter peccata hominum etc. Unde quaestio est: Quomodo haec cum gaudio beatifico, quod ex visione beatifica oritur, esse potuit?

1. *Melchior Canus, Gregorius de Valentia, Salmeron* censent gaudium beatificum tunc temporis fuisse *suspensum*.

2. *Plerique* autem tenent gaudium beatificum tunc in anima Christi fuisse quidem, sed Deum impedivisse, ne eius anima gaudio illo ita abriperetur, ut *simul* non posset habere tristitiam de obiecto, quod ab obiecto gaudii beatifici plane fuerit diversum. Et hoc quidem possibile habetur, quia gaudium beatificum, licet omnem tristitiam expellat connaturaliter, tamen eam non expellit essentialiter; seu quia intrinsecus non repugnat cum gaudio beatifico tristitiam de obiecto diverso esse coniunctam.

§ II. *De Christi sacerdotis satisfactione.*

THESIS I. **Christus pro peccatis hominum Deo satisfecit.**

Est *de fide* contra Socinianos etc.

Dicitur e. g. a *Trid.* sess. 6, cap. 7: Huius iustificationis causae sunt...; meritoria... Dominus Iesus Christus, qui... pro nobis Deo Patri satisfecit.

Explicatur: Christus ut homo et ut caput generis humani huius vice poenas luendo iniuriam peccatis Deo illatam compensavit.

Dicitur: *Deo*, i. e. non soli Patri, ad quem per appropriationem quandam specialiter potest referri, sed toti sanctissimae Trinitati, ergo etiam sibi qua Deo. Unde una persona Christi satisfactionem et praestitit et acceptavit: praestitit voluntate humana, acceptavit voluntate divina.

Probatur: I. E Scriptura. 1. Ex vetere testamento. Is. 53, 5-10: *Ipse* (servus Domini, 52, 13) *autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum* (i. e. ipse tulit poenas, quibus nos pacem cum Deo recuperamus), *et livore eius sanati sumus... Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* (v. 6.)... *Propter scelus populi mei percussi eum* (v. 8.)... *Si posuerit pro peccato animam suam* (hebr.: Si posuerit animam suam hostiam pro peccato), *videbit semen longaevum* (v. 10.).

2. Ex novo testamento. 1. Tim. 2, 5. 6: *Unus enim Deus; unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus,*

qui dedit redemptionem (ἀντίλυτρον = pretium redemptionis) *semetipsum pro omnibus.* — 2. Cor. 5, 2. Gal. 3, 13. Eph. 1, 7. Tit. 2, 14. — 1. Petr. 2, 21-24: *Christus passus est pro nobis... peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* — 1. Io. 2, 2: *Et ipse* (Iesus Christus) *est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

II. E Traditione, et quidem, ut omittamus ss. Patres, quibus id inconfesso fuisse a nullo prudente negatur, e *Conciliis.*

Sic dicit *Ephesinum* can. 10: Obtulit enim (Christus) semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri... Qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis..., a. s. (D. 82). — *Later IV.* cap. 1. (D. 356). — *Florent.* in decreto pro Iacobitis edito (D. 602).

Thesis II. **Satisfactio Christi est intrinsecus in actu primo condigna, superabundans, infinita.**

Explicatur et probatur per partes. I. Satisfactio Christi est 1. *condigna*, i. e. tanta in compensando, quanta sunt peccata omnium hominum in offendendo; 2. *intrinsecus* condigna, i. e. condigna ex se, non ex mera acceptatione divina, ut communiter tenetur contra Nominales; 3. *in actu primo* condigna, quia, ut sit condigna in actu secundo, necessaria est divina acceptatio.

Satisfactionem Christi condignam esse patet ex iis locis Scripturae, quibus passio vel sanguis Christi vocatur pretium, quo genus humanum e servitute peccati sit redemptum. Nam in emptione pretium re empta condignum esse solet. Illud autem dicitur e. g. 1. Cor. 6, 20: *Empti enim estis pretio magno.*

Satisfactionem Christi *intrinsecus* condignam esse colligi potest ex dicendis sub III., eam intrinsecus solummodo *in actu primo* condignam esse patet ex thesi III.

II. Satisfactio Christi est *superabundans*, i. e. omnem iniuriam ab hominibus Deo illatam excedit, idque etiam *intrinsecus.* Sed ideo censenda non est superflua. Nam satisfactio merarum creaturarum condigna esse nequit; satisfactio Dei-hominis necessario est abundans. Unde satisfactio non potest esse condigna, quin simul sit abundans.

Satisfactionem Christi esse superabundantem colligitur ex iis Scripturae textibus, quibus redemptioni Christi maior adscribitur vis ad salvandum, quam peccato ad perdendum, ut Rom. 5, 15: *Non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi* (οἱ πολλοί) *mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures* (εἰς τοὺς πολλούς) *abundavit.*

Satisfactionem Christi *intrinsecus* esse superabundantem patet ex dicendis sub III.

III. Satisfactio Christi est *infinita*, idque etiam *intrinsecus*, i. e. ex se omnes excedit limites, neque unquam potest exhauriri. Hoc a theologis communiter tenetur, si excipias Scotistas, qui docent satisfactionem Christi esse formaliter finitam, secundum quid autem vel extrinsecus infinitam. — Boyvin dicit eam ita esse infinitam duplici titulo: ex circumstantia suppositi infiniti et ratione acceptationis divinae.

Satisfactionem Christi intrinsecus infinitam esse sic demonstratur: Satisfactio pro offensa personali praestita eo maioris est pretii, quo dignior est persona, quae satisfactionem praestat. Sed actus satisfactorii Christi, quamquam physice eliciuntur a natura humana, vere sunt actus personae divinae, unde ab hac infinita dignitate morali donantur, seu ita dignificantur, ut habeant valorem infinitum. Et hic quidem valor est infinitus simpliciter, cum offensa Dei infinita sit solummodo secundum quid. Cuius disparitatis ratio est, quia dignitas personae offensae influit in offensae malitiam per modum obiecti externi, quod ab homine, quamvis ut infinitum cognoscatur, tamen cognoscitur modo finito; dignitas autem personae satisfacientis influit in valorem satisfactionis per modum principii interni.

Quodsi satisfactio Christi intrinsecus est simpliciter infinita, etiam, ut per se patet, *intrinsecus* est condigna et superabundans.

Scholion. Ex iis, quae dicta sunt, efficitur omnia Christi opera ad satisfaciendum non plus valere, quam opus unum, et unumquodque eorum eiusdem esse valoris atque ipsam mortem. Attamen:

1. A Patre statutum et a Christo intentum erat, ut satisfactio non fieret singulis operibus separatim sumptis, sed omnibus simul sumptis.

2. Sola Christi morte redempti dicimur (Matth. 20, 28. Rom. 5, 10. Hebr. 2, 14 etc.), quia eius opera (sacrificia improprie dicta) ab ipso oblata et a Patre acceptata non sunt nisi ut consummanda per mortem (sacrificium proprie dictum). Quod quidem factum est, ut magis ostenderetur et caritas Dei et gravitas peccati, ut redemptio a nobis pluris aestimaretur, ut nobis redderetur exemplum summae patientiae, obedientiae aliarumque virtutum.

Thesis III. **Satisfactio Christi eget quidem acceptatione divina, ut sit efficax in actu secundo, tamen est condigna secundum iustitiam.**

Probatur I. pars. Per se is debet satisfacere, qui offendit; neque alius pro eo satisfacere potest, nisi offensus id acceptat.

Explicatur II. pars. Satisfactio est condigna secundum iustitiam, si ea praestita Deus hominibus (ab iis positis ponendis) remissionem peccatorum concedere debet. Non esset secundum iustitiam, si etiam supposita satisfactione remissio peccatorum penderet ex *pura* liberalitate Dei.

Probatur II. pars. Deus eo, quod promisit se satisfactionem Christi pro hominibus oblatam et condignam acceptaturum esse, eam acceptare debuit. Et id quidem sibi ipsi debuit, non Christo qua homini, quia Deus non a creatura, sed a sola rectitudine voluntatis suae potest obligari.

Scholion. Secundum theologos longe plurimos, quibus praesertim Scotistae contradicunt, satisfactio Christi etiam condigna fuit secundum *rigorem* iustitiae; i. e. respectu satisfactionis Christi omnes conditiones, quae ad strictam iustitiam requiruntur, servatae sunt, seu ex parte Dei *nulla* liberalitas intercessit.

Illae autem conditiones hae saltem sunt: Satisfactio pro iniuria personali oblata, praeterquam quod debet esse libere praestita, condigna, ea, quae, acceptatione saltem supposita, nequeat repudiari, etiam debet fieri:

1. *Ex propriis*, et iis quidem ita propriis, ut virtus satisfaciendi non sit gratia ab eo ipso facta, cui satisfactio praestatur.

2. Ex iis, quae *non aliunde ex titulo iustitiae debita* sunt.

3. *Alteri.* — Iam vero, ut plurimi illi theologi dicunt,

Quoad 1. Christus fuit dominus liber actuum suorum; et quando hos obtulit, vere propria obtulit. Neque obstat, quod

virtus condigne satisfaciendi fundatur in unione hypostatica, quae est gratia facta ab eo, cui satisfactio praestatur. Nam unio hypostatica est quidem gratia respectu naturae humanae, quae est principium satisfactionis quo, tamen non est gratia respectu personae divinae, quae est principium satisfactionis quod, seu is, qui satisfacit.

Quoad 2. Christus independenter a satisfactione praestanda mortem ex titulo iustitiae saltem non debuit subire. Alii autem tituli, si qui sunt, non obstant.

Quoad 3. Verbum ut subsistens in humana natura satisfecit Deo seu divinae naturae seu sanctissimae Trinitati et consequenter sibi ipsi ut subsistenti in natura divina. Per hoc autem habetur sufficiens distinctio inter satisfacientem et offensum.

Nam: *a)* In tantum requiritur distinctio inter satisfacientem et offensum, in quantum distingui debet debitum satisfacientis et ius offensi. Sed haec sufficienter distinguuntur distinctione naturae humanae a natura divina, quamvis persona sit eadem.

b) Opera Christi satisfactoria habuerunt quidem suum valorem a Christo Deo, qui et fuit eorum principium quod; tamen cum toto suo valore etiam fuerunt sub proprio dominio Christi hominis ut principii quo; ideoque Deo non minus honorifica fuerunt, quam si facta essent a persona infinitae dignitatis a Deo distincta.

c) Christus, quamquam formaliter una persona est, gerit tamen vices duarum personarum, ideoque est persona virtualiter duplex. Quia enim subsistit in duabus naturis, etiam praestare potest, quae possunt praestare duo supposita.

Illustratur exemplo. Homo simul esse potest et creditor et tutor pupilli. Ut creditor solutionem potest exigere Ut tutor solutionem potest praestare, idque sibi ipsi ut creditori.

Nota. Ii, qui negant satisfactionem Christi secundum rigorem iustitiae fuisse, conditionibus supra enumeratis plerumque adiiciunt alias.

§ III. *De Christi Sacerdotis merito.*

Quae de satisfactione dicta sunt, ea fere dicenda sunt de merito. Nam satisfactio et meritum ex parte rei sunt idem

opus, quod eundem habet valorem et differt solummodo intentione vel ordinatione operantis.

Imprimis igitur meritum Christi in actu primo habet valorem infinitum, habere autem nequit obiectum infinitum. Aliis verbis: Christus non potuit mereri praemium infinitum. Hoc enim repugnat, sicut repugnat Deum, qui habet potentiam infinitam, creare posse infinitum mundum.

Quaenam autem obiectum meriti Christi constituant, oportet ostendi.

Thesis. **Christus meruit generi humano omnes gratias ordinis supernaturalis, sibi ipsi gloriam corporis et exaltationem nominis.**

Explicatur I. pars. Christus ut viator meruit 1. omnem gratiam supernaturalem, tam actualem, quam habitualem, quam ullus homo a lapsu Adae usque ad finem mundi accipit; 2. iis, qui salvantur, gloriam.

Meruit igitur omnes gratias supernaturales, quae tam peccatoribus, quam iustis conceduntur; omnes, quibus homines utuntur, et quibus abutuntur; omnes gratias excitantes et adiuvantes, omnes gratias illustrationis et inspirationis etc.

Tota igitur oeconomia salutis post lapsum Adae est oeconomia redemptionis.

Probatur I. pars. I. E Scriptura. 1. Quoad gratiam sanctificantem ac remissionem peccatorum seu *quoad iustificationem* ex tota parte priore epistolae ad Romanos et ex epistolis ad Galatas et Ephesios etc.

Rom. 5, 18: *Per unius* (Christi) *iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae* (res cedet). — Gal. 4, 4. 5: *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Sed filii Dei adoptivi efficimur per gratiam sanctificantem. — Eph. 1, 7: *In quo* (Iesu Christo) *habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius.*

2. *Quoad gratias actuales* ex 2. Tim. 1, 9: *Qui* (Deus) *nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Iesu.* — Eph. 1, 3: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit*

nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo. Omnia igitur beneficia spiritualia i. e. supernaturalia dantur in Christo i. e. propter merita Christi.

II. E Doctrina Ecclesiae, quae praeter alia patet ex Tridentino, quod dicit: 1. *Quoad iustificationem* sess. 5. c. 3: Si quis hoc Adae peccatum... per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio,... a. s. — Et sess. 6, cap. 7: Huius iustificationis causae sunt... meritoria... Dominus noster Iesus Christus. — 2. *Quoad gratiam actualem* sess. 6. cap. 5: Declarat praeterea (sancta Synodus) ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei *per Christum Iesum* praeveniente gratia sumendum esse etc.

Explicatur II. pars. Christus ut viator sibi ipsi meruit nec gratiam nec gloriam animae, sed gloriam corporis et exaltationem nominis i. e. cultum hominum atque angelorum etc. Quae quidem, licet Christo independenter a merito debita fuerint, tamen actu ei non erant danda, nisi post meritum morte consummatum; et hoc meritum novum titulum ea possidendi constituit.

Probatur II. pars e Scriptura. Luc. 24, 26 Christus dixit discipulis euntibus Emmaum: *Nonne haec oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* Philipp. 2, 8-11: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* — Hebr. 2, 9: *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum.*

Scholion I. Iuxta eos, qui negant Verbum incarnatum fuisse, si homo non peccasset, Christus *non meruit* 1. protoparentibus gratiam, quam ante lapsum acceperunt, unde haec ab illis vocatur gratia Dei, cum ea, quae hominibus post Adae lapsum conceditur, ab iisdem gratia Christi vocetur; 2. angelis gratiam et gloriam essentialem. Attamen angeli ex redemptione Christi aliqua dona gratiae et gloriae accidentalis recipiunt, ut gaudium ob reparationem sedium suarum etc.

Scholion II. Christus *meruit* a primo instanti vitae (Hebr. 10, 5-7) usque ad mortem (Hebr. 10, 11. 12) omnibus liberis actibus viatoris, etiam actibus amoris Dei, quatenus hi nitebantur alia scientia atque scientia visionis.

Hebr. 10, 5. 7: *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi: Ecce venio (in capite libri scriptum est de me), ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* — Hebr. 10, 11. 12: *Et omnis quidem sacerdos praesto est quotidie ministrans, et easdem saepe offerens hostias, quae numquam possunt auferre peccata; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei.*

Christum a primo instanti usque ad mortem sine intermissione meruisse deducitur ex eo, quod et illud fieri potuit, cum scientia Christi infusa non penderet a sensibus, neque Christum decuit virtutem expeditam relinquere otiosam. Hinc:

1. *Oratio* Christi, quae fit post eius mortem, rationem meriti non habet, nititur tamen meritis ante mortem acquisitis.

2. *Vulnus* lateris Christi post mortem ipsi inflictum dici potest meritorium sensu obiectivo, quatenus Christus vivus illud praevisum libere acceptavit et Patri obtulit.

3. Orando « *per resurrectionem tuam* (etc.) *libera nos Domine* » non petimus, ut per eam liberemur per modum meriti, sed per modum motivi et efficacitatis illi mysterio meritis Christi praecedentibus inditae. Christus enim ante mortem meruit, ut resurrectio sua (etc.) credentibus et animo recolentibus sit salutifera.

§ IV. *De satisfactionis ac meriti Christi extensione.*

Christus satisfecit ac meruit pro omnibus hominibus, id quod etiam sic potest et solet exprimi: Christus redemit omnes homines; vel sic: Christus pro omnibus hominibus mortuus est. Hinc:

Thesis. **Christus omnes homines redemit seu pro omnibus hominibus est mortuus.**

Opponitur praedestinatianis saeculi 5. et 9., Wiclifitis et Hussitis, Calvinianis, Iansenistis.

Determinatur: 1. Christum mortuum esse pro omnibus *fidelibus* est *de fide*, ut constat ex ordinario magisterio Eccle-

siae, iuxta quod quivis fidelis debet credere Christum esse suum redemptorem ac pro se esse mortuum, et ex damnatione propositionis 5. Iansenii: Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, quae intellecta de solis praedestinatis haeretica est declarata (D. 970).

2. Christum mortuum esse pro omnibus *infidelibus* adultis i. e. usu rationis praeditis est *fidei proximum* aut saltem certum, ut patet ex propositione 4. die 7. Decembris a. 1690. ab Alexandro VIII. in globo damnata, quae haec est: Dedit semetipsum (Christus) pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et *solis* fidelibus (D. 1161).

3. Christum mortuum esse pro *infantibus* ante baptismum susceptum morientibus est *certum* vel sententia communis.

Explicatur: Christus opera sua satisfactoria et meritoria, praesertim mortem, pro omnibus hominibus Patri obtulit. Quorum operum immediatus fructus non est vita aeterna ipsa, sed eius obtinendae possibilitas, quae peccato Adae est perdita. Ut autem haec possibilitas ad actum reducatur, certae conditiones sunt adimplendae. Sed hae conditiones non ab omnibus vel non in omnibus adimplentur: ab adultis culpa ipsorum; in infantibus aut culpa aliorum aut ob vicissitudines ordinis naturae, quem Deus ut provisor universalis propter ordinem gratiae ipsi superstructum evertere non vult. E contrario, cum Deus ordine saltem prius sit auctor naturae, quam est auctor gratiae, ipse statuit, ut ordo gratiae ordinem naturae sequatur, ideoque etiam per accidens subiaceat iis vicissitudinibus, quibus ipsa natura per se subiacet.

Probatur: I. **E Scriptura.** Matth. 18, 11 Christus dixit discipulis suis: *Venit enim Filius hominis salvare, quod perierat.* — 2. Cor. 5, 14: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Ex quo rursus concludi potest: Etiam infantes non baptizati (supernaturaliter) mortui sunt; ergo pro iis quoque Christus est mortuus. — 1. Tim. 2, 6: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* — 1. Io. 2, 2: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

II. **E Traditione.** Recitatur in symbolo Nic.-Constantinop.: Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis.

Scholion I. Christus etiam pro iis mortuus est, qui tempore mortis suae iam erant *damnati*, idque eatenus, quatenus iis eas gratias meruit, quas in vita iam acceperant quibusque salvari poterant; non, velutsi tunc intenderit iis fructum mortis suae iterum applicare.

Scholion II. Secundum Rom. 5, 15 (Cf. pag. 230) reparatio a Christo facta *excedit* ruinam ab Ada effectam. Excedit autem 1. quatenus Adam nos uno tantum peccato infecit; Christus autem nos multis peccatis liberat; 2. quatenus per Christum plures gratias accipimus, quam per Adam amisimus.

ARTICULUS II.

DE MUNERE CHRISTI PROPHETICO.

THESIS I. **Christus homo est verus propheta.**

Explicatur: Propheta est magister, qui auctoritate divinitus accepta hominibus affert Dei nuntium.

Probatur e Scriptura. Christus dixit discipulis Matth. 23, 10: *Nec vocemini magistri, quia magister* (καθηγητής) *vester unus est: Christus.* Et Io. 13, 13: *Vos vocatis me: magister* (ὁ διδάσκαλος) *et domine, et bene dicitis; sum etenim.* — Pilato autem dixit Io. 18, 37: *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.*

Scholion. De ratione, qua Christus munere prophetico est functus. 1. Christus docuit non scripto, sed verbo et exemplo atque eo tam perfectissimo quam efficacissimo. Unde ipse dicere potuit Matth. 11, 29: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.*

2. Christus ipse praedicavit solis Iudaeis, Matth. 15, 24: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.* Unde Rom. 15, 8 vocatur minister circumcisionis (i. e. circumcisorum).

THESIS II. **Magisterium Christi excellentissimum est.**

Explicatur et probatur: Magisterium Christi est:

1. *Supremum.* Christus enim non est ex genere ceterorum magistrorum; sed inter eos adeo eminet, ut ipse solus magister *generis humani* sit vocandus, aliique omnes ab eo dependeant. Matth. 23, 10 (cf. supra in thesi I.) Si nemo praeter Christum magister est nominandus, non exsistit magisterium a magisterio Christi independens.

2. *Potestativum*, cui totum genus humanum obnoxium est omnesque singuli homines sunt obligati. Marc. 16, 15. 16: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.*

3. *Perfectum*, ita ut numquam sit abrogandum, quia doctrina perfectior neque unquam a Deo revelabitur neque unquam ab hominibus poterit excogitari.

ARTICULUS III.

DE MUNERE CHRISTI REGIO.

THESIS I. **Christus homo est verus rex.**

Probatur: I. Generatim. Io 18, 37: *Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis; quia rex sum ego.* — Matth. 28, 18: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.*

II. Speciatim. Christo competit:

1. *Potestas legifera*, id quod definitum est a Trid. sess. 6, can. 21: Si quis dixerit Christum Iesum a Deo hominibus datum fuisse ut redemptorem, cui fidant, non etiam ut legislatorem, cui obediant, a. s. Patet *a)* ex Io. 14, 15, ubi Christus discipulis dixisse exhibetur: *Si diligitis me, mandata mea* (τὰς ἐντολὰς τὰς ἐμὰς) *servate; — b)* ex eo, quod Christus reapse leges dedit, non quidem pure caeremoniales, tamen eas, quae spectent ad Ecclesiae constitutionem, sacramenta, sacrificium, et ex eo, quod dispensationes quasdam respectu unitatis ac firmitatis matrimonii abrogavit.

2. *Potestas iudiciaria*. Nam Christus ipse dicit: Io. 5, 22: *Neque enim Pater iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit Filio;* et 27: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.*

3. *Potestas executiva*. Christus enim ad Apostolos dixit Io. 14, 2. 3: *Vado parare vobis locum;.. et accipiam vos ad meipsum.*

THESIS II. **Regnum Christi est spirituale.**

Probatur: I. Generatim. 1. Christus dixit Pilato Io. 18, 36: *Regnum meum non est de hoc mundo.* 2. Christus re-

gnum suum saepe vocat regnum coelorum; e. g. Matth. 23, 24 dicendo: *Simile factum est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo.*

II. Speciatim. Regnum Christi exhibetur ut regnum, ad quod homines se praeparare debent per poenitentiam (Matth. 3, 1. sqq.), in quod homines intrant per fidem et baptismum (Io. 3, 3. 5. 16), cuius insignia sunt: paupertas, mansuetudo, fames et sitis iustitiae (Matth. 5, 3 sqq.), cuius cives non debent appetere honorem et gloriam, sed debent se ipsos abnegare et crucem suam portare (Matth. 10, 37 sqq.) etc.

Scholion. De potestate Christi temporali.

Christus ut homo:

1. *Certe* habet potestatem *indirectam* in res temporales et regna, i. e. habet ius utendi rebus temporalibus, in quantum ad res spirituales ordinantur (id quod praesertim occurrit respectu materiae sacramentorum), et habet ius in rebus ad religionem spectantibus ea praescribere, quae etiam civitatibus et regnis magni sunt momenti (e. g. respectu matrimonii). Si enim Christus hanc potestatem non haberet, potestas eius spiritualis non esset perfecta.

2. *Probabilius* habet potestatem in res temporales et regna etiam *directam in actu primo*. Nam is, cui *data est omnis potestas in coelo et in terra* (Matth. 28, 18), et qui est *rex regum et dominus dominantium* (Apoc. 19, 16), omnibus regnis, si velit, praescribere posse videtur leges etiam ad politicum gubernium spectantes.

Id tamen aliqui celebres theologi non admittunt, ut Franciscus Victoria (O. P., Hispanus, saec. 16., pater scholae Salmanticensis) et Bellarminus.

3. *Certe* in actu secundo *non exercuit* potestatem *directam* in ullum regnum; neque habuit dominium omnium rerum, attamen aliquarum, ut a Ioanne XXII. est definitum (D. 449).

CAPUT II.

De Vita Christi.

Vita Christi apte dividitur in quatuor partes, quarum prima complectitur vitam Christi absconditam, altera vitam

eius publicam, tertia eius passionem ac mortem, quarta eius exaltationem post hanc vitam.

Pars prima a s. Thoma vocatur ingressus Christi in hunc mundum, altera progressus vitae Christi in hoc mundo, tertia egressus Christi ex hoc mundo, quarta exaltatio Christi post hunc mundum.

In confinio vitae absconditae et publicae Christus a Ioanne baptizatus et ieiunio quadraginta dierum interposito a diabolo tentatus est. Unde ab aliis, ut Grimm, et baptismus et tentatio Christi referuntur ad vitam eius publicam ut praeparatio ad eam; ab aliis, ut s Thoma, quem sequuntur Einig et Pesch, baptismus Christi refertur ad vitam eius absconditam, tentatio ad publicam; ab aliis, ut Cornely, baptismus et tentatio una cum iis, quae narrantur Io. 1, 19 — 2, 12, separatim ponuntur nomine praeparationis ad vitam publicam.

ARTICULUS I.

DE VITA CHRISTI ABSCONDITA ET PUBLICA.

§ I. *De Christi conceptione* (Luc. 1, 26-38).

I. *Quantum ad locum.* Christus a Maria Virgine de Spiritu Sancto conceptus est in oppido *Nazareth*, in parte meridionali Galilaeae sito et sex horas ad occidentem versus a lacu Genesareth distante.

Nazareth, primitus verisimiliter Nazara (derivatum a nezer i. e. flos, ergo = oppidum florum) vocatum, unde nomen gentile Nazareni, nunc arabice en-Nazirâ appellatum, oppidum fuit *ignobile*, quod in libris vet. test. numquam est nominatum. — Ex Io. 1, 46 concludi solet eius incolas non fuisse bona *fama*, id quod comprobari videtur per ea, quae de illis narrantur Matth. 13, 57. Marc. 6, 6. Luc. 4, 22 sqq.

II. *Quantum ad rei ordinem.* Conceptio Christi a Gabriele archangelo divinitus misso ac visibili specie apparente Mariae est annuntiata, et postquam haec, de futuro mysterio ab eodem satis instructa, consensum dedit, statim est effecta.

1. Conveniens fuit annuntiationem mysterii illius fieri per *angelum*, tum quia angeli sunt ministri Dei ad promovendam salutem hominum (Hebr. 1, 14), tum quia decuit angelos, qui partem habuerunt in generis humani lapsu, etiam partem habere in eius reparatione.

Dicendum, quod incarnationem debuit praecedere angelica annuntiatio, sicut hominis praevaricationem praecessit diabolica tentatio, ut sic ordo

reparationis correspondeat ordini praevaricationis. Unde sicut diabolus tentavit mulierem, ut eam pertraheret ad dubitationem, et per dubitationem pertraheret ad consensum, et per consensum ad lapsum (peccatum externum inobedientiae); sic Angelus nuntiavit Virgini, ut nuntiando excitaret ad fidem, et per fidem ad consensum, et per consensum ad concipiendum Dei Filium per Spiritum Sanctum ». S. Bonav.[1].

2. Cur Deus Virginis *consensum* requisiverit, hae afferri possunt rationes: *a)* Per incarnationem celebrantur quasi sponsalia Filii Dei cum humana natura. Unde convenienter illius consensus est requisitus, quae quasi sponsa esset Spiritus Sancti et genus humanum repraesentaret. — *b)* Per consensum feminae sumpsit exordium hominum ruina; convenienter igitur per feminae consensum etiam exordium sumpsit hominum reparatio. — *c)* Eo quod salus nostra etiam (et quidem secundario) pependit ex consensu b. Virginis, Deus nos voluit obligare ad eam venerandam et diligendam. — *d)* Deus voluit significare, sicut Verbi conceptio non est facta sine consensu et cooperatione eius, in qua facta est, ita salutem hominum non fieri sine consensu et cooperatione eorum, quibus contingit.

III. *Quantum ad Mariae conditionem.* Utrum B. M. V. tum, cum Filium Dei concepit, fuerit s. Ioseph uxor an sponsa tantum, controversum est.

Eam iam fuisse uxorem tenent e ss. Patribus Hieronymus et Chrysostomus et scholastici passim.

Eam fuisse *sponsam* tantum merito censent Origenes et s. Basilius et praesertim recentiores communiter, putantes honori b. Virginis etiam sic fuisse satis provisum.

Dicit *Knabenbauer*[2]: « Vox *desponsata* in propria sua et nativa significatione, uti graecum μνηστευθείσης, retineri debet; scil. sponsalia esse inita inter Mariam et Ioseph. Verum simul oportet adverti apud Iudaeos sponsis iam eadem iura fuisse, quae esse solent matrimonio iunctis. Proinde etiam antequam sponsa pompa solemni in domum sponsi duceretur, et nuptiae festive celebrarentur, sponsus et sponsa impune tamquam vir et mulier inter se agere poterant. Atque desponsam haberi sicuti nuptam etiam ex Deut. 22, 23-28 statim colligitur... Quamvis itaque desponsatione facta iam iis praesto essent more antiquo iura matrimonii, tamen non statim solebat sponsus sponsam suam in eadem secum domo habere cohabitantem. Id non fiebat nisi nuptiis solemniter confectis ».

---

[1] Tom. 3, pag. 57.

[2] Comment. in Matth. tom. 1, pag. 47 et 49.

§ II. *De Christi natiritate* (Luc. 2, 1-7).

I. *Quantum ad locum.* Christus natus est in vico *Bethlehem* in Iudaea sito et duas horas ad meridiem versus ab Hierosolymis, c. viginti quatuor vel quinque horas a Nazareth distante. Ut ex voce praesepii Luc. 2, 7 colligi potest, natus est in aliquo *stabulo;* iuxta antiquissimam et certam traditionem in *specu* quodam prope Bethlehem sito, in quo a pastoribus pecudes solebant collocari.

Census causa, qui more Iudaeorum fiebat secundum tribus et familias, Ioseph et Maria (probabiliter, quia erat filia heres) se contulerunt in illum vicum, quia ipsorum familia inde erat oriunda.

Bethlehem nunc vocatur Bet-Lachem.

Iesum natum esse in specu iam tradit s. Iustinus[1]; specum, in quo ipse natus sit, suo tempore monstrari asserit Origenes[2].

Christum nasci in vico Bethlehem fuit *conveniens.* Nam: 1. Eum, cui sedes David erat danda, nasci decuit in civitate David. 2. Ut David ex humili atque obscura conditione ad regnum temporale est evectus, ita congruit Christo, filio David, ex humili civitate prodire ad condendum regnum aeternum. 3. Bethlehem interpretantur domum panis; unde ille ibi convenienter natus est, qui de se ipso dixit Io. 6, 41: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi.*

II. *Quantum ad tempus.* 1. *Quoad annum.* Christus iuxta longe plurimos natus est aliquot (probabiliter quatuor vel quinque) annis *ante* aeram vulgarem.

Communiter enim statuitur Herodem de vita decessisse anno urbis conditae 750. Nativitas autem Domini uno alterove anno ante mortem Herodis est collocanda.

2. *Quoad diem.* Dies nativitatis Domini a tempore s. Chrysostomi unice et iam antea frequentissime assignatur dies 25. *decembris.*

Ab aliis antiquis assignatur dies 19. vel 20. aprilis, 20. vel 21. maii, 20. iunii, 6. ianuarii.

3. *Quoad diei tempus.* Ut merito colligitur ex Scriptura (Luc. 2, 8. 11), et iuxta antiquissimam traditionem Iesus natus est *tempore nocturno*, idque congrue, quia *visitavit nos oriens*

[1] C. Tryph. 78.
[2] C. Celsum 1, 51.

ex alto, illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent (Luc. 1, 78. 79).

Iuxta Luc. 2, 8. 11 angelus dixit pastoribus custodientibus *vigilias noctis super gregem suum:... Natus est vobis hodie Salvator mundi.* Sed Iudaei diei civilis initium duxerunt a vespere.

§ III. *De Christi infantia.*

I. *Quantum ad observantiam legalium.* Circa Iesum omnia legalia sunt observata. Nam quamquam ut legis dominus legi subiectus non erat, tamen ei subiici voluit, ut vitaret Iudaeorum scandalum et nobis daret exemplum humilitatis atque obedientiae. Consequenter:

1. Octavo post nativitatem die secundum legem (Lev. 12, 3) est *circumcisus* (Luc. 2, 21), verisimiliter a s. Ioseph.

Infantes enim Iudaeorum per quadraginta post nativitatem dies una cum matribus domi retinebantur. — Circumcisio a quolibet Israelita poterat fieri; necessitate urgente etiam a muliere.

Iesus voluit circumcisionem suscipere, ut per eam *a)* agnosceretur ut membrum populi Dei, — *b)* legem in se susciperet (Gal. 5, 3) et sic homines ab onere legis liberaret (Gal. 4, 5); — *c)* ostenderet veritatem carnis suae etc.

2. Quadragesimo post nativitatem die secundum legem (Exod. 13, 2. Lev. 12, 6 sqq.) in templo est *praesentatus* (Luc. 2, 22-24).

« Erant enim primogeniti Iudaeorum Deo speciali modo consecrandi in memoriam beneficii illius, quod Deus interfecit primogenitos Aegyptiorum, ut populum suum ex eorum servitute liberaret (Ex. 12, 29). Christus igitur voluit etiam hanc partem legis servare et sic simul implere prophetias Aggaei (2, 8) et Malachiae (3, 1).

Oblatio autem aliorum primogenitorum erat figura oblationis huius primogeniti; quare cum alii secundum formam tantum offerrentur, secundum rem autem redimerentur (a parentibus), Christus reapse ad mortem oblatus et solum ad tempus redemptus est. Alii enim ut animalia immunda sacrificari non debebant, Christus autem ut animal mundum vere sacrificari debuit (S. Thomas, 3, q. 27, a. 3).

Beata Virgo ex sua parte ne in sensu quidem legali immunda erat, unde lege (respondente) non tenebatur; sed purificationem convenienter obibat ad vitandum scandalum et ad dandum virtutum exemplum et ad conformandum se Filio ». Pesch [1].

[1] Tom. 4, n. 475.

II. *Quantum ad manifestationem.* Christus post nativitatem suam hominibus est manifestatus; et quidem, ut in tuto esset obscuritas primae vitae suae, non multis, sed paucis tantum, per quos deinde eius adventus aliquot aliis indicatus est. Manifestatus autem est hoc ordine: primum pastoribus, deinde Simeoni et Annae in templo (Luc. 2, 25-38), tum Magis. Est igitur manifestatus et Iudaeis et gentilibus, tam simplicibus ac vilibus quam sapientibus ac potentibus, non solum viris, sed etiam mulieribus, ut per hoc ostenderetur nullam conditionem hominum a Christi salute excludi.

1. Christi ortum *pastoribus* esse annuntiatum narratur Luc. 2, 8-20.

Futurus pastor animarum (Is. 40, 11. Ezech. 34, 23. Io. 10, 11) primo manifestatus est pastoribus ovium, et quidem ab *angelo*, quem sequebatur multitudo angelorum dicentium: Gloria *est*, ut plerique merito censent; non: sit in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis (εὐδοκίας; melius, quam εὐδοκία, ut recepta habet) i. e. beneplaciti, sc. divini. Quibus verbis angeli totum complectuntur, quod adventu et opere Verbi incarnati efficitur: et hoc est, quod Deo praestatur gloria, qua maior praestari nequit, et quod hominibus divini beneplaciti, seu quos Deus amore benevolentiae prosequitur, confertur pax, et ea quidem cum Deo (seu reconciliatio) et cum invicem (Ps. 71, 7. Is. 9, 6. 7. etc. Mich. 5, 5).

Angelus ille probabiliter fuit Gabriel Archangelus. Nam eidem, qui Danielem prophetam de Messia venturo edocuerat (Dan. 9, 24 sqq.) et hunc annuntiaverat Zachariae (Luc. 1, 11. 19) et b. Virgini (Luc. 1, 26), etiam congruisse videtur Christum natum pastoribus annuntiare.

Nuntius a pastoribus aliis hominibus factus (Luc. 2, 18) non videtur esse pervulgatus extra fines Bethlehem (Matth. 2, 3), neque a multis fide susceptus vel recenti memoria habitus; praesertim cum Iesu conditio humillima atque omnium egena quam maxime discordaret cum opinione, quam ipsi de Messia habebant, et cum nihil in Christo cerneretur, quod admirationem posset movere.

2. Manifestatio Christi facta *Simeoni et Annae* exhibetur Luc. 2, 25-38.

Simeon ab ipso *Spiritu Sancto*, cuius impulsu motus in templum venerat, didicit Iesum esse Messiam. Anna prophetissa i. e. spiritu prophetico praedita (quo spiritu iuxta 1. Cor. 14, 3 hominibus sermo fit ad aedificationem et exhortationem et

consolationem, et etiam iuxta 1. Cor. 14, 25 quandoque futura praedicuntur et occulta manifestantur), idem ab eodem Spiritu aut immediate didicit aut saltem mediate, mediante sc. Simeone.

3. Christum *Magis* esse manifestatum narratur Matth. 2, 1-12.

a) Magi (= magni vel illustres) ab orientalibus vocabantur viri *docti* praesertim rebus naturalibus (maxime astronomicis) et theologicis. Illi, qui ad Christum pervenerunt, iuxta antiquam quandam traditionem (et Ps. 67, 30; 71, 10. Is. 49, 7; 60, 3. 10. 11?) dicuntur quidem fuisse reges; attamen neque ab antiquis Patribus reges vocantur, neque in antiquissimis monumentis ut reges sunt repraesentati, i. e. portantes coronas aliave insignia regia (sed portantes capitegia sacerdotum propria). Fortasse vero erant praesules generum doctorum et sacerdotum in gradu *principum* constituti. Communiter putantur fuisse *tres*, id quod concordat cum numero ternario donorum ab iis datorum et cum veterrimis monumentis, in quibus plerumque tres repraesentantur, et cum antiqua traditione, cuius iam Origenes mentionem facit. Primus Beda Venerabilis († a. 735.) eorum nomina dicitur protulisse.

b) Iuxta Matth. 2, 1 Magi venerunt ex *oriente* i. e. ex regione, quae est aut ad orientem versus aut inter orientem et septentrionem aut inter orientem et meridiem. Alii putant eos venisse ex Chaldaea, alii ex Persia, alii ex Arabia.

c) Stella, quae Magis apparuit, fuit *phaenomenon luminosum*, terrae, ut videtur, vicinum, divinitus mirabiliter productum. Prius iis apparuit in oriente, postea iterum in Iudaea inter Ierusalem et Bethlehem; eos tamen ab oriente ad Iudaeam non perduxit.

Stellam et fuisse terrae vicinam neque Magis in Iudaeam proficiscentibus antecessisse colligi potest ex Matth. 2, 9: *Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usquedum veniens staret supra, ubi erat puer.*

d) Apparitionem illius stellae esse signum adventus Christi ex speciali *illuminatione Dei* etc. discere poterant.

« Iudaeorum dispersione, vaticinio Danielis, versione graeca S. Scripturae, oraculis illis sibyllinis, quae ab anno 140. a. Chr. et deinceps in lucem prodierunt, aliisque libris expectatio Messiae longe lateque inter Hellenistas gentesque per orientem erat sparsa. Cuius rei testes quoque sunt Tacitus et Suetonius. Unde in patria quoque Magorum eiusmodi exspectationem vi-

guisse facile tibi persuaseris. Hominis autem sortem dirigi stellis, regis potentis nativitatem stellis quoque nuntiari opinio erat popularis, contra quam frequenter agunt ss. Patres. Quare apparitione novae stellae et insolitae magi sideribus contemplandis dediti de eventu miro et de ortu regis potentis admoniti sunt. Huic signo externo, quod ad eorum mores et cogitandi rationem aptum erat, accedebat illustratio interna Dei gratia facta, qua demum vere cognoscerent, quid splendore illo portenderetur ». Knabenbauer [1].

e) Magos advenisse non ante, sed *post praesentationem* Christi in templo factam satis potest probari.

Nam praeter alia infra dicenda: α) Haud verisimile est parentes Iesu ausos esse eum in templum deferre, postquam audiverunt Magos ab angelo esse monitos, *ne redirent ad Herodem* (Matth. 2, 12) et ob eius nativitatem regem totamque urbem esse turbatam, praesertim cum postea ob periculum multo minus s. Ioseph ausus non sit in Iudaeam reverti (Matth 2, 22). Illos autem ea a Magis non audivisse minus verisimile est. — β) Quomodo fieri potuit, ut accepto solo nuntio nativitatis Christi omnis Ierusalem commoveretur, postea autem ipso Christo in templo praesentato, a Simeone et Anna agnito, ab Anna pluribus urbis incolis manifestato (Luc. 2, 38) civitas maneret tranquilla?

Eo posito non labefactatur aliqua traditio antiqua (et sententia ss. Augustini, Leonis M. etc.) minime certa, secundum quam Magi ad Christum pervenerunt die 6. Ianuarii. Pervenisse autem censendi sunt hoc die post nativitatem Christi non prima, sed secunda vice recurrente, seu *uno anno et duodecim diebus post Christum natum.*

Ita narratio evangelica iam componitur a Tatiano et Epiphanio. Ita potest quoque intelligi, cur Herodes occiderit pueros a bimatu *et infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis* (Matth. 2, 16), id quod intelligi non potest, si audierat Christum natum esse ante paucos dies.

f) Vocatio Magorum fuit initium *vocationis gentium*, quam quidem vocationem potissimum Ecclesia die Epiphaniae celebrat.

III. *Quantum ad domicilium.* 1. Postquam Christus in templo est praesentatus, parentes eius *Nazareth* reversi sunt. Legitur enim Luc. 2, 39: *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam in civitatem suam Nazareth.*

2. Ibi res suas composuerunt et transmigrarunt *Bethlehem*, fortasse, quia in hoc vico reperierant occasionem facilius sibi

[1] Comment. in Matth. I, pag. 83.

victum comparandi, vel ex alia causa nobis ignota. Illud contigisse etiam ex eo potest colligi, quod postea s. Ioseph ex Aegypto reversus cogitavit in Iudaea (Matth. 2, 22) et quidem, ut videtur, in vico Bethlehem domicilium collocare. Illo tempore Magi *intrantes domum* (εἰς τὴν οἰκίαν) *invenerunt puerum cum Maria matre eius* (Matth. 2, 11).

3. Ne Christus ab Herode interficeretur, inde fugerunt in *Aegyptum* (Matth. 2, 13-15), ubi multi Iudaei habitabant, quo advenire poterant confecto itinere octo vel decem dierum. Incertum est, in qua illius regionis parte domicilium constituerint. Maxime opportuna haud dubie erat terra Gessen (Gosen). Est fama satis incerta s. familiam habitasse Matareae, in parvo oppido prope Memphin sito, vel Heliopoli. Probabilius est eam in Aegypto commoratam non esse ultra unum annum; ad summum ibi mansit annos duos vel tres.

4. Herode brevi post infanticidium Bethlehemi peractum (quo ad summum viginti, forsitan duodecim tantum vel quindecim pueri erant interfecti) mortuo s. familia in Palaestinam est reversa, et quidem non in Iudaeam, ubi regnavit Archelaus, filius Herodis saevus atque crudelis, sed in Galilaeam, ubi regnavit Antipas, alius Herodis filius mitioris ingenii, et sedem constituit *Nazareth*, in eodem oppido, in quo Verbum erat incarnatum (Matth. 2, 19-23).

§ IV. *De Christi pueritia et adolescentia.*

I. In oppido *Nazareth* Christus etiam pueritiam degit et adolescentiam, unde Nazarenus vocari solebat. Filius fabri, qui labore manuum victum quaerebat, vitam egit pauperem. Filius bonus obediens erat parentibus. Luc. 2, 51: *Et erat subditus illis.* Nec scholam frequentavit nec litteras didicit (Io. 7, 15). Miracula tunc non patravit (Io. 2, 11).

II. Iesus puer duodecim annorum insciis parentibus *remansit in urbe Ierusalem*, quam una cum iis ad ibi celebrandum festum paschae adierat (Luc. 2, 41-50).

1. Christus id fecit, ut parentibus *ostenderet* se, qui in operibus communibus sit iis subditus, habere alia sibi ut mundi redemptori propria, in quibus soli Patri coelesti sit subiectus.

2. Christus id facere potuit parentibus *notitia et culpa vacantibus*, quia in regione orientali puer duodecim annorum iam satis est maturus, et quia in eiusmodi occasione Iudaei turmatim proficisci solebant. Unde non fuit, cur parentes Iesum cum aliis proficisci non putarent et de eo essent solliciti.

3. Tribus diebus post a parentibus reversis est repertus in *templo*, sedens inter doctores tamquam discipulus, ita tamen interrogans et interrogatus respondens, ut omnes fructuose doceret eorumque admirationem excitaret.

Eiusmodi institutiones fieri solebant non in ipso sanctuario, sed aut in atrio aut in exedris vel conclavibus ad templum proprie dictum adiectis, quae una cum hoc vocabantur templum (ἱερόν). Probabiliter tunc actum est de adventu et officio Messiae, et Iesus interrogationibus suis doctores ad cogitandum et inquirendum de ipsius adventu excitare voluit.

§ V. *De Christi baptismo et tentatione.*

I. Christus annos c. triginta natus a Ioanne Baptista in Iordane est *baptizatus* et deinde divinitus est splendide manifestatus atque ad munus suum solemniter quasi initiatus (Matth. 3, 13-17. Marc. 1, 9-11. Luc. 3, 21. 22).

1. Christus baptismum Ioannis voluit suscipere, *a)* quia haec caeremonia eo tempore pro populo Iudaico erat statuta; Christus autem factus sub lege (Gal. 4, 4), sicut ceteras caeremonias (e. g. circumcisionem et praesentationem in templo), ita etiam hanc voluit obire; — *b)* ut susceptione baptismi declararet se personam peccatorum induere atque se Patri sistere ut portantem huiusmodi peccata mundi; — *c)* ut exemplo suo doceret humilitatem et poenitentiam; — *d)* ut honoraret baptismum a Ioanne collatum; — *e)* ut baptismum a se instituendum designaret quoad materiam et formam et effectus (cf. tom. 2, pag. 214), vel, ut multi dicunt, ut aquam consecraret eique vim regenerandi tribueret, non tam ei indendo internam qualitatem, quam eam ad illum finem sensibiliter destinando.

2. Iesu baptizato aperti sunt coeli i. e. in superiore aëris regione apparuit hiatus quidam radians; ex quo descendit species columbae in aëre formata repraesentans Spiritum Sanctum, simulque Pater voce de coelo facta Christum vocavit Filium suum dilectum, in quo sibi complacuerit.

Spiritus Sanctus, ut se visibili modo manifestaret, elegit speciem columbae, *a)* ut per eam legatio pacis ac reconciliationis exprimeretur, quemadmodum per columbam id factum est post diluvium; — *b)* quia aliquae columbarum qualitates repraesentare possunt aliquas Christi virtutes.

II. Christus, postquam quadraginta dies et noctes in deserto degit omni cibo se abstinendo et speciali modo cum Patre coelesti conversando, a diabolo est *tentatus* (Matth. 4, 1-11. Marc. 1, 12. 13. Luc. 4, 1-13).

Desertum illud iuxta antiquam quandam traditionem a multis habetur Quarantana, prope Iericho ad septemtrionem versus sita, in qua est mons altus, omnino vastus atque horridus, nunc vocatus Dschebel Kuruntel (Karantel). Illuc Christus statim post baptismum susceptum (Marc. 1, 12) instinctu divino seu Spiritus Sancti est ductus. Famem per illud tempus non sensit (Matth. 4, 2. Luc. 4, 2), unde concludi potest eum tunc fuisse in quadam ecstasi.

1. Diabolus, i. e. princeps angelorum malorum (Matth. 25, 41) Christum tentando voluit explorare, utrum esset Filius Dei necne, et, si fieri posset, eum ad peccatum pertrahere.

Christum, caput bonorum angelorum et hominum, decuit certare cum nullo alio nisi cum angelorum malorum capite seu principe.

2. Diabolus, qui Christum exteriore tantum suggestione tentare poterat, apparuit ei sub specie visibili, et quidem, ut expositores passim censent, sub specie humana.

3. Christus diabolo, ut se tentaret, permisit ob has potissimum rationes:

a) Ut caput nostrum supernaturale tentationem voluit superare et diabolum vincere, sicut e contrario Adam in tentatione lapsus et a diabolo victus est.

b) Exemplo suo nos voluit docere, quomodo tentationes debeamus superare.

c) Graviter tentatis voluit afferre animum et esse solatio.

d) Voluit homines monere, ne quis eorum, quantumvis sanctus, securitatem tentationum sibi promitteret.

4. Diabolus tentationibus suis Christum voluit inducere, ut *a)* fami suae, quam Deo volente toleravit, modo, quem Deus noluit, subveniret, — *b)* (iuxta ordinem a Matth. relatum) ut vane ostentaret suam virtutem, — *c)* ut inordinate appeteret divitias.

Primum pertinet speciatim ad gulam et generatim ad concupiscentiam carnis, alterum ad superbiam vitae, tertium ad concupiscentiam oculorum.

Omnibus autem tentationibus id egit diabolus, ut Iesus proprio marte a via sibi divinitus assignata recederet.

A Luca *b* et *c* invertuntur (Cf. Luc. 1, 3 *ex ordine* καθεξῆς).

5 Christus unamquamque tentationem devicit diabolo obiiciendo verba s. Scripturae, sc. Deut. 8, 3; 6, 16; 6, 13.

Sensus Deut. 8, 3: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei* est: « Vita hominis non solo pane servatur; sed servari potest alio quovis modo, dummodo Deus voluerit. Proinde si Deus vult me carere pane et esurie exerceri, cum hac ipsa voluntate etiam vitam meam servabit: vel, ut Bar. explicat: non est opus hoc miraculo (quod diabolus proponit); nam Deus poterit alio quocunque voluerit modo in hac me eremo sustentare. Alii saepius accipiunt verba de observatione mandatorum Dei, in qua hominis vita perfecta consistat, vel sic: ad vitam homine dignam non solum cibus requiritur, sed prae cibo cura est habenda voluntatis Dei. Sed ad Deut. 8, 3 et contextum prima explicatio maxime convenit ». Knabenbauer [1].

§ VI. *De vitae ratione Christi propria.*

I. Christus non egit vitam solitariam et austeram, eo modo, quo Ioannes Baptista (Matth. 3, 4); sed *cum hominibus conversatus est*, et inter eos modeste ac moderate vixit, ita ut omnibus animum faceret familiariter ad se accedendi. Legitur enim e. g. Matth. 9, 10: *Et factum est discumbente eo* (Iesu) *in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum Iesu et discipulis eius.* Et ita quidem vivere fini incarnationis ac muneri Christi erat accommodatum.

II. Victum ac vestitum suum accommodavit ad mores nationis suae et temporis, a ceteris hominibus non differens usibus externis, sed virtutibus internis. A vita molli et delicata prorsus fuit alienus.

Luc. 7, 33. 34: *Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem neque bibens vinum; et dicitis: Daemonium habet. Venit Filius hominis, manducans et bibens; et dicitis: Ecce homo devorator et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum.*

[1] In Matth. tom. I, pag. 147.

§ VII. *De Christi transfiguratione* (Matth. 17, 1-9. Marc. 9, 1-8. Luc. 9, 28-36).

In transfiguratione Christus gloriam suam manifestavit tribus apostolis et testimonium accepit a Moyse et Elia, qui repraesentant legem et prophetiam. Hisce apostolorum fides est roborata et a Christo iis ac nobis exhibitum est quasi quoddam praeludium gloriae, ad quam per crucem et mortem paulo ante ab ipso commemoratam sit perveniendum.

1. In hac transfiguratione corpus Christi emisit splendorem substantia illius et figura alioquin immutatis. Et hac totius corporis claritate effectum est, ut vestitus eius esset *albus et refulgens* (Luc. 9, 29), seu velut nix (Marc. 9, 2) et lux (Matth. 17, 2: ὡς τὸ φῶς; Vulg. sicut nix).

2. In quo monte illud contigerit, est incertum. Vulgo putatur fuisse mons Tabor (Thabor), in Galilaea inter lacum Genesareth et oppidum Nazareth situs.

3. Videtur contigisse noctu. Nam legitur Luc. 9, 32: *Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno.* Et 37: *Factum est autem in sequenti die descendentibus illis de monte* etc.

4. Testes transfigurationis fuerunt quinque: Petrus, Iacobus (maior), Ioannes, eius frater (duo filii Zebedaei), Moyses (probabilius non assumpto corpore sibi proprio, sed aliquo alio, ad instar angelorum), Elias (in corpore proprio).

Moyses et Elias, repraesentantes legem et prophetiam, quae erant praeparatio et annuntiatio regni Messianici, praesentia sua indicarunt eum adesse, qui legis et prophetiae est finis.

5. Sicut in baptismo, ita etiam in transfiguratione Pater Filio suo testimonium exhibuit

ARTICULUS II.

DE CHRISTI PASSIONE AC MORTE ET EXALTATIONE.

§ I. *De passione ac morte Christi* (Matth. 26 et 27. Marc. 14 et 15. Luc. 22 et 23. Io. 18 et 19).

A. De gravitate passionis.

Passio Christi fuit *summa*, idque:

I. *Extensive.* Nam Christus passus est:

1. *A diversis hominum generibus:* a Iudaeis et gentibus (Matth. 20, 19), a nobilibus, imo principibus, ut Herode rege et

Pontio Pilato procuratore, et ignobilibus, ut militibus, ministris ac faece plebis, a sacerdotibus et laicis, ab inimicis et amicis, imo familiaribus, discipulis fugientibus, Iuda ipsum (triginta argenteis i. e. 65-75 Mark) vendente et osculo tradente, Petro ipsum coram omnibus ter negante.

2. *In omnibus, in quibus homines solent pati:*

a) In bonis externis. Privatus est enim rebus exiguis, quas possidebat, sc. vestimentis. Io. 19, 23. 24: *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (et fecerunt quatuor partes; unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit. Ut Scriptura* (Ps. 21, 19) *impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt.*

b) In fama et honore. Saepius enim iniuste est accusatus: coram Caipha principe sacerdotum (Matth. 26, 59-61), coram Pilato procuratore (Matth. 27, 12), coram Herode rege (Luc. 23, 10); multis ac variis ignominiis est affectus: est consputus, colaphis atque alapis caesus, ad ludibrium velatus (Marc. 14, 65) ac veste alba indutus (Luc. 23, 11), latroni postpositus (Matth. 27, 15-23), compluries denudatus, contumeliose flagellatus, per ludibrium coronatus ac rex consalutatus (Matth. 27, 26-30), ad crucem, supplicium servile, damnatus, loco aperto coram multitudine hominum inter duos latrones in cruce pendens a principibus et populo derisus, a militibus illusus (Luc. 23, 35-37), a praetereuntibus blasphematus (Matth. 27, 39).

c) In corpore. Passus est in capite punctione spinarum, in facie alapis et colaphis et sputis, in brachiis constrictione vinculorum (Marc. 15, 1), in dorso flagellis, in dorso simul et humeris pondere ac pressura crucis (Io. 19, 17), in manibus et pedibus fixione, in toto corpore violenta extentione in cruce facta eiusque sequelis.

Passus est quoque secundum omnes sensus: praeter tactum praesertim secundum visum: videndo inimicos furentes, matrem et amicos lugentes ac flentes, instrumenta, quibus erat torquendus; secundum auditum: audiendo irrisiones, accusationes, blasphemias; secundum gustum: perferendo ardentissimam sitim, etc.

d) In anima, quae affecta est pavore, tristitia, desolatione.

Marc. 14, 33. 34: *Et assumit Petrum et Iacobum et Ioannem secum; et coepit parere et taedere* (ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν = terrore percelli et moestitia vel fortasse taedio affici). *Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem;* i. e. tristitia, qua anima mea affligitur, tanta est, quae sufficiat ad vitam exstinguendam.

Luc. 22, 43. 44: *Apparuit autem illi angelus de coelo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius* (ἐκτενέστερον = intentius) *orabat. Et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram* (ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν).

Haec confortatio non fuit per modum instructionis, « sed per modum consolationis, quam poterat angelus inferiori parti humanae naturae conferre corpus exhaustum sublevando extrinsecus et supplendo illud solatium, quo intrinsecus ex divina dispositione tunc natura humana Christi carebat ». Pesch [1].

Deinde sudor sanguine mixtus guttis maioribus seu spissis (θρόμβος enim significat eiusmodi guttam) a facie Christi in terram defluxit.

Adverbium enim ὡσεί non inducit nudam comparationem, cum vix intelligi possit, quid haec sibi velit, et cur sudor, res omnibus nota, guttis sanguinis comparetur; sed dicitur, uti saepius in Scriptura (e. g. Io. 1, 14), ad rei veritatem efferendam; vel etiam inducitur comparatio contracta, ita ut sensus sit: Et factus est sudor eius, sicut est sudor, qui guttis sanguinis est permixtus.

Sudor ille sanguineus ortus est aut ex animi angoribus, ut plerique tenent, aut ex contentione, qua Christus illos impugnavit, ut sentit Cornelius a Lapide, aut ex utroque, ut merito censet Knabenbauer.

Matth. 27, 46: *Et circa horam nonam clamavit Iesus voce magna dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Cf. Ps. 21, 1.

Quo sensu Christus se derelictum esse dixerit, ex psalmo, cuius verba usurpavit, declaretur oportet. Breviter dici potest: Christus ita passus est, ac si a Deo esset derelictus: affectus summo moerore, omni consolatione privatus.

II. *Intensive.* Dolores corporis simul atque animi, quos Christus perpessus est, tam graves fuerunt, ut graviores a nullo umquam homine sint tolerati vel tolerandi (non fuerunt tam graves, ut graviores nullo modo esse potuerint).

[1] Tom. 4. n. 275.

1. Quod ad dolores *corporis* attinet:

a) Considerentur illi tantum *cruciatus*, ex quibus Christus proxime est mortuus: Clavi ferrei erant adacti per manus et pedes, membra maxime nervosa et propterea dolorum summopere impatientia. Pondus corporis pendebat clavis ligno infixis (fortasse additis funibus, uti alias fieri solebat) et dolorem continuo augebat. Vulnera clavibus excepta magis magisque inflammabantur. Totum corpus flagellis discissum et vulneribus obrutum, cum esset aëri expositum, vehementissima inflammatione cruciabatur. Omnes corporis musculi et nervi ipsa conditione corporis affixi saeve intendebantur. Hinc nulla respiratio, nullus anhelitus fieri poterat sine dolore. Sanguinis profusione sitis ardentissima accendebatur (Io. 19, 28). Diuturna extensione manuum et innaturali atque immota positione totius corporis naturalis circulatio sanguinis impediebatur, qui quidem sanguis nimium irruebat in caput et cor. Inde oriebantur gravissimi dolores suffocationis, angor intolerabilis etc.

« Der Tod trat nicht durch Verbluten ein, da das gerinnende Blut die Wunden bald schloss, sondern höchst wahrscheinlich durch die Rückwirkung der in stärkster Weise gereizten Nerven auf Gehirn und Rückenmark: mit einem Wort, es erfolgte der Tod durch Shock [1] ».

NB. Shock — Stoss ist der lähmende Einfluss einer plötzlichen heftigen Erschütterung, oder, wie hier, einer Verletzung einzelner grosser Nervenstämme oder zahlreicher Nerven auf die Herzthätigkeit.

b) Advertatur corporis dolores non solum pendere ex gravitate laesionis, sed etiam ex *dispositione patientis*. Iam vero, ut dicit s. Thomas [2], Christus « secundum corpus erat optime complexionatus, cum corpus eius fuerit formatum miraculose operatione Spiritus Sancti... et ideo in eo maxime viguit sensus tactus, ex cuius perceptione sequitur dolor ». Et s. Bonav. dicit [3]: « Quia nullus potuit ei aequari nec in aequalitate complexionis nec in vivacitate sensus, dolor illius omnium dolorum fuit acutissimus ».

2. Quoad dolores *animi* considerandum est tristitiam, quae est in voluntate, sequi cognitionem, quae est in intellectu. Cum

[1] Meyers Konversationslexicon, Aufl. 5, Bd. 10, S. 702.
[2] 3, q. 46, a. 6.
[3] Tom. 3, pag. 349.

autem cognitio in Christo perfectior fuerit, quam in ullo alio homine, « patet tristitiam Christi fuisse maximam, si obiectum quoque huius tristitiae erat maximum. Iam vero erat. Nam: *a) Christus tristabatur peccatis omnium hominum*, a primo peccato protoparentum usque ad ultimum, quod committetur, quae omnia distincte cognoscebat et sibi quasi suum debitum imposita videbat. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* (Is. 53, 6). Perspiciebat autem clarissime, quanta esset foeditas peccatorum et malitia in Deum, quem summe diligebat, et quantum malum pro hominibus, quos omnes carissimos habebat. Unde maiorem tristitiam sensit, quam omnes homines simul umquam de suis peccatis habuerunt aut habere possunt. — *b) Distincte cognoscebat totam passionem usque ad mortem acerbissimam et ignominiosissimam cum omnibus circumstantiis*, et dolebat de amissione vitae omnium pretiosissimae. Accedebat dolor compassionis cum doloribus matris suae et amicorum suorum. — *c) Videbat passionem suam innumerabilibus hominibus non solum saluti non fore, sed maiori etiam damnationi*, quae utique ratio acerbissimi doloris Christo erat (cf. Luc. 19, 41) ». Pesch [1].

B. De tempore, quo Christus mortuus est.

« Christus mortuus est *feria sexta* (Io. 19, 31). Quaestio autem est, utrum tunc fuerit primus dies paschatis an sequenti sabbato. Incredibile est Iudaeos summo die festo (Exod. 12, 16) ea omnia egisse, quae die passionis acciderunt; immo s. Ioannes diserte dicit Iudaeos hoc die nondum comedisse agnum paschalem, sed voluisse vespere comedere (Io. 18, 28), neque voluisse corpora manere in cruce sabbato, quia erat magnus dies festus (Io. 19, 31). Ergo celebrabant pascha die sabbati, et vespere feriae sextae comedebant agnum paschalem, id quod die 14. Nisan fieri debebat (Exod. 12, 18. Num. 9, 3).

Ex altera parte certum est Christum comedisse agnum paschalem vespere feriae quintae (Matth. 26, 19. 20). — Ergo aut ipse pascha anticipaverat, aut Iudaei ad proximum diem distulerant. Utraque sententia habet suos defensores; sed altera est probabilior, quia Lucas diserte dicit Christum comedisse agnum ea die, *in qua necesse* (i. e. lege praescriptum) *erat*

[1] Tom. 4, n. 490.

occidi pascha (Luc. 22, 7). Unde Christus mortuus esse videtur 15. die Nisan (25. Martii).

Hora mortis erat circiter *nona*, i. e. tertia post meridiem (Matth. 27, 46), unde Christus in cruce pependit ab hora circiter sexta, i. e. a meridie (Io. 19, 14), per tres fere horas. Marcus quidem dicit tempus crucifixionis fuisse horam tertiam (Marc. 15, 25). Sed hoc facile intelligitur inde, quod Romani tempus interiacens inter horam tertiam (i. e. nonam matutinam secundum nostrum loquendi modum) et meridiem modo computabant ad horam tertiam, modo ad horam sextam, neque haec computatio erat accurata, sed approximativa secundum positionem solis ». Pesch [1].

Matth. 27, 45. 46: *A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Iesus voce magna, dicens: Eli etc.* — Luc. 23, 44: *Erat autem hora fere sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam.* — Io. 19, 14: *Erat autem parasceve Paschae, hora quasi sexta, et dicit (Pilatus) Iudaeis: Ecce rex vester.* — Marc. 15, 25: *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.*

« Cum Apostoli non haberent solaria vel horologia, et insuper duratio horae pro vario anni tempore esset varia, utraque expressio: et hora tertia et hora quasi sexta, satis vaga est. Ioannem autem computasse horas ab ortu solis certum est (cf. 4, 6. 52) ». Knabenbauer [2]. — « Ex iis, quae legimus Matth. 27, 38-44 et Luc. 23, 34-44, oportet concludere Christum esse cruci affixum aliquo temporis spatio ante horam sextam ». Idem [3].

« Vulgaris procul dubio et communis fuit Iudaeis diei in duodecim horas partitio. Sed praeter hanc alia quoque in usu fuit, qua nimirum, sicuti nox in quatuor vigilias, ita dies in *quatuor quadrantes* dividebatur, quorum primus a prima ad tertiam, secundus a tertia ad sextam, tertius a sexta ad nonam, quartus a nona ad duodecimam extendebatur. Hic usus a templi consuetudine ortus esse videtur, ubi sacrificia et preces hora tertia, sexta et nona fieri solebant. Unde non alia fere horarum in divinis litteris nomina occurrunt, cum statarum precum mentio fit... (Cf. Act. 3, 1; 10, 3. 9). Inde horae illae celebratae ut vulgo notiores, et quidquid inter illas evenit, nunc ad hanc nunc ad illam velut ad terminum relatum est, ut speciminis gratia fit Act. 2, 15... Atque huc etiam omnino pertinere videtur, quod Evangelistae de passione Domini agentes horas tertiam, sextam et nonam indicent. Quare Marcus et Ioannes... illum diei quadrantem designant, qui incipit a tertia hora et desinit in sextam; non diversum igitur, sed idem prorsus tempus notant, solum quod Marcus eius denominationem a termino sumit, a quo incipit, Ioannes vero a termino, in quem desinit ». Stentrup [4].

[1] Tom. 4, n. 493. 494.

[2] Comment. in Io. pag. 587.

[3] Comment. in Marc. pag. 414.

[4] Soteriologia, vol. II. pag. 16.

C. De convenientia passionis ac mortis Christi.

I. *Quantum ad multitudinem et acerbitatem dolorum.* Christus tot ac tanta pro nobis patiendo 1. ostendit, quanta sit dilectio sua erga nos homines peccatores, et nos efficacissime incitat ad se redamandum; 2. demonstrat, quanta sit malitia peccatorum, et nos ab iis committendis refrenat; 3. indicat, quantae dignitatis quantique pretii sit anima humana, et hominem impellit ad eius saluti providendum; 4. dat nobis perfectissimum exemplum virtutum: patientiae, constantiae, obedientiae, humilitatis, caritatis etc.

II. *Quantum ad mortem et eam quidem crucis.* 1. Conveniens fuit Christum *mori*. Nam: *a)* Pro nobis satisfecit ac meruit, ut destrueret aeternam mortem animae et etiam mortem corporis, quibus peccato sumus addicti. Quod quidem aptissime fecit ipsam poenam mortis pro nobis subeundo (1. Petr. 3, 18. Hebr. 2, 14. 15). — *b)* Corporaliter moriendo factus est nobis exemplum moriendi spiritualiter i. e. revocandi animum a peccato (Rom. 6, 9-11).

2. Conveniens fuit Christum mori *in cruce*. Nam:

a) Spectata gravitate poenae crucis: Accommodate ad gravitatem ac malitiam peccatorum nostrorum secundum quid infinitam Redemptor noster ad ea luenda subire voluit supplicium et atrocissimum et turpissimum. Sed inter omnia supplicia, quae tunc temporis sive ex lege sive ex consuetudine constituebantur, nullum erat atrocius, nullum turpius, quam supplicium crucis. Quapropter in imperio Romano hoc supplicio non solebant plecti Romani cives, sed servi, et ii quidem rei criminum graviorum, ut seditionis et latrocinii, unde et ipsum quasi nomine proprio vocabatur supplicium servile.

b) Spectata maledictione legis: Christus pendens in cruce factus est pro nobis maledictum iuxta illud Deut. 21, 23: *Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno* (hebr. maledictio Dei est suspensus); et ita maledictionem a nobis sustulit.

Gal. 3, 13: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* «Suspensio (cadaveris hominis lapidati) in ligno, quam lex mosaica (interdum ad poenam aggravandam) statuit, ostendit eum, qui hanc poenam sustinuit, criminis reum, quo a Deo maledici meritus est; ac similiter crux Christum ostendit peccatis onustum, quibus a Deo maledici merebatur. Verum eadem ratione,

qua peccatis, etiam maledicto est onustus; non propria peccata, sed nostra in crucem tulit, nec propriam proinde, sed nostram maledictionem sustinuit: pro nostris peccatis mortem subiens et nostram maledictionem in se suscipiens peccata nostra delevit et maledictionem nostram abstulit». Cornely[1]. «Eadem (autem) ratione Christus dicitur *factus maledictum*, quo etiam *factus peccatum* est (2. Cor. 5, 21); sicut enim omnia totius mundi peccata innocentissimus in se suscipiens non tam *peccator* quam *peccatum* ipsum videri voluit, ita quoque omnium maledictionem in se suscipiens non tam *maledictus* quam *maledictio* videri voluit, i. e. vir maledictissimus, in quo praeter maledictionem nihil inveniretur». Idem[2].

c) Spectata materia crucis: Adam manus porrigendo in fructum deliciosum de ligno viridi sumptum est a diabolo victus, Deum offendit, vitam aeternam perdidit: Christus manibus extensis pendendo in clavis exitiosis ligno arido adactis diabolum vicit, Deum placavit, vitam aeternam restituit. Unde apte recitatur in Praefatione Passionis: «Ut, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur»; et in respondente hymno: «Ut medelam ferret inde, hostis unde laeserat».

Lignum crucis respondet quoque multis figuris, ut *arcae Noe* de lignis laevigatis factae (Gen. 6, 14); *virgae ligneae Moysis*, qua hic Pharaonem devicit (Exod. 7, 9 sqq.), mare divisit et per hoc populum Dei liberavit (Exod. 14, 16), undam de petra elicuit (Exod. 17, 5. 6); *ligno a Moyse in aquam amaram immisso* eamque dulcem reddente (Exod. 15, 25); *arcae foederis* de lignis compactae (Exod. 25, 10).

d) Spectata figura crucis: Generatim crux in quatuor extremitates exiens significat redemptionem in ipsa peractam esse universalem eiusque virtutem quoquoversus diffundi. — *Specialim* pars erectae crucis superior sursum spectans indicat redemptione illa Deum placari et coelum aperiri; pars eius inferior deorsum spectans innuit eadem redemptione regnum diaboli concuti et animas in limbo Patrum detentas salvari; lignum transversum significat redemptionem referri ad omnes homines per totum orbem terrarum sparsos.

e) Spectata positione atque habitudine Crucifixi: Quod Christus *in altum elatus* est, indicat eum homines desideriis carnalibus in terra iacentes per gratiam redemptionis et exemplum suum ad altiora trahere (Io. 12, 32). Quod habet *brachia*

[1] Comment. in Gal. ibi (pag. 489).
[2] Ibidem (pag. 488).

extenta, est, si Deus respicitur, signum precationis (speciatim elevationis mentis ad Deum et vehementis desiderii. — Exod. 17, 11. Paralip. 6, 12. 1. Esdr. 9, 5), quam Christus in cruce pendens fecit corde et ore et opere; si homines respiciuntur, est signum invitationis, placationis, amicitiae.

Christus in cruce suspensus adimplevit quoque figuram serpentis aenei, cuius aspectu ii, qui morsibus serpentium erant violati, sanitati sunt restituti (Num 21, 8. 9. Io. 3, 14).

III. *Quantum ad circumstantias:* 1. *Loci.* Christus convenienter passus est:

a) Hierosolymis. Nam: α) Ierusalem significat civitatem pacis, ubi apte ille mortuus est, qui ut princeps pacis (Is. 9, 6) morte sua hominibus meruit pacem habendam cum Deo, cum se ipsis, cum aliis. — β) Ierusalem erat locus a Deo electus ad sibi offerenda sacrificia veteris legis, quae omnia erant figurae sacrificii Christi, unde et hoc convenienter ibidem est oblatum. — γ) Ierusalem erat urbs celeberrima ac frequentissima incolis, in qua Christus in publicam contemptionem voluit adduci, ut nostram superbiam lueret et ambitionem.

b) Extra portam. « Sicut sacrificium, quod pro delictis totius populi offerebatur, extra castra cremandum erat (Lev. 16, 15. 27), etiam Christus morte sua sanctificaturus totum populum extra portam passus est (Hebr. 13, 11. 12), ut doceret populum suum extra castra huius mundi exire et improperium Christi portando aliam civitatem coelestem quaerere (ibid. 13, 14) ». Pesch. [1].

c) In Golgatha i. e. calvaria (Luc. 23, 33: καλούμενον κρανίον), quae erat collis haud altus, nudus atque infecundus, ob hanc infecunditatem simile peccati, ad quod expiandum Christus mortem subiit.

Golgatha est forma graeca nominis hebraici Gulgolet. Quod nomen collis ille verisimiliter accepit ex forma sua simili calvae seu calvariae; non ex eo, quod fuisset locus, in quo damnati capitali crimine supplicio punirentur, et in quo decollatorum crania iacerent, uti senserunt s. Hieronymus aliique veteres multi, cum recentiores communiter negent Iudaeos habuisse certum suppliciorum locum. — Calvaria tempore Christi sita erat extra et iuxta urbem in regione inter septentriones et occasum solis spectante: nunc est intra urbem, comprehensa aede sacra Christi sepulti memoriae dicata. —

[1] Tom. 4, n. 485.

Perpetuo iugo iuncta est monti « Moria », in quo Abraham filium suum unigenitum, Christi figuram, erat sacrificaturus, et in quo positum erat Iudaeorum templum. — Iuxta antiquam traditionem facies Christi crucifixi erat aversa ab urbe et conversa ad aestivum solis occasum, id quod significare potest reiectionem Iudaeorum (Ierem. 18, 17. Ps. 65, 7) et electionem gentium (Roma — cursus propagationis religionis Christianae!).

2. Quantum ad circumstantias *temporis*. Christus convenienter mortuus est:

a) Aetate florente triginta trium circiter annorum, quia α) moriendo aetate robustiore ac statu perfectiore Deo perfectius obtulit sacrificium et nobis magis ostendit suam caritatem; — β) Adam in eodem aetatis flore peccavit.

b) Verno, tempore serendi, ubi apte facta est sementis aeternae hominum salutis.

c) Tempore paschali, quo celebrabatur memoria liberationis populi Israel e servitute Aegyptiaca, figura servitutis daemoniacae, e qua per mortem Christi liberamur; et quo immolabantur agni paschales, qui erant typus Christi (Marc. 14, 2. Luc. 22, 7).

Iuxta sententiam meliorem supra indicatam Christus, verus Agnus Dei, in Calvaria etiam eodem die, immo eadem hora sacrificatus est, quo die et qua hora in templo immolabantur agni typici (anno illo celebratione festi Paschatis a synedrio in diem sequentem, sc. sabbatum dilata).

d) Die hebdomadis sexto, quia die sexta hexaëmeri homo est creatus et fortasse etiam lapsus.

3. Quantum ad *alias* circumstantias.

a) Christus crucifixus et mortuus est *inter duos latrones*, ex intentione quidem Iudaeorum, ut ipse appareret inter sceleratos sceleratissimus, ex intentione autem Dei, ut ipse appareret oneratus peccatis hominum, et ut crux tunc iam appareret tribunal iudicis, ad cuius dexteram aut sinistram aliquando staturi sint omnes homines salvandi aut damnandi.

b) Dirigente providentia divina cruci affixus est *titulus*, quo tribus praecipuis linguis Iesus declaratus est rex Iudaeorum, i. e. filiorum spiritualium Abrahae, patris omnium credentium (Rom. 4, 11).

c) Iesus immediate ante mortem *voce magna clamavit*. Legitur enim Matth. 27, 50: *Iesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum*. Dixit autem alta voce: *Pater*,

in manus tuas commendo spiritum meum (Luc. 23, 46). Christus in ipso extremo spiritu supra naturam humanam magna voce clamando declarat se esse plus quam languentem hominem seque vitam suam ponere, quia ipse libere velit (Io. 10, 18).

Hoc etiam eo significatur, quod Christus prius caput inclinavit, et deinde animam efflavit, iuxta illud Io. 19, 30: *Et inclinato capite tradidit spiritum.*

D. De rebus mirabilibus, quae Christo patiente et mortuo contigerunt.

I. Christo in cruce pendente *tenebrae* sunt factae. Matth. 27, 45: *A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram* (ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν) *usque ad horam nonam.*

1. Terra fuisse videtur solummodo terra Iudaea, ut iam censuerunt Orig. et Cypr., cum, ut praetermittantur aliae rationes, s. Matthaeus ad orbem terrarum significandum uti soleat voce κόσμου (mundi), ut 4, 8; 16, 26; 26 13.

Quae afferuntur ad probandum tenebras tunc temporis etiam extra Palaestinam esse factas, hoc non evincunt. Defectionem enim solis, quam anno 202. olympiadis i. e. anno 19. Tiberii imperatoris meridie factam esse *Phlegon* (Trallianus, libertus Hadriani imp.) testatur, ex computatione referunt ad diem 24. mensis Novembris anni 29. p. Chr. — *Tertullianus* quidem scribit in Apologetico cap. 21: « Eodem momento dies medium orbem signante sole subducta est; deliquium utique putaverunt, qui id quoque super Christo praedicatum non scierunt, et tamen eum mundi casum relatum in arcanis (al. archivis) vestris habetis ». « Sed cum ipse dicat: deliquium putaverunt etc., nihil aliud videtur asserere nisi de solis defectione imperium tenente Tiberio exstare documentum in archivis, vel quod *Calm.* opinatur acta illa esse fortasse litteras Pilati ad Tiberium datas ». Knabenbauer[1].

2. Cum tempore mortis Christi esset plenilunium, solis eclipsis, quae iuxta naturam rerum solummodo fit tempore novilunii, naturaliter fieri non potuit. Hinc tenebrae illae *supernaturaliter* sunt effectae; quomodo, ignotum est. Origenes rationabiliter sentit eas esse factas adductis densis nubibus.

3. Tenebrae illae fuerunt: *a)* Signum *tristitiae,* sole iustitiae tunc obeunte, sicut e contrario eo exorto nox claritate Dei est illuminata (Luc. 2. 9). — *b)* Signum *divinae irae* et abominationis, ipsa natura sensu experte nefandum scelus po-

[1] Comment. in Matth. tom. 2, pag. 582.

puli Dei quasi exhorrescente. — *c)* Signum *caecitatis Iudaeorum*, tam eius, qua Iesum, lucem mundi (Io. 8, 12), repudiarunt, quam eius, cui in poenam huius facinoris sunt obligati.

II. Christo e vita egresso *velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt* (Matth. 27, 51).

1. *Velum* (aulaeum), quod scissum est, iuxta opinionem multo communiorem fuit illud, quod dependebat ante sanctum sanctorum, seu velum interius; non fuit illud, quod dependebat ante sanctum, seu velum exterius. Quae quidem scissio, praeterquam quod potest haberi signum tristitiae (Gen. 37, 34) et indignationis (Matth. 26, 65), significat morte Christi veram expiationem esse peractam, legem cultumque veterem abrogari, additum ad sanctuarium coeleste omnibus hominibus aperiri (Hebr. 10, 19).

2. *Terrae motu*, quo etiam petrae scissae sunt, Iesu sublimitas et munus ferendi leges ac iudicandi declaratur, cum in vetere foedere eodem motu Deus se ut sublimissimum et legislatorem ac iudicem manifestare consueverit (cf. Ps. 67, 8. 9; 96, 4; 97, 7; 98, 1; 113, 6. 7. Ioel 2, 10; 3, 16. Mich. 1, 3. 4). Significatur quoque virtus mortis Christi, qua animi etiam durissimi emolliuntur atque scinduntur.

Hodie quoque in Golgatha cernitur magna fissura, quae non sequitur venas saxi, sed, ut naturaliter nunquam fit, contra eas per transversum est facta.

E. De iis, quae circa corpus Christi mortui facta sunt.

I. *Crura* Christi *non* sunt *fracta*, sed latus eius est percussum. Io. 19, 31-34: *Iudaei ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Venerunt ergo milites; et primi quidem fregerunt crura et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed unus militum lancea latus eius aperuit* (ἔνυξε), *et continuo exivit sanguis et aqua.*

1. Per hoc, quod crura Christi manserunt inviolata, servata est similitudo inter Agnum Dei verum et agnum paschalem typicum. Unde scriptum est Io. 19, 36: *Facta sunt enim haec,*

ut Scriptura (Exod. 12, 46 Num. 9, 12) *impleretur: Os non comminuetis ex eo* (agno paschali, cum secus aliquid eius facile potuerit disperdi et in manus hominis profani devenire). Praeterea decebat corpus Christi passione completa tractari cum reverentia, et compositionem ossium eius relinqui integram.

2. *Latus* Christi *a)* a milite *transfixum* est, ut sibi exploratissimum esset, utrum Christus re vera iam exspirasset an exspirasse solummodo videretur; — *b)* simulatque perforatum est, effudit *sanguinem et aquam*, idque ita, ut utrumque clare videri ac discerni potuerit.

Utrum latus Christi laevum percussum sit an dexterum, utrum e latere percusso prius effluxerit sanguis et deinde aqua an simul sanguis et aqua, utrum haec effluxerint guttatim an copiose, naturaliter an supernaturaliter: haec omnia ab hagiographo non indicantur.

« Dubium vix est, quin in hoc eventu miraculi quidquam intervenerit, saltem in aqua...

Aliqua naturalis conditio, cui res miraculosa aquae effluentis quasi superstruitur, cerni potest in pericardio, quo cor involvitur; nam in spatio, quod corde non impletur, continet pericardium liquorem pericardii, fere dimidiam unciam. Pericardio itaque laeso liquor ille effluxit.

Alii rem explicant distinctione facta inter serum et placentam; per mortem enim sanguinis coagulati globulos separatos a liquore, quem serum vocant, una cum sero, quod maximam partem aquae continet, effluxisse; at serum tamen proprié aqua non est, sicuti etiam ille liquor pericardii viscosus est et minime fluit sicut aqua ». Knabenbauer [1].

Iam vero secundum verba Scripturae tenendum est verum sanguinem et veram aquam e latere aperto effluxisse; idque eo magis est tenendum, quia Innocentius III. damnavit [2] errorem, qui docet id, quod ex illo latere exierit, non fuisse veram aquam, sed humorem phlegmaticum.

Aqua illa, ut satis communiter tenetur, significatur baptismus Christianus, sanguine eucharistia; his duobus sacramentis, quorum prius est sacramentum maxime necessarium et ianua, qua intratur in Ecclesiam, alterum sublimissimum, ipsa repraesentatur Ecclesia, unde *Conc. Vienn.* dicit: Verbum emisso iam spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, ut exinde profluentibus undis aquae et sanguinis formaretur unica et immaculata ac virgo sancta mater Ecclesia, coniux Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in coniugium est formata, ut

[1] Comment. in Ioann. pag. 553.

[2] Decret. Greg. IX. lib. 3, tit. 41, c. 8.

sic certae figurae primi et veteris Adae, qui secundum Apostolum (Rom. 5, 14) est forma futuri, in nostro novissimo Ada, i. e. Christo, veritas responderet (D. 408).

II. *Corpus* Christi mortui: 1. Linteis involutum, aromatibus ex more Iudaeorum abunde additis, *positum* est in novo monumento exciso de petra in horto sita, ubi inde a sabbato a militibus Romanis (Matth. 28, 14) est custoditum. Matth. 27, 57-66. Marc. 15, 42-47. Luc. 23, 50-55. Io. 19, 38-42.

Monumentum illud, quod possidebat Ioseph, ab Arimathaea civitate Iudaeae oriundus, nobile membrum synedrii et occultus discipulus Iesu, erat cella petraea, parva atque obscura, super solum posita, in cuius recessu cavo erat scamnum saxeum, ad recipiendum corpus excavatum.

Christum *sepeliri conveniens* fuit *a)* ad comprobandam mortis Christi veritatem, quia iuxta Marc. 15, 44. 45 Pilatus, ut Christus sepeliretur, tum demum permisit, cum a centurione arcessito eum iam mortuum esse didicerat; — *b)* ad nobis confirmandam spem etiam aliquando e sepulchris surgendi; — *c)* ad mystice significandam nostram sepulturam spiritualem (Rom. 6, 4. Col. 3, 3).

2. Habebat quidem mortuorum pallorem, torporem rigoremque, tamen *nullatenus coepit dissolvi* ac tabescere (Act. 2, 27. Ps. 15, 10), id quod Christum dedecuit, cum oriatur ex infirmitate naturae, quae partes corporis continere amplius non potest (S. Thom.[1]).

§ II. *De exaltatione Christi.*

A. De descensu animae Christi ad inferos.

Nota. Triduum mortis Christi est in confinio status exinanitionis et status exaltationis; unde spectari potest ut complementum status exinanitionis et ut transitus ad statum exaltationis. Considerato Christi corpore primario pertinet ad statum exinanitionis; secundario autem, quatenus corpus Christi exanime non coepit dissolvi ac tabescere, spectari potest ut transitus ad statum exaltationis. Sed considerata Christi anima primario pertinet ad statum exaltationis; secundario autem, in quantum anima Christi triumphans non erat unita cum corpore etc., potest spectari ut complementum status exinanitionis.

1. Anima Christi e corpore egressa secundum substantiam descendit ad inferos, ut continetur in symboli Apostolici forma consueta et in symbolo Athanasiano.

[1] 3, q. 51, a. 3, c.

Illud non continetur in symboli Apostolici formis Romana aut Africana; continetur in formis Aquileiensi, Hispanica, Gallicana (« ad inferna »).

1. Inferi, inferus, infernus, graece ᾅδης (ep. ἀΐδης), hebr. scheôl, significat generatim regiones destinatas ad recipiendas animas defunctorum, quae non vel nondum sunt admissae in coelum.

In Scriptura scheol exhibetur ut locus, qui est sub terra seu in profundis (Gen. 37, 35. Num. 16, 30-33. Prov. 9, 18. Is. 14, 9 sqq).

Regiones illae distinguendae sunt quatuor: gehenna damnatorum, nunc sola fere infernus appellari solita, limbus puerorum, purgatorium, limbus Patrum (Vorhölle, in symbolo: Hölle), in quem olim (i. e. antequam Christus in coelum ascendit) tales animae admittebantur, quales nunc admittuntur in coelum, sc. neque ulli peccato neque ulli peccati poenae obnoxiae. Iuxta Scripturam ibi fruebantur quiete et pace et consolatione.

Sap. 3, 2. 3: *Visi sunt* (iusti) *oculis insipientium mori... illi autem sunt in pace.* 4, 7: *Iustus autem, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio* (ἐν ἀναπαύσει = in quiete) *erit.* Luc. 16, 25: *Nunc autem hic* (Lazarus) *consolatur.* — A Christo (Luc. 16, 22) vocatur sinus Abrahae, quippe qui sit pater credentium.

2. Anima Christi secundum substantiam certe non descendit in gehennam aut in limbum puerorum; certe descendit in *limbum Patrum;* num descenderit in purgatorium, dubium est; a s. Thoma negatur [1].

Dictum est: *secundum substantiam* quia cum eodem s. Thoma merito dici potest Christum *secundum effectum* seu efficaciam descendisse et in gehennam et a fortiori in purgatorium: in gehennam per hoc, quod diabolus et angeli eius Christo redemptione peracta victore descendente confusi sunt; in purgatorium per hoc, quod sufficienter purgati tunc ab eo in limbum Patrum sunt admissi [2].

Christi animam secundum substantiam ad inferos descendisse non solum *negarunt Apollinaristae,* quippe qui Christo animam rationalem non adscripserint, sed etiam alii multi, e quibus *Abaelardus et Durandus* putaverunt descensum illum factum esse sola virtute et potestate, *Calvinus* docuit eum intelligendum esse internam Christi tristitiam et agoniam, alii censuerunt eum esse idem ac mortem *(Arminius)* aut sepulturam *(Beza),* alii senserunt eo significari caritatem, quam Christus habet erga peccatores *(Marheineke)* etc.

[1] 3, q. 52, a. 2, c.
[2] Ib. a. 8, c.

II. Animam Christi ad inferos descendisse:

1. Indicatur in *Scriptura*, et quidem: *a)* Matth. 12, 40: *Sicut... fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae* (ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς) *tribus diebus et tribus noctibus.* Cor terrae minus apte intelligitur sepulchrum Christi, aptissime generatim infernus et speciatim limbus Patrum. Nam α) cor est in interioribus animalis; sepulchrum Christi non erat in interioribus seu visceribus terrae; limbus autem Patrum in Scriptura describitur situs in terrae visceribus. — β) Ion. 2, 4 profundum maris vocatur maris cor; ergo similiter cor terrae est terrae profundum, non superficies. — γ) Ita illud intelligitur a Tertull., Iren., Cypr., Ephrem, aliis.

b) Act. 2, 29-31: S. Petrus citatis verbis Ps. 15, 10: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* ostendit ea non proprie valere de David, sed de Christo, *quia*, inquit v. 31., *neque derelictus est in inferno* (εἰς ᾅδου), *neque caro eius vidit corruptionem.* « Itaque hic claris verbis docetur post mortem Christi et ante resurrectionem animam eius fuisse εἰς ᾅδου, verum ibi non derelictam sed in resurrectione ad corpus revocatam esse. Cum sensus verborum sit perspicuus, mirum non est, quod non solum omnes Catholici sed etiam plurimi Protestantes textum explicant de vero descensu animae Christi in infernum. Et re vera aliae explicationes obvium sensum verborum detorquent ». Pesch [1].

c) Eph. 4, 9. 10: *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terrae* (εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς.)? *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.* Iuxta haec verba Christus, ut impleret omnia, sc. sua potestate, seu ut potestatem suam ubique ostenderet, et descendit in inferiores partes terrae et ascendit super omnes coelos. Iam vero hic ascensus intelligendus est et ab omnibus intelligitur ascensus localis, ergo et ille descensus intelligatur oportet descensus localis, ut ex ipsa oppositione satis apparet.

d) 1. Petr. 3, 18-20: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est,... mortificatus quidem carne, vivificatus autem*

[1] Tom. 4, n. 500.

spiritu (πνεύματι), *in quo* (spiritu) *et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit* (ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν), *qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam* (ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία = quando eos exspectabat patientia Dei) *in diebus Noe*. Christus igitur in spiritu i. e. secundum animam profectus est ad animas ante mortem conversas et post mortem in carcere (custodia) detentas, iisque nuntium peractae redemptionis attulit (cf. 4, 6), i. e. fructum redemptionis communicavit.

2. Exhibetur *continua traditione*, ut apparet e scriptis ss. Patrum (Iren., Athan., Cyrilli Hieros., Epiph., Tertull., Leonis M. etc.), actis martyrum, hymnis ecclesiasticis, liturgiis etc., ita ut iam s. Aug. potuerit dicere[1]: « Quis ergo nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum »?

3. Suadetur *rationibus congruis*. « Conveniens fuit Christum ad infernum descendere: Primo quidem, quia ipse venerat poenam nostram portare, ut nos a poena eriperet... Ex peccato autem homo incurrerat non solum mortem corporis, sed etiam descensum ad inferos. Et ideo, sicut conveniens fuit eum mori, ut nos liberaret a morte, ita conveniens fuit eum descendere ad inferos, ut nos a descensu ad inferos liberaret... Secundo, quia conveniens erat, ut victo diabolo per passionem vinctos eius eriperet, qui detinebantur in inferno (sc. animas in limbo Patrum detentas, quarum status erat sequela peccati a diabolo orti)... Tertio, ut sicut potestatem suam ostendit in terra, vivendo et moriendo, ita etiam potestatem suam ostenderet in inferno, ipsum visitando et illuminando ». S. Thomas[2].

III. Anima Christi, simulatque in limbum Patrum descendit, iuxta communem sententiam theologorum animabus in eo detentis *contulit lumen gloriae*, id quod etiam a ss. Patribus implicite docetur. Hi enim dicunt Christum ad inferos descendisse, ut animas ibi commorantes salvaret[3], redimeret[4], in salutem assereret[5], compotes sui faceret[6], ut eorum vincula

---

[1] Ep. 104. ad Evod. c. 2, n. 3.
[2] 3, q. 52, a. 1, c.
[3] *Iren.* adv. haer. l. 5, c. 31.
[4] *Cyrill. Hieros.* catech. c. 4, n. 11.
[5] *Epiph.* haer. 69, n. 62.
[6] *Tert.* de anima, c. 4.

disrumperet [1] etc. Sed hae animae in locum illum, qui coelum vocatur, non sunt introductae nisi quadraginta tribus diebus post, cum ipse Christus eo ascendit (Eph. 4, 8). Ergo illa verba ss. Patrum solummodo de liberatione a poena damni seu de collatione luminis gloriae apte possunt intelligi.

IV. Anima Christi in limbo Patrum *mansit usque ad resurrectionem*, id quod colligitur ex Matth. 12, 40 supra citato et docetur a ss. Patribus (Iren., Tertull. etc) omnibusque theologis.

B. De resurrectione Christi.

I. Christus mane tertii post mortem suam diei propria virtute redivivus e sepulchro clauso prodiit.

1. Ille dies fuit primus dies hebdomadae. Legitur enim Marc. 16, 9: *Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalene*, ubi sabbatum, sicut etiam Luc. 18, 12 (et pluries, quando in textu graeco habetur in numero plurali) hebdomadam significat.

Luc. 18, 12 Pharisaeus orabat dicens: *Ieiuno bis in sabbato.*

Qui quidem primus dies hebdomadae re vera fuit tertius dies post Christi mortem. Nam habita ratione computationis Iudaeorum primus dies, quo Christus erat exanimus, idque ab hora circiter tertia postmeridiana usque ad vesperum, fuit feria sexta; secundus dies, per quem exanimus erat, fuit sabbatum; tertius dies, quo erat exanimus a tempore vespertino usque ad tempus matutinum, fuit feria prima hebdomadae sequentis. Sic Christus re vera tribus diebus fuit mortuus; non autem per tres dies.

Neque obstat, quod a Christo praenuntiatum est se fore mortuum tribus diebus *et tribus noctibus* (Matth. 12, 40) seque resurrecturum esse *post* tres dies (Marc. 8, 31).

Nam: *a)* Tribus diebus et tribus noctibus significantur tres dies *civiles*; seu: per id, quod diebus adiunguntur noctes, indicatur dies intelligendos esse non naturales (noctibus oppositos), sed civiles. Cum enim dies civilis seu spatium 24 horarum, a Graecis vocetur uno nomine νυχθήμερον (= nox — dies) vel etiam ἡμερονύκτιον (= dies nox), ab Hebraeis vocatur duobus nomi-

[1] *Athan.* de incarn. Dom. n. 13.

nibus (per va = et [vav copulativum] secundo nomini praefixum coniunctis) « jom valajelā » et consequenter a Graecis hebraizantibus (etiam a Septuag.) ἡμέρα καὶ νύξ (in Vulg. dies et nox).

Cf. 1. Reg. 30, 12 (*tribus diebus et tribus noctibus*). 13 (*nudius tertius*). 3. Reg. 19, 8 (Elias *ambulavit... quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb*). — Tob. 3, 10. 12. Esth. 4, 16; 5, 1. Iob 2, 13. — 2. Cor. 11, 25 νυχθήμερον a Syro et Latino vertitur: nocte *et* die.

b) « Post *tres dies* » ad modum loquendi non quidem exactum, sed populo, maxime Iudaico, usitatum idem significat ac « *tertio die* post »; et quidem non solum tertio die post diem, quo aliquid evenit, sed etiam tertio die post ipsum eventum (ita ut ea diei, quo illud evenit, pars, quae post eventum restat, accipiatur primus dies post eventum). Unde Pharisaei dixerunt Pilato Matth. 27, 63. 64: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum* USQUE IN DIEM TERTIUM.

Cf. Deut. 14, 28 iuxta textum Septuag. (Μετὰ τρία ἔτη) et 26, 12 (τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ).

Ceterum Christum saepius et aperte praedixisse se resurrecturum esse die *tertio* patet ex Matth. 16, 21; 20, 19. Marc. 10, 34. Luc. 9, 22; 18, 33; 24, 7. Et Io. 2, 19 Christus exhibetur dicens: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Unde iuxta Marc. 15, 29 *praetereuntes blasphemabant eum... dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reaedificas.*

2. Christum resurrexisse *propria virtute:*

a) Sic est intelligendum: α) Christus non ut homo, sed ut Deus est causa resurrectionis suae principalis. Consequenter eodem pacto, quo dici potest Christum (ut Deum) se ipsum suscitasse, potest dici Christum (ut hominem) a Deo esse suscitatum (Act. 2, 24). — β) Anima humana Christi ad resurrectionem ipsius ut instrumentum Divinitatis videtur concurrisse, eodem iure et modo, quo ad miracula in aliis hominibus patranda concurrit; proinde aliis theologis tantummodo moraliter, aliis etiam physice concurrisse videtur. Cf. pag. 325.

b) Constat ex verbis Christi. Io. 2, 19: *Respondit Iesus et dixit eis: Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (21: *Ille autem dicebat de templo corporis sui*). — Io. 10, 17. 18: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me*

ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.

3. Christum redivivum prodiisse e sepulchro *clauso*, et saxum ad ostium monumenti advolutum (Matth. 27, 60) ab Angelo esse amotum *post* Christi resurrectionem a ss. Patribus ac theologis communiter docetur et congruit cum narratione evangelica (Matth. 28, 2-6).

II. Resurrectio Christi fuit summe conveniens:

1. *Spectata in se:*

a) Respectu *Christi*, et quidem: α) Ratione Christi *corporis*. Hoc enim erat cum Verbo hypostatice unitum, seu erat corpus Dei. Quod, cum vita non esset privatum nisi ad peragendam generis humani redemptionem, hac peracta rursus erat vita donandum. — β) Ratione Christi *humiliationis*. Christus se humiliavit usque ad ignominiosam mortem; unde exaltandus erat ad gloriosam vitam. — γ) Ratione Christi *victoriae*. Christus morte sua devicit *eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum* (Hebr. 2, 14); unde Christum dedecuit morte detineri; e contrario decuit victoriam eius ex diabolo et morte relatam signari gloriosa ipsius resurrectione.

b) Respectu *nostri:* Per resurrectionem Christi nobis: α) *Roboratur fides*. Resurrectio enim Christi efficacissime probat religionem ab ipso promulgatam originis esse divinae (1. Petr. 1, 21). — β) *Erigitur spes*. Credendo enim Christum, qui est caput nostrum, se ipsum a mortuis suscitasse facile speramus fore, ut ipse etiam nos, sua membra, aliquando resuscitet (1. Thess. 4, 13 sqq. 1. Petr. 1, 3. 21). — γ) *Repraesentatur resurrectio nostra spiritualis*. Sicut enim mors Christi interitum hominis veteris significat, ita resurrectio Christi ortum hominis novi repraesentat (Rom. 6, 4).

2. *Spectata in circumstantiis* loci et temporis. Christi resurrectio convenienter facta est:

a) In horto (Io. 19, 41). Nam in horto (paradiso) genus humanum morti factum est obnoxium: in horto eadem mors a Christo resurgente devicta est.

b) Primo die hebdomadae. Nam primo die mundi post tenebras *facta est lux* (Gen. 1, 3): primo die hebdomadae e sepulchri tenebris prodiit Christus, lumen mundi, gestans corpus supernaturali claritate ornatum et mundum luce suae religionis illustraturus.

c) « *Circa diluculum*, illucescente iam die, ad significandum, quod (Christus) per suam resurrectionem nos ad lucem gloriae inducebat; sicut mortuus est advesperascente iam die et recedente in tenebras, ad ostendendum, quod per suam mortem destrueret tenebras culpae et poenae ». S. Thom.[1].

d) Paucis post mortem diebus seu neque continuo neque ita longe post mortem, ne ex una parte mors Christi in dubium vocaretur, neve ex altera parte ipse resurrexisse videretur virtute non propria.

III. Corpus Christi redivivi fuit et est integrum atque perfectum et iisdem dotibus supernaturalibus ornatum, quibus post universalem resurrectionem corpora omnium iustorum ornabuntur; et iis quidem ornatum est pro perfectione visionis beatificae ipsius animae.

1. Quia corpus Christi post resurrectionem est integrum atque perfectum, in eo sunt *omnes partes organicae*, quae tam ad vitam vegetativam quam ad vitam sensitivam pertinent. Sed, cum hae functiones suas habeant, *illae functiones suas non habent.*

Huic vero obstare videtur, quod iuxta Luc. 24, 43 et Act. 1, 4; 10, 41 Christus *comedit;* idque non apparenter, ut Raphael cum Tobia (Tob. 12, 19), sed *vere*, quia, ut patet ex Luc. 24, 41 eo praecise animo comedit, ut discipulos de vera sua resurrectione convinceret.

Luc. 24, 41-43: *Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio* (iuxta textum graecum: non credentibus prae gaudio et mirantibus, cum teste experientia homines saepe timeant ea certo credere, quae iis sunt exoptatissima ac laetissima), *dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.*

Re vera tamen non obstat. Nam Christus manducando exercuit functiones tantummodo mechanicas, haudquaquam chemicas; seu cibos mandit quidem ac deglutivit, eos tamen *nullo modo digessit* seu in substantiam suam convertit (ne inchoate quidem per salivam oris); sed de iis alio modo nobis ignoto disposuit. Functio autem, quae non est chemica, sed tantummodo mechanica, non est functio formaliter vegetativa; seu cibos

[1] 3, q. 53, a. 2. ad 3.

mandere tantum ac deglutire ex se ordinatur quidem ad eorum digestionem et consequenter ad vitam vegetativam, sed tamen digestio ipsa et functio vitae vegetativae non est.

2. In corpore Christi redivivi relictae sunt *cicatrices quinque vulnerum*, sc. manuum, pedum, lateris, quae quidem non sunt vulnerum signa tantum vel vestigia, sed ipsa *foramina*. De illis haec sunt dicenda:

a) Quoad earum existentiam. Cicatrices quinque vulnerum in corpore Christi conspicuas fuisse eo tempore, quo ipse discipulis solebat apparere, constat aut merito infertur e Scriptura: constat quantum ad manus et latus, merito infertur quantum ad pedes. Easdem cicatrices in Christi corpore etiamnunc esse semperque esse futuras docetur a Patribus.

Io. 20, 20. 25. 27: *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus.* — *Dixerunt ergo ei* (Thomae) *alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus eius, non credam.* — *Deinde* (Iesus) *dicit Thomae: Infer digitum tuum huc et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis.*

Luc. 24, 39 Christus redivivus dixit discipulis: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum.* — Sed, ut liquet Io. 20, 20. 27 manus et latus intelligenda sunt, quatenus continebant cicatrices vulnerum; ergo a pari Luc. 24, 39 ad eundem modum intelligenda sunt manus et pedes.

S. Ambrosius[1]: « Nam quomodo non corpus, in quo manebant insignia vulnerum, vestigia cicatricum, quae Dominus palpanda obtulit? In quo non solum fidem firmat, sed etiam devotionem acuit: quod vulnera suscepta pro nobis *caelo inferre maluit, abolere noluit*, ut Deo Patri nostrae pretia libertatis ostenderet ».

b) Quoad earum vim et significationem. Cicatrices quinque vulnerum corporis Christi redivivi:

α) *Respectu Dei Patris* sunt quasi preces tacitae et continuae eius, qui se illi ostendit Agnum pro nobis occisum (Apoc. 5, 6), quique est *semper vivens ad interpellandum pro nobis* (Hebr. 7, 25).

β) *Respectu ipsius Christi* sunt signa perpetua victoriae ex diabolo relatae.

γ) *Respectu hominum viatorum* fuerunt et sunt argumenta resurrectionis Christi et consequenter veritatis Christia-

[1] In Luc. I, 10, n. 170.

nae religionis, et quidem pro iis, qui illas coram viderunt, per ipsum aspectum, pro aliis ex horum testimoniis.

γ) *Respectu comprehensorum* sunt indicia perpetua caritatis et passionis ac mortis Christi et redemptionis hominum hac peractae.

ε) *Respectu damnatorum* die iudicii erunt ansa confusionis atque consternationis, ostendentia iudicem esse eum ipsum, qui pro illis vel etiam ab illis cruci sit affixus. Apoc. 1, 7: *Ecce venit cum nubibus; et videbit eum omnis oculus et qui eum pupugerunt. Et plangent se* (κόψονται) *super eum omnes tribus terrae.*

c) Quoad earum relationem ad corporis Christi perfectionem. Quinque illa foramina per se quidem aliquem defectum pulchritudinis continent et materiali corporis integritati aliquo modo obsunt; sed ille defectus suppletur singulari quodam splendore ac pulchritudine superiore; et perfectio formalis Christi ut Sacerdotis aeterni atque Agni occisi iis effertur.

Suarez[1]: « Dicendum est speciali miraculo factum esse, ut illa foramina non impediant, quominus nervi, arteriae et venae *continuae sint optimeque dispositae* tum ad continendum sanguinem tum ad omnes actiones et motus vitae. Et quamvis ibi desit aliquid carnis, ita sunt illae partes dispositae, ut nullam deformitatem, sed potius decorem singularem habeant. Unde ille non reputatur defectus aut imperfectio aliqua, cum nec pulchritudinem minuat neque optimam dispositionem tam ad exsistendum quam ad operandum tollat ».

3. *Dotes supernaturales* corporis Christi sunt impassibilitas, claritas, agilitas, subtilitas (seu spiritualitas).

a) Claritatem corporis sui (Philipp. 3, 21) totam saltem Christus apparens discipulis suis non ostendit, quia hi illam ferre non poterant et quia secus dubium poterat oriri, utrum apparens re vera esset idem ipse, qui erat mortuus. — *b)* Virtute *agilitatis* Christus temporis puncto apparebat et apparere desinebat. — *c)* Illas dotes supernaturales, quibus corpora omnium iustorum resurgentium ornabuntur, corpori Christi redivivi *convenire* per se patet, praesertim cum ipse eas pro omnibus meruerit et gloriam animae iam ab initio habuerit.

Unde dicit s. Thomas[2]: « Anima Christi a principio suae conceptionis fuit gloriosa per fruitionem divinitatis perfectam. Est autem dispensative

[1] Tom. 19, disp. 47, sect. 2, n. 7.
[2] 3, q. 54, a. 3, c.

factum,... ut ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc quod mysterium nostrae redemptionis sua passione impleret. Et ideo peracto hoc mysterio passionis et mortis Christi statim anima in corpus in resurrectione resumptum suam gloriam derivavit; et ita factum est corpus illud gloriosum ».

IV. Resurrectio Christi est causa exemplaris resurrectionis omnium electorum. Quae quidem causalitas:

1. Docetur a s. Paulo (Philipp. 3, 21), qui scribit de Christo: *Qui reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum* (εἰς τὸ γενέσθαι) *corpori claritatis suae.*

2. Imprimis refertur ad dotes corporum resurgentium *supernaturales* seu gloriae. Ad eorum perfectionem naturalem eatenus tantum refertur, quatenus haec perfectio perfectionis gloriae est fundamentum.

3. Itaque non habetur respectu adultorum reproborum, neque, ut videtur, respectu infantium ob peccatum originale non deletum poena damni affectorum, quorum corpora, licet aliquam cum corpore Christi redivivi similitudinem sint habitura, tamen nequaquam formabuntur *ad* eius similitudinem seu imitationem.

Suarez[1] tamen censet, cum hi infantes habituri sint corpora suo modo perfecta, pulchra, bene temperata, animabus plene subiecta, nihil obstare, quominus teneatur illos haec a Christo et per Christum esse accepturos, et propterea (?) Christum quoad haec merito posse vocari causam resurrectionis eorum exemplarem.

Insuper a *s. Thoma* resurrectio Christi habetur causa *efficiens instrumentalis omnium* hominum, tam electorum quam reproborum. Ipse enim dicit[2]: « Humanitas Christi, secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum divinitatis ipsius et operatur in virtute eius... Et ideo, sicut alia, quae Christus in sua humanitate fecit vel passus est, ex virtute divinitatis eius nobis sunt salutaria, ita et resurrectio Christi est causa efficiens nostrae resurrectionis virtute divina, cuius proprium est mortuos vivificare, quae quidem virtus praesentialiter attingit omnia loca et tempora, et talis contactus virtualis sufficit ad rationem huius efficientiae. Et quia primordialis causa resurrectionis humanae est divina iustitia, ex qua Christus habet potestatem iudicium facere, in quantum Filius hominis est, virtus effectiva resurrectionis eius se extendit non solum ad bonos, sed etiam ad malos, qui sunt eius iudicio subiecti ».

Quae quidem verba *alii* irrationabiliter intelligunt de causalitate physica, quae competat ipsi Christi *resurrectioni* iam diu peractae; alii, in his

[1] Tom. 19, disp. 50, sect. 5, n. 7.
[2] 3, q. 56, a. 1. ad 3.

Suarez, interpretantur de causalitate physica, quae competat *Christo* per resurrectionem vita immortali ac gloriosa donato; *Stentrup* [1] in hunc fere modum explicat:

Christus ut homo per mortem suam meruit resurrectionem suam non solum, quatenus haec est bonum ipsius, sed etiam, *quatenus est exemplar ac pignus resurrectionis aliorum* hominum, et quidem, quantum est ex parte Christi seu quoad sufficientiam, *omnium* hominum, tam electorum quam reproborum (licet ipsa Christi resurrectio quoad efficaciam seu reapse sit exemplar ac pignus resurrectionis solorum electorum). Illud autem, quod, si refertur ad Christum ut *hominem*, habet rationem *meriti* (causae principalis), habet rationem *medii* (causae instrumentalis), si refertur ad Christum ut *Deum*. Ergo mors Christi hominis est medium Christi Dei ad efficiendam resurrectionem ipsius ut exemplar ac pignus resurrectionis omnium nostrum.

Porro cum Christus resurrectionem suam meruerit ut exemplar ac pignus resurrectionis nostrae, merendo suam etiam nostram meruit. Hinc resurrectioni Christi ratio medii convenit respectu resurrectionis nostrae.

V. Christus ad vitam immortalem resurrexit omnium hominum *primus*.

1. Itaque *ante* resurrectionem Christi nemo mortuus in vitam est restitutus, cui non iterum fuerit moriendum. Unde Christus vocatur Col. 1, 18 *primogenitus ex mortuis* (Apoc. 1, 5) et 1. Cor. 15, 20 *primitiae dormientium*. Convenienter quoque factum est, ut nemo ante Christum ad vitam immortalem resuscitaretur. Nam ex una parte oeconomia Christo antecedens fuit praeparatio ad Christum, et Christus fuit eius consummatio ac finis; ex altera parte dona gratiae habent rationem praeparationis ad dona gloriae, et dona gloriae habent rationem consummationis ac finis donorum gratiae. Hinc convenieus fuit dona gratiae conferri quidem ante Christum, dona autem gloriae ante Christum non conferri, sed primo conferri ei, qui est auctor et caput oeconomiae consummationis.

2. Dubium autem est, utrum ii, qui simul cum Christo vel proprie statim post Christum sunt resuscitati, resurrexerint ad vitam immortalem, an mortalem eamque brevissimam tantum.

De iis legitur Matth. 27, 52. 53: *Et monumenta aperta sunt; et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Quae quidem verba ab interpretibus, imprimis a Knabenbauer [2], sic explicantur:

[1] Soteriologia, vol. 2, thes. 65.

[2] Comment. in Matth., tom. 2, pag. 537 sq.

Monumenta aut *aperta sunt*, ut primum Christus mortuus est; aut, ut primum ipse resurrexit, cum probabile sit evangelistam ibi complecti miracula, quae *ex* morte Christi facta sunt, non solummodo ea, quae simul cum eius morte contigerunt. Etiamsi monumenta sint aperta statim post Christi mortem, tamen mortui *resurrexerunt post* Christi resurrectionem, quia admitti nequit eos vitae restitutos a morte usque ad resurrectionem Christi in monumentis mansisse. — Mortui illi *vere* surrexerunt. Si enim statuitur illos tantummodo apparuisse corporibus assumptis, eo fere modo, quo saepius apparuerunt angeli, verbis Scripturae vis infertur. — Resurrexisse videntur non veteres sancti, quos nemo novit, sed *recenter defuncti*, qui notis noti apparuerunt testimonium perhibentes de Christi vita et triumpho. — Ex eo, quod ab evangelista dicuntur *apparuisse*, et quidem *multis*, non omnibus, concludi potest eos habuisse corpora *corpori Christi redivivi similia*, legibus materiae exempta, iis, quibus non apparuerunt, invisibilia.

a) Non pauci sentiunt eos resuscitatos esse ad vitam *immortalem* et cum corporibus gloriosis cum Christo postea ascendisse in coelum. Ita *Origenes, ss. Hilarius et Ambrosius*, quam quidem sententiam *Suarez* probabiliorem iudicat.

b) Alii tenent iis donatam esse vitam *mortalem* tantum ac brevissimam et eum solum in finem, ut essent resurrectionis Christi testes. Ita *ss. Chrysostomus et Augustinus.*

Argumentis, quae utrinque afferri solent, neutra sententia probatur (cf. Stentrup [1]).

C. De apparitionibus Christi redivivi.

De apparitionibus Christi ab ipsius resurrectione usque ad ascensionem factis:

I. *Generatim* haec dicenda sunt:

1. Christus redivivus se non ostendit quibusvis hominibus, sed *selectis tantum testibus*, per quos resurrectio sua aliis nuntiaretur. Porro cum his non quidem continuo et eodem modo, quo antea, est conversatus, sed tamen saepenumero et familiariter. Act. 1, 3. 4: *Quibus* (Apostolis) *et praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei. Et convescens praecepit eis, ab Ierosolymis ne discederent.*

· Dicendum, quod circa resurrectionem Christi duo erant discipulis declaranda, scilicet ipsa veritas resurrectionis et gloria resurgentis. Ad *veritatem* autem resurrectionis manifestandam sufficit, quod *pluries* eis apparuit et cum eis familiariter est locutus et comedit et bibit et se eis palpandum

[1] Soteriologia, vol. 2, thes. 57.

praebuit. Ad *gloriam* autem resurgentis manifestandam *voluit continuo* conversari cum eis, sicut prius fecerat, ne videretur ad talem vitam resurrexisse, qualem prius habuerat ». S. Thom. [1].

2. Christus suis apparuit tum in *Iudaea* tum, et quidem praecipue ac saepius, ut videtur, in *Galilaea*, ut colligi potest ex eo, quod ipse et ante resurrectionem suam praedixit se ibi esse appariturum et post resurrectionem discipulos suos eo ire iussit.

Matth. 26, 32: *Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.* — Matth. 28, 10: *Tunc ait illis* (mulieribus) *Iesus: Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam; ibi me videbunt.*

Et hoc quidem *congruum* fuit ex parte *Christi*, qui plerumque in Galilaea commoratus erat, et ex parte *discipulorum*, qui ex Galilaea erant oriundi ibique tutiores erant ab insectationibus Iudaeorum.

3. Christus *nonnullis* apparuit sub *aliena specie*, idque iuxta mentem ss. Patrum et theologorum, praesertim s. Thomae [2], iis, quorum mentes minus bene erant dispositae. Hos enim prius voluit melius disponere et deinde se iis clarius manifestare.

II. *Speciatim* haec possunt dici:

1. In *evangeliis* referuntur novem Christi apparitiones quarum quinque factae sunt ipso die resurrectionis, quatuor postea.

a) Die resurrectionis Christus se ostendit: α) Mariae Magdalenae iuxta sepulchrum, — β) mulieribus a sepulchro redeuntibus, — γ) Petro, — δ) discipulis euntibus Emmaum, — ε) discipulis suis absente Thoma.

Ad α) Marc. 16, 9: *Surgens* (ἀναστάς) *autem mane prima sabbati apparuit primo* (πρῶτον) *Mariae Magdalene, de qua ieiecerat septem daemonia.* — Io. 20, 11-17. — Ad β) Matth. 28, 9: *Et ecce Iesus occurrit illis* (v. 1. nominantur Maria Magdalene et altera Maria, sc. mater Iacobi; insuper Marc. 16, 1. Salome et Luc. 24, 10 Ioanna, uxor Chusae, procuratoris Herodis 8, 3) *dicens: Avete. Illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius, et adoraverunt eum.* « Quod... non puto statim post primum hunc a sepulcro discessum evenisse. Nam duo illi discipuli euntes in Emmaus post meridiem nihil aliud sciunt quam mulieres fuisse ad monumentum et dixisse se visionem Angelorum vidisse; unde sequi videtur Christum illis mulieribus non-

[1] 3, q. 55, a. 3, c.
[2] 3, q. 55, a. 4, c.

dum apparuisse, cum prima vice redirent a sepulcro. Vix enim assumi poterit vel mulieres de visione quidem angelorum narrasse, sed de apparitione ipsius Domini tacuisse, vel duos discipulos eam mulierum narrationem ne mentione quidem dignam esse, utpote a veritate maxime alienam, existimasse eamque contempsisse. Cum s. Matthaeus breviter quaedam argumenta resurrectionis proponat, nullo modo censeri potest velle dicere ea, quae narret, nullo temporis intervallo inter se esse subsecuta. Neque id ex modo loquendi «*et ecce*» sequitur, ut saepe notatum est, neque ad vim probationis habendam requiritur, ut statim summo mane Christus iis apparuerit. Si ista apparitio ad serius tempus refertur, etiam facile explicatur, quomodo verum sit quod habetur Marc. 16, 8: *fugerunt de monumento... et nemini quidquam dixerunt*». Knabenbauer [1] — Ad γ) Luc. 24, 33. 34: *Et surgentes* (discipuli, qui se contulerant Emmaum) *eadem hora regressi sunt in Ierusalem, et invenerunt congregatos undecim et eos, qui cum illis erant, dicentes: Quod surrexit Dominus et apparuit Simoni.* — Ad δ) Marc. 16, 12: *Post haec autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.* — Luc. 24, 13-32. — Ad ε) Io. 20, 19-24: *Cum ergo sero esset die illo una sabbatorum* (= primo die hebdomadae), *et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum, venit Iesus et stetit in medio et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus... Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus.*

b) Post diem resurrectionis Christus apparuit: α) Discipulis suis praesente Thoma, idque octavo die, postquam resurrexit, — β) septem discipulis, inter quos erant Petrus et Ioannes, ad mare Tiberiadis seu lacum Genesareth, — γ) undecim in monte Galilaeae, — δ) iisdem die ascensionis.

Ad α) Io. 20, 26-29. — Ad β) Io. 21, 1-22. Legitur v. 14: *Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis*, i. e. pluribus discipulis simul. — Ad γ) Matth. 28, 16-20. Qui mons fuerit, ignotum est. Plurimi putant eum fuisse montem transfigurationis. — Ad δ) Luc. 24, 44-50. Act. 1, 4. 5. Legitur Luc. 24, 50: *Eduxit autem eos foras in* (in plerisque codicibus ἕως εἰς, sed iuxta Tischendorf melius ἕως πρός) *Bethaniam* i. e. «usque Bethaniam versus: non usque in ipsum pagum, sed usque eo, ubi in monte oliveti via Bethaniam versus deflectitur». Knabenbauer [2].

Nota. Legitur: Marc. 16, 14: *Novissime* (ὕστερον) *recumbentibus illis undecim apparuit; et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Cum ὕστερον non significet novissime, sed postea, serius, et cum exprobratio illa certe non sit facta, postquam Christus *praebuit se ipsum virum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei* Act. 1, 3), haec apparitio non fuit ultima ante ascensionem, ut quidam putarunt,

[1] Comment. in Matth. II, pag. 554.

[2] Comment. in Luc. pag. 648.

sed fuit aut ea, quae facta est die post resurrectionem octavo, aut ea, quae ipso resurrectionis die est facta. Cui non obstat, quod tunc Thoma absente decem tantum Apostoli praesentes erant: « nam *undecim* nomen est collegii, quod usurpari potest, etsi unus abest; ita δώδεκα eodem modo adhibetur ac tempore, quo non erant nisi undecim (cf. 1. Cor. 15, 5 graece) ». Knabenbauer [1].

2. Praeterea *a s. Paulo* dicitur 1. Cor. 15, 6. 7: *Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo; deinde Apostolis omnibus.* Harum apparitionum prima et secunda videntur fuisse inter diem resurrectionis et octavum diem post resurrectionem.

Nam in enumerandis his apparitionibus et iis, quae praemittuntur (quae factae sunt *Cephae et post hoc undecim*, gr. τοῖς δώδεκα) vel annectuntur (ea, quae facta est s. Paulo post ascensionem), omnino tenetur ordo chronologicus (εἶτα — ἔπειτα — ἔπειτα — ἔσχατον δὲ πάντων).

Quingenti illi, quibus Christus apparuit, aut partim aut omnes fuerunt Galilaei (cf. Act. 1, 15), et Christus se iis aut Hierosolymis ostendit, antequam Galilaei, qui ad festum paschatis celebrandum convenerant, discesserunt, aut postea in Galilaea.

Ille *Iacobus* non est filius Zebedaei, sed Alphaei, etiam minor et frater Domini (Gal. 1, 19) appellatus [2].

Aliquibus (*Caietano, Estio, Salmeron* etc.) apparitio 1. Cor. 15, 6 commemorata, qua Christus *visus est plus quam quingentis fratribus simul*, eadem fuisse videtur, quae narratur Matth. 28, 16-20, quaeque supra relata est sub *b*) γ); sed alii multi (*Maldonatus, Schegg, Schanz, Cornely, Knabenbauer* etc.) censent hanc alteram solis Apostolis esse factam.

3. Ut per se credibile est et a catholicis *communiter tenetur*, Christus apparuit matri suae omnium primae.

Neque obstat Marc. 16, 9: *Apparuit primo Mariae Magdalenae*. Nam per illud « primo » tantummodo significatur inter eos, quorum evangelium mentionem facit, aut qui resurrectionem Christi debuerunt nuntiare, Mariam Magdalenam fuisse primam, cui Christus apparuerit.

Nota. S. Ambrosius, cuius testimonium pro illa sententia non raro profertur, quia dicit [3]: « Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, et prima

[1] Comment. in Marc. pag. 440.

[2] Cf. Cornely in 1. epist. ad Cor. pag. 455.

[3] De virgin. 3.

vidit et credidit; vidit et Maria Magdalene, quamvis adhuc ista nutaret». illam Mariam non intelligit matrem Christi, sed alteram Mariam Magdalenam, ut patet ex iis, quae scribit in Luc. lib. 10, n. 153 sq.

D. De ascensione Christi.

Christus secundum naturam humanam propria virtute in coelum ascendit. Est dogma religionis Christianae.

I. Christum secundum naturam humanam, quae sola loco continetur et motui subiecta est, in coelum, quod est domicilium et sedes beatorum, vere ac proprie ascendisse:

1. Narratur in *evangeliis et actibus Apostolorum*. Marc. 16, 19: *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum* (ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν).

Luc. 24, 50. 51: *Et elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis* (ἐν τῷ εὐλογεῖν αὐτὸν αὐτούς), *recessit ab eis et ferebatur in coelum* (διέστη ἀπ' αὐτῶν καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν).

Act. 1, 9: *Et cum haec dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum.*

2. Praedicatur a principibus Apostolorum: a s. *Petro* Act. 3, 21 et 1. epist. 3, 22; a s. *Paulo* Eph. 4, 10. Hebr. 4, 14; 9, 24.

Act. 3, 21: *Quem* (Iesum Christum) *oportet quidem coelum suscipere usque in tempora restitutionis omnium.* — Hebr. 9, 24: *Non enim in manufacta Sancta Iesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

3. Continetur in *symbolis* Apostolorum (et quidem in omnibus eius formis) et Nicaeno (D. 2-8; 17).

Nota. «*Quomodo ascensio tota facta sit, ignoramus.* Neque enim putandum est Christum ea tarditate, qua primum inter benedicendum elevabatur a terra, per spatia paulatim progressum esse, sed, postquam nubes suscepit eum, mox raptus est in coelum ea velocitate, qua Deus voluit». Pesch [1].

II. Ascensio Christi fuit convenientissima:

1. *Spectata in se: a)* Respectu *Christi*, quem utpote resurrectione vitam incorruptibilem adeptum dedecuit manere in regione corruptionis et exsilii (Hebr. 13, 14), decuit transire in regionem incorruptionis et veram atque aeternam hominum patriam.

[1] Tom. 4, n. 522.

b) Respectu *Ecclesiae triumphantis*, cuius membra decet frui praesentia sui capitis, a quo et per quod omnem suam gloriam acceperunt.

c) Respectu *Ecclesiae militantis*, cuius membra debent colere fidem et contemptis terrenis desiderare coelestia. Sed fides, quae est *argumentum non apparentium* (Hebr. 11, 1), tum colitur et splendet, cum ob solam auctoritatem Dei revelantis id verum habetur, quod sensibus non percipitur. Et ii, qui Christum vere diligunt, eo in coelis commorante facilius et ipsi cogitationibus ac desideriis in coelo versabuntur et exsequentur illud Col. 3, 1: *Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

2. *Spectata in circumstantiis* loci et temporis. Christus convenienter in coelum ascendit ex monte Oliveti et die hebdomadis quinto. Nam eum, qui ex monte Oliveti et feria quinta vinctus tamquam malefactor (Io. 18, 30) et contumeliis oneratus ingressus erat Ierusalem terrestrem, decuit victorem et gloria ac honore coronatum (Hebr. 2, 7) ex eodem monte et eodem hebdomadis die ingredi Ierusalem coelestem.

Non solum e Traditione, sed etiam e Scriptura constat Christum in coelum ascendisse *feria quinta*. Nam iuxta Act. 1, 3 apparuit Apostolis per quadraginta dies, iuxta Io. 20, 19 autem ipso die resurrectionis, qui erat primus dies hebdomadae, et iuxta Marc. 16, 15-19 ipso die ascensionis.

III. Christus in coelum ascendit virtute *propria*: primario virtute divina, secundario virtute divinitus communicata animae glorificatae, quippe quae corpus glorificatum ad arbitrium suum possit movere.

IV. « Ascensio Christi recte dicitur *causa nostrae salutis*, tum quia auget in nobis virtutes, tum quia aperuit ianuam coeli et illuc iam introduxit animas, quas de inferno eduxerat (Eph. 4, 8), tum quia Christus in coelo interpellat pro nobis (Hebr. 7, 25) et in gloria constitutus Spiritum Sanctum eiusque dona mittit nobis (Io. 16, 7), tum quia ascensio Christi est causa exemplaris et aliquo sensu efficiens nostrae ascensionis, ut supra dictum est de resurrectione (S. Thom. 3, q. 57, a. 6) ». Pesch [1].

[1] Tom. 4, n. 524.

E. De sessione Christi ad dexteram Patris.

I. Sessione Christi ad dexteram Patris, quae est locutio tropica, generatim significatur summa Christi gloria, cum in terris sessio inferiori ad dexteram principis concessa honor eximius haberi soleat.

II. Sessio ad dexteram Patris Christo competit ut Deo et ut homini.

1. Quatenus Christus est *Deus*, sessione ad dexteram Patris significatur *a)* Christum, Dei Filium, distinctum quidem esse a Patre secundum personalitatem, sed aequalem esse Patri in gloria utpote unum cum eo in essentia; — *b)* Patrem omnia per Christum, Filium suum, operari.

2. Quatenus Christus est *homo, a) sessione* significatur eum laboribus perfunctum ad quietem pervenisse et gloriam sibi datam immutabiliter possidere; — *b)* sessione *ad dexteram Patris* significatur ei datam esse supremam potestatem regiam, seu ei (etiam ut homini) omnia esse subiecta (Eph. 1, 20 sqq.).

Haec potestas data est quidem Christo iam ante ascensionem: sed post ascensionem coepta est perfectius manifestari.

Quia sedere ad dexteram Patris, si stricte accipitur, non significat solam beatitudinem, sed simul cum ea supremam potestatem, nemo sanctorum ad dexteram Patris sedere stricte dici potest.

III. Christum ut hominem ad dexteram Patris sedere, asseritur:

1. *In Scriptura.* Nam Marc. 14, 62 Iesus dicit summo sacerdoti: *Ego sum* (Christus, Filius Dei benedicti); *et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem cum nubibus coeli.* — Et Marc. 16, 19 legitur: *Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei* (ἐκαθίσεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ). Rom. 8, 34. Eph. 1, 20. Col. 3, 1. Hebr. 1, 3; 10, 12 (ubi additur: *in sempiternum*). 1. Petr. 3, 22.

2. *In symbolo Apostolorum* (et quidem in omnibus eius formis), ubi aperte sermo est de Christo homine, utpote nato, crucifixo, sepulto etc.

Christus, postquam ascendit in coelum, non obstante sessione sua ad dexteram Patris in propria specie se ostendit s. Paulo, ut hic converteretur et testis resurrectionis suae fieret (Act. 9, 3-7). Nam *Dominus* ipse Paulo dixit se ideo ei *visum esse*, ut eum constitueret testem eorum, quae *vidisset*

(Act. 26, 16), et s. Paulus, postquam 1. Cor. 15, 6. 7, narravit Christum visum esse plus quam quingentis fratribus et Iacobo et Apostolis omnibus, dicit (v. 8.): *Novissime autem omnium tamquam abortivo* (i. e. immaturo) *visus est et mihi.* « Iam vero animadvertamus oportet Paulum Domini apparitiones, quibus sese Apostolis ante ascensionem videndum praebuit, suamque visionem eodem prorsus in ordine ponere, ut omnes eiusdem generis fuisse concludere debeamus. Non imaginaria ergo visione quadam, sicut Dominus glorificatus aliis Sanctis interdum apparuisse legitur, Dominus ab eo visus est; corpus Christi a mortuis resuscitatum suis oculis vidit Paulus; secus enim, uti recte argumentatur s. Thomas [1], testimonio suo Christi resurrectionem confirmare non potuit. Utrum vero Christus glorificatus, ut sese Paulo videndum exhiberet, relicto coelo proxime ad eum accesserit, id quod *s. Thom.* (l. c.) innuit, an per bilocationem in coelo simul et in terra corpus eius adfuerit, id quod cum aliis praefert *Lap.*, an demum in coelo residens visus sit Paulo, id quod vult *Iust.*, aliis relinquimus discutiendum». *Cornely* [2].

Appendix.

De Vita Mariae, Christi Matris.

A. De vita Mariae in terris acta.

I. Beata Virgo oriunda est ex tribu Iuda et familia David. Nam iuxta s. Scripturam Christus, qui ut homo non habuit patrem, sed solummodo matrem, eiusdem fuit tribus (Hebr. 7, 14. Apoc. 5, 5) et familiae (Ier. 23, 5. Luc. 1, 32). Iuxta traditionem veterem, cuius testes sunt ss. Epiphanius [3] et Ioannes Damascenus [4], erat filia Ioachim et Annae. Ut veteres communiter censent et ut colligi potest e Scriptura, non habebat fratres, sed erat filia heres; ut communius censent, neque habebat sorores, sed erat filia parentum suorum unica.

Neque in Scriptura neque in Traditione fratrum Mariae unquam fit mentio. — Si fratres habuisset, non fuisset, cur eius cura a Christo Ioanni, homini alieno, commendaretur (Io. 19, 26). — In evangeliis ex una parte genealogia Christi deducitur ad Ioseph (Matth. 1. Luc. 3, 23 sqq); ex altera parte diserte dicitur Ioseph non esse patrem Christi verum; ergo ibi indicari videtur eo, quod demonstretur Ioseph originem habere a David,

[1] 3, q. 57, a. 6 ad 3: « Cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoque *corporaliter ad terram descendat*, vel ut ostendat se omnibus, sicut in iudicio, vel ut ostendat se alicui specialiter, sicut *Paulo* ».

[2] In 1. epist. ad Cor. pag. 457.

[3] Haer. 78, n. 17.

[4] De fide l. 4, c. 15.

etiam demonstrari Mariam a David ducere originem. Quod tum solum demonstratur, si admittitur Mariam fuisse filiam heredem, quippe quae debuerit nubere viro et tribus et stirpis suae (Num. 36, 6), cum aliae filiae nubere potuerint viris cuiusvis stirpis et tribus.

Maria Cleophae, quae Io. 19, 25 vocatur soror matris Christi, videtur fuisse eius cognata; sc. uxor Cleophae (mulieres enim nuptae secundum maritum nominari solebant), fratris Ioseph, sponsi B. M. V. (ut testatur Hegesippus apud Eusebium) [1].

II. Quae sit significatio nominis Mariae (hebr. Mirjam, LXX Μαριάμ), quod antea fuit nomen sororis Moysis et Aaron (Exod. 15, 20), inter doctos non constat. Probabilius significat myrrham (murram).

« Nomen myrrhae ex eo multum commendatur, quia puellarum nomina ex arboribus plantisque deprompta apud Iudaeos re vera in usu erant; ita Esther in domo paterna vocabatur murtus; Susanna nomen habet lilii etc.». Knabenbauer [2].

Iuxta alios nomine Mariae significatur dominans seu domina, aut robusta vel corpulenta (Bardenhewer), aut exaltata vel sublimis, aut illuminans vel illuminata: iuxta alios stella maris aut stilla maris (cum fuerint, qui in libro interpretationis hebraicorum nominum s. Hieronymi, in quo illa interpretatio invenitur, stellam antiquo errore pro stilla positam esse vellent); aut mare amarum; iuxta alios amara aut afflicta vel infelix aut rebellis vel contumacia (Gesenius) etc.

Iam si de istis explicationibus aliquod iudicium ferendum est, illae certe, quae nomen esse compositum volunt et mare ibi reperiunt, omnino relinquendae sunt. Neque probabile videtur alicui puellae recenter natae nomen indi vel contumaciae, rebellis, vel amarae, afflictae. Eam vocari robustam, dominantem facilius concedendum est vel, quod aliis quoque visum est, exaltatam, sublimem ». Knabenbauer (ibid.).

III. Nonnulla, quae de ortu et prima aetate B. Virginis referuntur, sunt plane incerta, praesertim haec:

1. Mariam miraculose esse conceptam ex matre sterili.

De hoc scribit Suarez [3]: « Haec B. Virginis conceptio non sine aliquo miraculo et supernaturali virtute perfecta est .. Referunt enim Annam fuisse sterilem et vitam sine prole usque ad senectutem produxisse et orationibus conceptionem Virginis impetrasse Ita referunt Nicephor., Epiphan., Damascen., Gregor. Nyss... Unde concluditur ratio: nam sterilem, senem et ex sene concipere non fit sine miraculo . Confirmatur... quia decuit, ut ad summum miraculum via per miracula sterneretur, et ut in fabricanda Virgine

[1] Hist. eccl. 3, 11.

[2] Comment. in Matth. vol. 1, pag. 44.

[3] Tom. 19, disp. 2, sect. 1, n. 3.

gratia naturam iuvaret ac praeveniret, et ut parentes Virginis ad talem fructum suscipiendum sese desideriis et orationibus disponerent». Cf. Kirchenlexicon, B. 1, S. 860 (Anna).

2. Mariam a primo animationis momento habuisse usum rationis.

Suarez [1] aliique hoc deducunt ex eo, quod Ioannes Baptista iam ante nativitatem usum rationis habuerit (Luc. 1, 44), et quod non sit verisimile ullum privilegium ulli creaturae concessum Mariae esse negatum.

Contra s. Thomas dicit [2]: «Non statim habuit usum liberi arbitrii adhuc in ventre matris exsistens: hoc enim est speciale privilegium Christi». — Et Pohle testatur [3] hanc doctrinam inde a saeculo 14. tantum esse susceptam.

Quod attinet ad s. Ioannem Bapt., recte advertit Knabenbauer [4]: «Si anima infantis eo momento praeter naturae ordinem cognitione Christi illustrata fuit, nondum sequitur eundem usum rationis postea permanere debuisse. Id quidem affirmant aliqui (cf. *Suarez* in 3 p. q. 27 disp. 4 s. 7, 7; *Lap.*); verum opposite monet *Mald.*, cum ad demonstrandum tantum Christum datus esset usus rationis, non fuisse necesse, ut eo demonstrato maneret, «quemadmodum in prophetis, postquam ea praedixerunt, quae Deus volebat populo significari, non semper manebat spiritus prophetiae».

3. Mariam ab anno aetatis suae tertio usque ad suam desponsationem in templo vixisse occupatam in servitio sanctuarii.

Hoc narratur a ss. Greg. Nyss., Ioanne Damasc., Ambros..

Mulieres in servitio Sanctuarii fuisse occupatas constat ex Exod. 38, 8; 1. Reg. 2, 22; Ps. 67, 26; 2. Machab. 3, 19.

IV. Christo mortuo B. Virgo, ut Scriptura indicat (Io. 19, 26. 27) et Traditio refert, habitavit cum s. Ioanne, et quidem usque ad suum obitum. Mariam enim obiisse omnino constat. Sed quando obierit et ubi, sc. utrum Ephesi, quo una cum s. Ioanne sit profecta, an Hierosolymis, antequam hic Ephesum se contulerit, non constat.

De translatione domicilii Mariae, Pesch dicit [5]: «Postea eam cum s. Ioanne... Ephesum ivisse Traditio refert». Econtra *Kauden* [6]: «Wann und warum er (Iohannes) die heilige Stadt verliess, ist unbekannt; selbstverständlich that er es nicht vor dem Hingange der allerseligsten Iungfrau».

---

[1] Tom. 19, disp. 4, sect. 7.

[2] 3, q. 27, a. 3, c. (Et ideo).

[3] Bd. 2, S. 251.

[4] Comment. in Luc. pag. 78.

[5] Tom. 4, n. 613.

[6] Kirchenlexicon, B. 6, S. 1538.

De *obitu* Mariae *Pohle* scribit[1]: « Die Thatsächlichkeit des Todes Mariae stützt sich... in letzter Instanz auf die *Allgemeinheit* des Todes, welche weder Christum noch seine Mutter vom universalen *Gesetze* des Sterbens ausnimmt. Dieser *selbstverständliche* Gesichtspunkt reicht aber völlig aus, um auch ohne Sterbeurkunde die Thatsache des Todes selber sicherzustellen, zumal das Sterben *an und für sich etwas Natürliches, jedenfalls nichts Ehrenrühriges* ist; denn sonst hätte vor allem der Gottmensch nicht sterben dürfen... Bei alledem versteht es sich von selbst, dass der Tod Marias weder als *Strafübel* noch als blosse *Folg. der Erbsünde* anzusehen ist... Die Gleichförmigkeit der Mutter mit ihrem Sohne in allen Stüken, also auch im Sterben, erheischte jedenfalls keinen gewaltsamen *Martertod*, einmal weil Christus allein als Erlöser einen Opfertod sterben musste, sodann weil Maria unter dem Kreuze tatsächlich ein geistiges Martyrium erlitt, das ihr den Ehrentitel « Königin der Martyrer » eintrug.. Auf der anderen Seite darf auch nicht an eine tödliche *Krankheit* als Ursache ihres Hinscheidens gedacht werden. Wie schon der *h. Johannes von Damaskus* betonte, verschied sie schmerzlos (Nec partus poenam sensit nec obitus), nach *Albert d. Gr.* aus übergrosser seraphischer Liebe und heisser Sehnsucht nach dem Himmel ».

Pesch[2]: « Multi dicunt eam mortuam esse 72 annos natam, et quidem sine doloribus neque vi morbi, sed *voluntate Dei et vi ardentissimi amoris divini* ».

Econtra *Janssens*[3]: « *B. Virgo potuisset non mori, si voluisset.* Hanc conclusionem debito limite circumscriptam solidis argumentis fulciri putamus ». Qui tamen sit debitus ille limes, ab eo non indicatur.

Cetera, quae ad vitam B. M. V. spectant, per varios tractatus sparsa reperiuntur.

Cf. de immaculata conceptione pag. 241, de immunitate concupiscentiae p. 245, de immunitate peccatorum actualium tom. 2, p. 30, de perpetua virginitate tom. 1 p. 264, de voto virginitatis et matrimonio p. 268, de maternitate p. 289, de conceptione Christi p. 356, de eius partu p. 265, de purificatione p. 359, de baptismo suscepto tom. 2, p. 213 (Schol. II) et p. 226 (Schol. II).

B. De assumptione Mariae in coelum.

Statim post mortem anima beatae Virginis, utpote immunis ab omni culpa et poena, particeps facta est visionis beatificae. Paulo (tribus diebus?) post eius corpus est cum anima iterum coniunctum et glorificatum et virtute divina in coelum assumptum, id quod ex sensu Ecclesiae et fidelium tam certum est, ut sine summa temeritate negari non possit.

[1] B. 2, S. 288 et 289.

[2] Tom. 4; n. 613.

[3] Summa theol., tom. 5, pars 2, pag. 864.

Probatur: I. *Quodammodo e Scriptura in luce Traditionis aspecta*, et quidem:

1. Ex Gen. 3, 15: *Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius: ipsa* (hebr. *ipsum* i. e. semen illius aut *ipse* i. e. idem semen personificatum) *conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.* Cf. pag. 242. Ex quo loco 204 Patres Concilii Vaticani (e c. 700) postulantes, ut illa doctrina definiretur, haec deduxerunt: «Cum iuxta apostolicam doctrinam Rom. 5-8, 1. Cor. 15. 24 sq., Hebr. 2. 14 aliisque locis traditam triplici victoria de peccato et de peccati fructibus, concupiscentia et morte, veluti ex partibus integrantibus constituatur ille triumphus, quem de satana, antiquo serpente, Christus retulit; cumque (Gen. 2, 15) Deipara exhibeatur singulariter associata Filio suo in hoc triumpho: accedente unanimi ss. Patrum suffragio, non dubitamus, quin in praefato oraculo eadem beata Virgo triplici illa victoria praesignificetur illustris; adeoque non secus ac de peccato per immaculatam conceptionem et de concupiscentia per virginalem maternitatem, sic etiam de inimica morte singularem triumphum relatura per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem ibidem praenuntiata fuerit». Collect. Lac. 7, 869.

Dictum est supra et pag. 242: «Quodammodo» et «in luce Traditionis aspecta». Nam, considerato solo textu protoevangelii «mulier (ha'ischschah) eadem omnino, quae in hac tota narratione, erit intelligenda: eadem, quae v. 1. 2. 4. 6. 12. 13. 16 hoc nomine designatur; eadem, quae v. 9. 17 'ischto et 'ischthécha *mulier eius* et *mulier tua* audiebat; ergo utique Eva. Nihil est, cur exegeta asserat, in hoc ha'ischschah articulum esse emphaticum. Neque cum *Lamy* obiicias sermonem hic esse de muliere diaboli inimica futura, Evam autem peccato factam esse diaboli amicam. Facta est utique peccato amica, sed protoevangelio constituitur eidem inimica: promissione salutis recipiendae Eva cum toto genere humano ad certamen contra diabolum redintegrandum provocatur... Quod inimicitiae asserantur serpentem inter et Evam, non sequitur ab iisdem excludi Adamum; sed de sola muliere est sermo, quia hanc solam immediate serpens deceperat, et quia Dei sententia eodem, quo tentatio, procedit ordine, a serpente sc. ad mulierem, a muliere ad virum.

Semen mulieris est tota mulieris posteritas, totum genus humanum. Is est obvius expressionis sensus; ita dicitur semen Abrahae etc. Notat *Reinke* p. 242 in uno v. 15. vocem *semen* aut utrobique collective aut utrobique de individuo esse accipiendam, non vero modo de collectione et modo de individuo. Cum ergo semen serpentis certissime sumatur collective, ergo item semen mulieris. Conveniebat praeterea, ut de seminis universi fatis edoce-

retur Adam, qui non ignorabat a divini in paradiso mandati observatione vel neglectu universi seminis fata pendere. Quare in hanc seminis collectivam interpretationem iam « conspirant nostri temporis exegetae fere omnes » (M. Fluuk S. I., in: Zeitschrift für Kath. Theologie, Innsbruck 1888 p. 315)... Vides iam *Christum* quoque seminis mulieris ambitu concludi; at non solum Christum ». Hummelauer [1].

2. Ex Ps. 131, 8: *Surge Domine in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae* (verba priora applicari solent Christo in coelum ascendenti); et Apoc. 11, 19: *Et apertum est templum Dei in coelo, et visa est arca testamenti eius in templo eius.* Arca enim testamenti ab aliquot Patribus, ut s. Ioanne Damasc. habetur figura Mariae et haec ab ipsa Ecclesia (in lit. Lauret.) foederis arca vocatur.

II. *E Traditione inde a saeculo sexto.*

Ante saec. 6. nullum exstat testimonium certum ac fide dignum. Variis libris apocryphis, ut Pseudo-Athanasii, Pseudo-Hieronymi, Pseudo-Augustini, Pseudo-Dionysii, qui de assumptione corporis B. M. V. in coelum agunt, omnis deest vis atque auctoritas. — *Gelasius I.* anno 494. scriptis apocryphis, contra quae decretum edidit, annumeravit etiam narrationes de transitu Mariae, ipsam tamen assumptionem non negavit. — *S. Epiphanius* dubitans de Mariae morte scribit [2]: « Neque aut immortalem perseverasse definio aut, utrum mortua sit, confirmare possum... Sive igitur mortua sit nescimus sive consepulta sit ». Et [3]: « Sacrum illius corpus omni felicitate cumulatum est, per quam mundo lumen illuxit ».

Saec. 6. *Gregor. Turon.* († 596) scribit [4]: « Dominus susceptum corpus (Virginis mortuae) sanctum in nube deferri iussit in paradisum, ubi nunc resumpta anima cum electis eius exsultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur ».

Festi assumptionis Mariae iam « mentio fit in *sacramentario Gelasii*, in martyrologio vetustissimo s. *Hieronymo* adscripto, in *missali gothico*, quod in Gallia iam saec. 6. in usu fuit, item in *manuscripto syriaco* saeculi 6. *Obiectum* autem huius festi non fuit tantummodo translatio animae, sed etiam corporis b. Virginis in coelum. Id patet ex nomine *assumptionis*, quod de sola Virgine, nunquam de animabus aliorum Sanctorum dicitur; ex liturgiis, quibus corpus Mariae dicitur corpori Christi coniunctum (Sacr. Gelas.), et translatum de sepulchro (Miss. Goth.) etc. » Egger [5].

[1] Comment. in Gen. pag. 161 et 162.
[2] De haer. 78, n. 11.
[3] Ib. 77.
[4] De gloria martyrum c. 4.
[5] Theol. special. n. 326.

« In *sacramentario Gregoriano* die assumptionis haec habetur oratio: « Veneranda nobis, Domine, huius diei festivitas opem conferat sempiternam, in qua s. Dei genitrix mortem subiit temporalem; nec tamen nexibus mortis deprimi potuit, quae Filium tuum, Dominum nostrum, genuit incarnatum ». Quae oratio non habet ullum sensum, nisi explicatur de corporali Virginis assumptione, ut iam explicat *Albertus M.*: « Non potuit nexibus mortis deprimi, i. e. non potuit incinerari. Et nisi statim surrexisset, fuisset incinerata, ut alia corpora. Ergo vere surrexit » (Mariale c. 132) Pesch [1].

In *missali Mozarabico,* quod in Hispania post saec. 5. ortum est, die 15. Augusti celebratur festivitas assumptionis. In oratione huius festi haec leguntur: « Ingenite Pater summe, qui tanta ac talia beneficii munera Virgini gloriosae Mariae contulisti,... sicut illa hodie inter angelorum virginumque choros meruit assumi sive dono illibatae carnis feliciter iocundari, sic nos stimulo perfecte exstirpato carnali beatiores ibidem misericorditer admitte etc. ».

Attamen de Sacramentario Gelasiano hoc advertatur: « Dieses vorgregorianische Sacramentar ist in keiner einzigen Handschrift rein erhalten; wir besitzen aber aus dem 7., 8. und 9. Jahrhundert eine Reihe von Handschriften, in denen es mit Zusätzen und Aenderungen oder auch nur in Einzelbestandtheilen enthalten ist ». Kirchenlexicon [2]. — Item *de sacramentario Gregoriano:* « Keine einzige Handschrift hat... dieses Sacramentarium in der Gestalt überliefert, in welcher es aus der Hand des grossen Reformators der Liturgie hervorging. Wir besitzen es nur in Abschriften und Umarbeitungen eines Exemplars, das Papst Hadrian I. zwischen 784 und 791 auf Bitten Karls des Grossen behufs Einführung der gregorianischen Liturgie in's fränkische Reich sandte ». Ibid. [3].

Saec. 7. *Modestus Hierosolymitanus* († 632) orationem habuit, in qua, postquam Mariae assumptionem multipliciter probavit, sic exclamat [4]: « O beatissima dormitio gloriosissimae Deiparae post partum semper Virginis, quae corporis, quo vita continebatur, nullam passa est in sepulcro corruptionem, carnem servante, qui ex ea natus est, omnipotente Salvatore Christo ».

Testis eiusdem saeculi ab Egger et Ianssens citatur s. *Ildephonsus Tolet.* — Testes saec. 8. sunt *Andreas Cretensis, Ioannes Damascenus, Germanus I., patriarcha Constantinop.* etc.

Etiam *Graeci schismatici* eandem tenent doctrinam et idem celebrant festum, quod teste Nicephoro Callisti [5] iam Mau-

[1] Tom. 4, n. 615.
[2] B. 10, 1477, n. 2.
[3] 1478, n. 3.
[4] Modestus, Encom. in B. V. 7.
[5] Hist. eccl. l. 17, c. 28.

ritius imperator (582-602) celebrari iussit (non festum instituendo, sed observationem eius praecipiendo). « Sed consensus utriusque Ecclesiae circa aliquam veritatem demonstrat illam ex communi fonte ante exortum schisma haustam fuisse. Ergo persuasio de assumptione B. Virginis in coelum certe saec. saltem 9. iam universalis esse debuit ». Egger [1].

Armeni in synodo a. 1342. celebrata professi sunt: « Sciendum est, quod ecclesia Armenorum credit et tenet, quod s. Dei genitrix virtute Christi assumpta fuit in coelum cum corpore ».

Graeci in synodo Hierosolymitana anno 1672. contra Calvinistas habita haec definivere: « Ipsa est procul dubio Virgo sanctissima, quae magnum in terra signum cum exstiterit, eo quod Deum in carne genuit et post partum integerrime virgo permansit, recte etiam signum esse dicitur in coelo (Apoc. 12, 1) eo, quod ipsa cum corpore assumpta est in coelum. Et quamvis conclusum in sepulcro fuerit immaculatum corporis eius tabernaculum, in coelum tamen, uti Christus fuerat assumptus, tertio et ipsa die in coelum migravit ».

III. *Ex absentia reliquiarum B. M. V.*

Nullibi unquam exhibitum est sepulcrum B. Virginis, nullibi unquam propositae sunt partes corporis eius exstantes, licet Christiani a primis saeculis ex una parte Sanctorum reliquias magni aestimarent et sepulcra Sanctorum solerent adire, et ex altera parte Mariam magis quam ceteros Sanctos venerarentur. Quo quidem verisimile redditur corpus B. M. V. post eius mortem e terra esse translatum et quidem, accedentibus aliis rationibus, in coelum.

IV. *Rationibus theologicis et congruis.*

Ob varias rationes summe decuit corpus B. M. V. non tabescere seu putrefieri, sed servari incorruptum, imo mox glorificari et in coelum transferri. Quae quidem rationes desumuntur:

1. *Ex eius sanctitate.* Eam enim, quae immunis fuit ab omni corruptione mentis, sc. ab omni peccato, tam originali quam actuali, et ab ipso peccati fomite, decuit immunem esse etiam a corruptione carnis et post vitam mortalem quoad animam et corpus transferri in regionem incorruptionis, i. e. in coelum.

2. *Ex eius virginitate.* Conveniens fuit corpus Virginis, cuius virginitas nullo tempore, nullo modo, ne involuntarie

[1] Theol. special. n. 326.

quidem, erat laesa, sed supernaturali modo et in conceptione et in partu erat conservata, non fieri cibum vermium, sed paulo post mortem resuscitari et in coelum assumi.

3. *Ex eius maternitate* (idque potissimum).

a) Ratione relationis corporalis Matris ad Filium.

Corpus Christi de corpore Mariae est sumptum et ad tempus cum hoc ita erat coniunctum, ut ambo videantur fuisse quodammodo caro una. Quapropter, cum corpus Christi brevi post mortem sit glorificatum et deinde in coelum translatum, convenientissimum fuit etiam corpus Mariae haud multo post mortem glorificari et in coelum transferri.

b) Ratione relationis spiritualis Filii ad Matrem.

Christus vere est semperque erit filius Mariae; et, sicut excellit virtutibus omnibus, ita excellit quoque filiali pietate erga suam matrem. Unde, cum ipse immunis fuerit a corruptione et ascenderit in coelum, eundem honorem matri suae non videtur denegasse.

4. *Ex eius relatione ad genus humanum.* Sicut Christus est novus Adam, Adam coelestis (1. Cor. 15, 45. 47), ita Maria est nova Eva, Eva coelestis. Nam ut Eva peccando et Adam ad peccandum impellendo cooperata est lapsui generis humani, sic Maria se praeparando ad maternitatem divinam et consentiendo, ut incarnatio in se fieret, cooperata est redemptioni generis humani (cf. pag. 357). Propterea, sicut novus Adam post redemptionem peractam corpore glorificato triumphat in coelis, ita etiam novam Evam decet cum illo in coelis triumphare.

C. De coelesti Mariae gloria.

Gloria B. M. V. superat gloriam omnium merarum creaturarum, tam angelorum quam hominum, certe *distributive* sumptarum; superatur gloria solius Filii sui. Ratio est, quia gradus gloriae respondet gradui gratiae sanctificantis, qui in articulo mortis habetur. Sed iam gratia sanctificans, quam B. M. V. in primo instanti exsistentiae suae accepit, quantum ad gradum perfectior erat gratia sanctificante, quam ulla alia mera creatura unquam possedit vel possidebit (cf. pag. 241). Quae quidem gratia insuper per vitam B. Virginis mirifice est aucta.

Illam veritatem Ecclesia confitetur in festo assumptionis utendo his verbis: « Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum ad coelestia regna ».

Dictum est supra: certe distributive sumptarum, quia licet cum aliquibus tenere gratiam et gloriam B. M. V. quoad gradum superare gratiam et gloriam omnium Beatorum etiam *collective* sumptorum, modo habeatur multo minor, quam gratia et gloria Iesu Christi, omnium nostrum Redemptoris.

De relatione, quam habet B. M. V. ad nos, et de relatione, quae nobis est ad ipsam, agitur in tractatu de novissimis, ubi de cultu Sanctorum.

INDEX

TRACTATUS DE DEO UNO SECUNDUM NATURAM.

Pars I. De Dei exsistentia.

Caput I. De cognitione exsistentiae Dei naturali . . . . . *Pag.* 1
Propositio generalis. Exsistentia Dei naturali rationis lumine ex mundo potest et certo ac facile cognosci et demonstrari . . . . . »
Thesis I. Exsistentia Dei naturali rationis lumine ex mundo potest certo cognosci 2
Thesis II. Exsistentia Dei naturali rationis lumine ex mundo potest facile cognosci 3
Scholion. De atheis 4
Thesis III. Exsistentia Dei ratione potest demonstrari . . . . . »
Scholion. Argumenta scholastica pro Dei exsistentia 5
Caput II. De cognitione Dei supernaturali . . . . . »
Thesis. Exsistentia Dei ab omnibus fide divina credi debet . . . . »
Conclusio. Exsistentia Dei praeambulum et obiectum fidei . . 6

Pars II. De Dei essentia.

Praenotanda 7
Caput I. De essentia Dei physica 8
Caput II. De essentia Dei metaphysica 9
Thesis. Essentia Dei metaphysica consistit in aseitate . . . . . »

Pars III. De Dei attributis.

Praenotanda de Dei attributis in communi 11
Caput I. De attributis quiescentibus 14
Articulus I. De attributis quiescentibus negativis . . . . . »
Thesis I. Deus est infinitus . . . . . »
Scholion. De spatio infinito etc. 15
Thesis II. Deus est simplicissimus . . . . . »
Scholion. De distinctione in Deo admittenda 16
Thesis III. Deus est immutabilis 17
Corollarium. Operationes Dei ad extra non repugnant immutabilitati . . . . . »
Scholion. De affectibus divinis 18

Thesis IV. Deus est aeternus . . . . . »
Scholion. De coexsistentia rerum creatarum cum aeternitate Dei. 19
Thesis V. Deus est immensus et ubique praesens 20
Scholion. Immensitas comparata cum aeternitate etc. 21
Thesis VI. Deus est invisibilis. . . . . »
Scholion. De locis Scripturae, quibus Deus oculis videri dicitur. 22
Thesis VII. Deus est incomprehensibilis . . . . . »
Scholion. De ineffabilitate Dei eiusque nominibus . . . . . »
Articulus II. De attributis quiescentibus affirmativis. 23
Thesis I. Deus est unus . . . . . »
Thesis II. Deus est veritas 24
Thesis III. Deus est bonitas. . . . . »
Thesis IV. Deus est pulchritudo . . . . . »
Nota. Distinctio inter Dei perfectionem, bonitatem, pulchritudinem. 25
Caput II. De attributis Dei operativis . . . . . »
Articulus I. De intellectu s. scientia Dei . . . . . »
§ I. De perfectione scientiae divinae. . . . . »
Thesis I. Deus est infinita intellectio . . . . . »
Thesis II. Intellectus divinus ab obiectis ad intelligendum non determinatur 26
Thesis III. Deus quodvis obiectum cognoscit ut id, quod est, et quousque est cognoscibile. . . . . »
Thesis IV. Deus omnia cognoscibilia uno actu perfecte cognoscit . . 27
Conclusio. Cognitio divina est sine discursu, compositione, divisione. »
§ II. De obiectis scientiae divinae . . . . . »
Thesis I. Deus cognoscit omnia s. est omniscius . . . . . »
Scholion. De cognitione rerum infinitarum 30
Thesis II. Essentia Dei (physica) est obiectum formale et primarium scientiae divinae; res creatae sunt obiectum eius materiale et secundarium . . . . . »
§ III. De medio scientiae divinae. 31
Praenotanda . . . . . »
Punctum I De medio scientiae divinae respectu creaturarum in genere. »
Thesis. Essentia divina est medium, in quo cognito Deus cognoscit omnia a se distincta . . . . . »
Quaestio. Utrum Deus a se distincta cognoscat solummodo in sua essentia, an etiam immediate in iis ipsis 32
Punctum II. De medio scientiae divinae respectu liberorum sive absolute sive conditionate futurorum . . . . . »
A. Sententia Thomistarum (Bannez). 33
B. Sententia aliquot Scotistarum 35
C. Sententia recentiorum 36
§ IV. De divisione scientiae divinae. 38
Articulus II. De voluntate Dei. 39
§ I. De voluntate Dei in genere . . . . . »
Punctum I. De perfectione divinae voluntatis . . . . . »

Thesis. Deus est infinita voluntas seu volitio subsistens 39
Punctum II. De obiecto divinae voluntatis 40
Thesis. Obiectum formale et primarium divinae voluntatis est Deus ipse; creaturae sunt obiectum eius materiale et secundarium . . »
Punctum III. De libertate divinae voluntatis . . . . . »
Thesis I. Deus se ipsum non libere, sed necessario vult seu diligit . »
Thesis II. Deus in operando ad extra est liber. 41
Punctum IV. De divisione divinae voluntatis 42
§ II. De voluntate Dei respectu sortis aeternae hominum 43
Thesis I. Deus seria voluntate antecedente vult salutem omnium hominum . . . . . »
Scholion. De auxiliis sufficientibus 45
Thesis II. Exsistit ex parte Dei praedestinatio 46
Thesis III Exsistit ex parte Dei positiva reprobatio et ea quidem consequenter ad praevisionem peccati mortalis et decessus in statu eiusdem. 47
Quaestio. Utrum praedestinatio adultorum sit ante an post praevisa merita et consequenter, utrum reprobatio negativa sit ante an post praevisa demerita 48
Proponuntur diversae sententiae . . . . . »
Referuntur nonnulla, quibus suaderi solet praedestinationem esse ante praevisa merita. 49
Referuntur nonnulla argumenta, quibus suaderi solet praedestinationem esse post praevisa merita 56
Articulus III. De omnipotentia Dei 62
Thesis. Deus est omnipotens . . . . . »
Scholion. De diverso sensu, quo distinguitur potentia Dei absoluta et ordinata seu ordinaria. 63
Conclusio. Essentiae divinae competit summa vita . . . . . »
Caput III. De attributis moralibus 64
Thesis I. Deus est infinite sapiens . . . . . »
Thesis II. Deus est infinite sanctus . . . . . »
Scholion. Deus a Scriptura dicitur auctor eorum, quae ab eo tantummodo sunt permissa etc. 65
Thesis III. Deus est verax et fidelis. . . . . »
Scholion I. Non est voluntas Dei arcana contraria voluntati Dei revelatae. . . . . »
Scholion II. Nonnullae promissiones et minationes divinae sub conditione tacita sunt factae . . . . . »
Thesis IV. Deus est iustus . . . . . »
Thesis V. Deus est benignus et misericors 67
Conclusio. Deus est infinite beatus. 68

TRACTATUS DE DEO TRINO SECUNDUM PERSONAS.

Caput praevium 69
§ I. Explicatio terminorum . . . . . »

§ II. Aliqua praenotanda de doctrina Ecclesiae. 70
§ III. Praecipui errores contrarii . . . . . »

Pars I. De SS. Trinitatis veritate.

Caput I. De Trinitate in Unitate. 72
Articulus I. De Trinitate divinarum personarum in genere . . . . »
Thesis I. Trinitas div. personarum in vetere testamento innuitur . . »
Thesis II. Trinitas div. personarum in novo testamento aperte docetur. 73
Scholion. De commate Ioanneo 75
Articulus II. De tribus divinis personis in specie 77
Thesis I. Est una persona divina, quae vocatur Pater . . . . . »
Thesis II. Est altera persona divina, quae vocatur Filius 78
Scholion. De theophaniis veteris testamenti. 79
Thesis III. Est tertia persona divina, quae vocatur Spiritus Sanctus. »
Caput II. De Unitate in Trinitate 82
Thesis. Trium divinarum personarum natura est numero una . . . »
Corollarium. In Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. 83
Scholion. Notanda quoad Patrum doctrinam de SS. Trinitate . »

Pars II. De SS. Trinitatis proprietatibus s. characteribus.

Caput I. De proprietatibus SS. Trinitatis spectatae in relatione ad intra. 84
Articulus I. De processionibus divinis . . . . . »
Praenotanda . . . . . »
§ I. De numero div. processionum et de iis, quae non procedunt . . 85
Thesis I. Duae sunt in Deo processiones . . . . . »
Thesis II. Neque div. natura procedit neque persona Patris . . . . »
§ II. De processione Filii. 86
Thesis I. Filius procedit a Patre per generationem . . . . . »
Scholion. Filius notatur nominibus generis feminini. . . . . »
Thesis II. Generatio, qua Filius a Patre procedit, est intellectualis . »
Scholion. De sapientia Patris etc. 87
Quaestio. Ex quorum intellectione et quomodo Filius a Patre procedat. 88
§ III. De processione Spiritus Sancti 91
Thesis I. Spiritus Sanctus non solum a Patre procedit, sed etiam a Filio. . . . . »
Scholion. De termino, « Filioque » etc. 94
Thesis II. Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio ut ab uno principio. 95
Thesis III. Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit per voluntatem. »
Scholion. Cur processio Filii sit generatio 97
Articulus II. De relationibus divinis. 98
Thesis I. In Deo sunt quatuor relationes reales originis . . . . . »
Thesis II. Hae relationes ab essentia divina non distinguuntur realiter, sed saltem et iuxta plerosque tantummodo virtualiter. 99

Thesis III. Paternitas a filiatione, spiratio activa a spiratione passiva realiter sunt distinctae; spiratio vero activa a paternitate et filiatione realiter distincta non est 100
Thesis IV. Paternitate, filiatione, spiratione passiva divinae personae constituuntur 101
Corollarium. Proprietates personales . . . . . »
Quaestio I. Utrum relationes originis formaliter sumptae sint perfectiones a perfectione essentiae virtualiter distinctae . . . . . »
Quaestio II. Utrum praeter tres subsistentias relativas admittenda sit una subsistentia absoluta necne 103
Articulus III. De nominibus, notionibus, circuminsessione, ordine divinarum personarum 104
§ I. De nominibus div. personarum . . . . . »
§ II. De notionibus div. personarum. 105
§ III. De circuminsessione div. personarum . . . . . »
§ IV. De ordine div. personarum 106
Caput II. De proprietatibus SS. Trinitatis in relatione ad extra . . »
Articulus I. De missione div. personarum . . . . . »
Articulus II. De appropriatione 108
Articulus III. De relatione SS. Trinitatis ad rationem 109
Thesis I. SS. Trinitas est mysterium, et id quidem primi ordinis . . »
Scholion. Rationes congruae pro exsistentia; similia pro essentia huius mysterii. 110
Thesis II. Demonstrari nequit mysterium ss. Trinitatis esse contra rationem 111
Scholion I. Solutio difficultatum contra mysterium ss. Trinitatis. »
Scholion II. Notanda ad recte loquendum de ss. Trinitate . . »

TRACTATUS DE DEO CREATORE.

Pars I. De operatione Dei circa mundum.

Caput I. De mundi creatione 115
Thesis I. Deus universum mundum creavit . . . . . »
Thesis II. Deus solus mundum creavit, isque solus creare potest . . 118
Thesis III. Deus mundum iuxta ideas suas creavit 119
Corollarium. De idearum divinarum causalitate . . . . . »
Thesis IV. Deus mundum libere creavit 120
Thesis V. Deus mundum non ab aeterno, sed initio temporis creavit. »
Thesis VI. Deus mundum ad suam gloriam creavit 123
Corollarium. Amor Dei erga creaturas nihilominus amor benevolentiae etc. 125
Thesis VII. Deus mundum meliorem creare potuit ac potest, quam reapse creavit 126
Corollarium. Mundus actualis in quo sensu optimus? . . . . »
Appendix. De cosmogonia Mosaica (Hexaëmero) 127
Caput II. De creaturarum conservatione, motione, gubernatione . . 130

Articulus I. De conservatione creaturarum 130
Thesis. Deus omnes creaturas positive et directe conservat . . . . »
Articulus II. De motione creaturarum 133
§ I. De eo, quod circa div. motionem communiter admittitur. . . . »
Thesis. Deus omnibus creaturarum actibus physice et immediate cooperatur, et sine hac cooperatione nulla creatura potest agere. . . »
§ II. De eo, quod circa div. motionem controvertitur 136
Punctum I. Sententia, quae tenet praedeterminationem physicam . . »
Punctum II. Sententia, quae tenet praemotionem physicam indifferentem 143
Punctum III. Sententia, quae tenet concursum tantum simultaneum . 144
Articulus III. De gubernatione creaturarum 153
Thesis. Deus omnia providentia sua gubernat . . . . . »
Scholion I. De malis 155
Scholion II. De casu 156

Pars II. De angelis.

Caput I. De exsistentia, natura, numero ac distinctione angelorum. . . 157
Articulus I. De angelorum exsistentia . . . . . »
Thesis. Angeli exsistunt . . . . . »
Scholion I. Quando angeli creati sint 158
Scholion II. Ubi angeli creati sint 159
Articulus II. De angelorum essentia. . . . . »
Thesis. Angeli sunt puri spiritus . . . . . »
Scholion. De corporibus ab angelis assumptis 160
Articulus III. De angelorum intellectu. . . . . »
Thesis. Angeli praediti sunt intellectu, qui quidem intellectui humano multo praestat, tamen est limitatus . . . . . »
Articulus IV. De angelorum voluntate 163
Thesis. Angeli natura habent voluntatem liberam et eam quidem valde perfectam, non tamen indefectibilem . . . . . »
Articulus V. De angelorum facultate cum invicem communicandi . . »
Thesis. Angeli et conceptus mentis et actus voluntatis invicem possunt manifestare . . . . . »
Articulus VI. De angelorum potentia circa mundum materialem . . 164
Thesis. Angeli circa mundum materialem hominibus praestant potentia. »
Articulus VII. De modo, quo angeli sint in spatio 165
A. De iis, quae sunt communiter admissa. . . . . »
B. De iis, quae sunt controversa 166
Articulus VIII. De angelorum numero et distinctione 167
Thesis. Angeli sunt permulti, diversimode distincti . . . . . »
Caput II. De probatione, elevatione, lapsu angelorum 170
Thesis I. Omnes angeli in statu viae s. probationis fuerunt . . . . »
Thesis II. Omnes angeli in statu viae ad ordinem supernaturalem erant evecti . . . . . »
Thesis III. Angeli probati aeternam beatitudinem sunt adepti . . . 172

Thesis IV. Aliquot angeli in statu viae graviter peccaverunt et ob hoc aeternae damnationi sunt traditi 172
Caput III. De commercio angelorum cum hominibus. 174
Articulus I. De commercio angelorum bonorum cum hominibus. . . »
Thesis. Angeli boni in custodiam hominum deputantur. . . . . »
Articulus II. De commercio angelorum malorum cum hominibus . . 177
Thesis I. Angeli mali homines ad peccatum sollicitant . . . . . »
Thesis II. Fieri potest infestatio daemoniaca 178
Thesis III. Fieri potest obsessio vel possessio daemoniaca. 179
Scholion. Possessiones daem. cur nunc rarissimae 180
Thesis IV. Fieri potest magia daemoniaca . . . . . »
Scholion. In quantum Christus potestatem daemonum fregerit . 182

Pars III. De homine.

Caput I. De hominis origine et natura. 183
Articulus I. De origine primorum parentum . . . . . »
Thesis. Primi parentes operatione Dei immediata sunt conditi . . . »
Scholion I. De transformismo 185
Scholion II. Scholasticorum sententiae de productione protoparentum. 186
Articulus II. De origine totius generis humani a protoparentibus ducta. 188
Thesis. Ab Ada et Eva totum genus humanum originem ducit . . . »
Scholion. Solutio difficultatum huc spectantium 190
Articulus III. De natura humana, quatenus est spiritualis s. de anima humana. 196
§ I. De exsistentia animae humanae eiusque relatione ad corpus . . »
Propositio generalis. Cuique homini est anima, et ea quidem una et individualis, quae corporis est forma . . . . . »
Thesis I. Cuique homini est anima . . . . . »
Thesis II. Cuique homini est anima una 197
Thesis III. Cuique homini est anima individualis . . . . . »
Thesis IV. Anima est forma corporis, idque per se et immediate . . 198
§ II. De natura animae humanae. 199
Propositio generalis. Anima humana est spiritualis et consequenter libera et immortalis . . . . . »
Thesis I. Anima humana est spiritualis 200
Thesis II. Anima humana est libera. . . . . »
Thesis III. Anima humana est immortalis. 202
§ III. De creatione animae humanae. 204
Propositio generalis. Singulae animae humanae immediate a Deo creantur, idque eo momento, quo cum corporibus suis coniunguntur. . »
Thesis I. Singulae animae humanae immediate a Deo creantur. . . »
Scholion. Quando animae infundantur etc. 206
Thesis II. Singulae animae humanae eo momento creantur, quo cum corporibus suis coniunguntur. 207
Caput II. De hominis elevatione in statum supernaturalem 208

Praenotanda 208
Articulus I. De donis absolute supernaturalibus protoparentibus concessis. »
Thesis I. Protoparentes gratia sanctificante ornati fuerunt 209
Scholion. De donis supernaturalibus cum gratia sanctificante connexis etc. 211
Thesis II. Gratia sanctificans est donum absolute supernaturale, et Adae etiam ut capiti totius generis humani est concessa. 212
Articulus II. De donis relative supernaturalibus protoparentibus concessis 213
Thesis I. Protoparentes donati sunt integritate. . . . . »
Thesis II. Protoparentes donati sunt immortalitate corporis 214
Thesis III. Protoparentes donati sunt felicitate. 215
Thesis IV. Protoparentibus scientia est infusa 217
Thesis V. Integritas, immortalitas corporis, felicitas, scientia per accidens infusa sunt dona praeternaturalia 218
Scholion I. De vocabulis statui supernaturali protoparentum impositis. 219
Scholion II. De qualitate status innocentiae 220
Scholion III. De statu naturae purae. . . . . »
Caput III. De hominis lapsu 221
Articulus I. De peccato actuali a protoparentibus commisso . . . . »
Propositio generalis. Protoparentes comedendo de fructu vetito graviter peccaverunt. . . . . »
Thesis I. Hominibus a Deo vetitum fuit, ne comederent fructum determinatae arboris. . . . . »
Thesis II. Eva ad mandatum divinum transgrediendum a diabolo est seducta 222
Thesis III. Eva graviter peccavit. 224
Thesis IV. Adam quoque, ab Eva seductus, graviter peccavit . . . 225
Scholion I. De aliquibus spectantibus ad peccatum, quod primi homines commiserunt 226
Scholion II. De iis, quae potuissent esse vel fuissent, si primi homines illud peccatum non commisissent. 228
Articulus II. De peccato habituali ab Ada in posteros transmisso s. de peccato originali 229
§ I. De peccati originalis exsistentia . . . . . »
Thesis. Peccatum Adae in eius posteros transiit, s. est peccatum originale. »
Scholion. Quamquam Adam peccatum suum retractavit, tamen peccatum originale contrahimus 234
§ II. De peccati originalis essentia . . . . . »
§ III. De peccati originalis transmissione 238
Thesis. Peccatum originale naturali generatione traducitur . . . . »
§ IV. De peccati originalis effectibus ac poenis. 239
§ V. De peccati originalis subiecto 240
Thesis. B. M. V. ex singulari Dei privilegio intuitu meritorum Christi a peccato originali immunis praeservata est 241
Scholion. De donis praeternaturalibus Mariae Virgini concessis. 245

TRACTATUS DE CHRISTO REDEMPTORE.

Pars I. De persona redemptoris s. de incarnatione Verbi. (Christologia).

CAPUT I. De persona assumente s. de divinitate Christi. 247
Dogma fundamentale religionis christianae: Iesus Christus est verus Deus. »
Argumenta e Scriptura nov. test. 248
A. Iesus Christus vocatur Filius Dei . . . . . »
B. Iesus Christus expresse vocatur Deus 252
C. Iesus Christus aequivalenter vocatur Deus 256
Scholion. Solutio difficultatum contra divinitatem Christi e Scriptura allatarum 258
Argumenta e Traditione 259
Scholion. Scriptores gentiles testantur iam primos christianos divinitatem Christi credidisse 261
CAPUT II. De natura humana assumpta . . . . . »
Thesis I. Iesus Christus est verus homo, s. Filius Dei assumpsit veram naturam humanam . . . . . »
I. Christus est verus homo . . . . . »
II. Christus habet verum humanum corpus 262
III. Christus habet animam rationalem corpus informantem . . . . »
IV. Christus est nobis metaphysice et physice consubstantialis . . . 263
Scholion. Solutio difficultatum contra veram Christi humanitatem. 264
Thesis II. Verbum assumpsit corpus ex Maria, perpetua virgine . . »
Scholion I. De sensu quorundam vocabulorum, quibus adversarii abutuntur 267
Scholion II. De voto virginitatis et matrimonio B. M. V. . . 268
CAPUT III. De unione Verbi cum humana natura, s. de unione hypostatica 270
Explicatio unionis hypostaticae. . . . . »
Thesis I. Unio Verbi cum natura humana est hypostatica et consequenter Christus est una tantum persona et ea quidem divina. . 274
Scholion. Utrum persona Christi composita possit dici necne . 276
Thesis II. Natura divina et humana per unionem hypostaticam non sunt factae una, sed manserunt duae eaeque integrae. 277
Thesis III. In Christo est duplex voluntas et duplex operatio: divina et humana . . . . . »
Scholion. De operationibus Christi theandricis. 279
Plenior doctrina de humana Christi voluntate . . . . . »
CAPUT IV. De consectariis unionis hypostaticae. 284
Thesis I. In Christo admittenda est vera communicatio idiomatum, eaque in concreto, non in abstracto . . . . . »
Scholion. De modo loquendi de Christo 285
Thesis II. Christus nullo modo est Filius Dei adoptivus, sed unice naturalis 286

Thesis III. B. M. V. vere et proprie est Dei genitrix 289
Corollaria quoad maternitatem B. M. V. . . . . »
Thesis IV. Totus Christus adorandus est una adoratione atque ea latreutica. 290
Scholion. Sacrificium missae humanitati Christi ut unitae cum Verbo offerri nequit 292
Thesis V. Ss. Cor Iesu cultu latriae dignum est 293
Scholion I. Historia cultus Ss. Cordis Iesu 294
Scholion II. Quoad expressionem « Cor Iesu » . . . . . »
Caput V. De proprietatibus humanitatis Christi 295
Articulus I. De humanitatis Christi defectibus et affectibus . . . . »
Thesis I. Corpus Christi ante resurrectionem ex conditione naturae suae obnoxium fuit iis omnibus defectibus physicis, qui naturae humanae communes sunt . . . . . »
Thesis II. Christus habuit passiones, sed absque ulla inordinatione . 297
Articulus II. De animae Christi scientia 298
Thesis I. Christus a primo instanti conceptionis habuit usum rationis et scientiam creatam. . . . . »
Thesis. II. Christus habuit et habet visionem beatificam . . . . . »
Thesis III. Christus habuit et habet scientiam per se infusam . . . 301
Thesis IV. Christus habuit scientiam humanae naturae connaturalem seu per se acquisitam 304
Articulus III. De animae Christi gratia 307
Thesis I. Humanitas Christi unione hypostatica est sanctificata. . . »
Thesis II. Humanitas Christi gratia sanctificante est ornata. . . . 309
Scholion I. Explicatio Luc. 2, 52. 311
Scholion II. De gratia Christi actuali. . . . . »
Thesis III. Animae Christi una cum gratia sanctificante alii supernaturales habitus sunt infusi. 312
Thesis IV. Gratia competit Christo etiam ut capiti corporis sui mystici. 316
Articulus IV. De humanitatis Christi impeccantia et libertate . . . 319
§ I. De impeccantia naturae Christi humanae . . . . . »
Thesis I. Humana Christi natura ab omni peccato, tam actuali quam originali, semper fuit immunis . . . . . »
Thesis II. Humana Christi natura etiam a fomite peccati immunis fuit. »
Thesis III. Humana Christi natura ratione unionis hypostaticae absolute impeccabilis est 320
§ II. De libertate voluntatis Christi humanae eiusque cum impeccantia conciliatione 321
Thesis. Humana Christi voluntas habuit libertatem indifferentiae . . »
Sententiae theologorum de concilianda Christi libertate cum eius impeccantia imprimis in subeunda morte 322
Articulus V. De humanitatis Christi potentia 324
Thesis. Humanitati Christi aliqua causalitas competit respectu effectuum supernaturalium, praecipue respectu collationis gratiarum et patrationis miraculorum . . . . . »
Caput VI. De incarnationis possibilitate, necessitate, convenientia, fine. 328

Articulus I. De incarnationis possibilitate. 328
Scholion. Incarnationis analogiae. 331
Articulus II. De incarnationis necessitate. 332
Articulus III. De incarnationis convenientia. 333
Articulus IV. De incarnationis fine 334

Pars II. De opere redemptoris. (Soteriologia).

Caput. I. De muneribus Christi 339
Praenotanda . . . . . »
Articulus I. De munere Christi sacerdotali 340
§ 1. De sacerdotii Christi existentia et excellentia et functione. . . »
Thesis I. Christus secundum naturam humanam est sacerdos proprie dictus . . . . . »
Thesis II. Sacerdotium Christi est praestantissimum et absolute aeternum. 341
Thesis III. Christus munere sacerdotali tum potissimum est functus, cum in cruce se ipsum sacrificium obtulit. 342
Scholion. I. De aliis functionibus Christi sacerdotalibus . . . 343
Scholion II. De tristitia a Christo tempore passionis habita . »
§ II. De Christi sacerdotis satisfactione 344
Thesis I. Christus pro peccatis hominum Deo satisfecit. . . . . »
Thesis II. Satisfactio Christi est intrinsecus in actu primo condigna, superabundans, infinita 345
Thesis III. Satisfactio Christi eget quidem acceptatione divina, ut sit efficax in actu secundo, tamen est condigna secundum iustitiam . 347
§ III. De Christi sacerdotis merito 348
Thesis. Christus meruit generi humano omnes gratias ordinis supernaturalis, sibi ipsi gloriam corporis et exaltationem nominis . . . 349
Scholion I. Quid Christus non meruerit 350
Scholion II. Specialiter notanda de Christi merito 351
§ IV. De satisfactionis ac meriti Christi extensione . . . . . »
Thesis. Christus omnes homines redemit seu pro omnibus hominibus est mortuus . . . . . »
Scholion I. De morte Christi respectu damnatorum. 353
Scholion II. Comparatur reparatio Christi cum ruina ab Ada effecta . . . . . »
Articulus II. De munere Christi prophetico . . . . . »
Thesis I. Christus homo est verus propheta . . . . . »
Scholion. De ratione, qua Christus munere prophetico est functus. »
Thesis II. Magisterium Christi excellentissimum est . . . . . »
Articulus III. De munere Christi regio 354
Thesis I. Christus homo est verus rex . . . . . »
Thesis II. Regnum Christi est spirituale . . . . . »
Scholion. De potestate Christi temporali. 355
Caput II. De vita Christi . . . . . »
Articulus I. De vita Christi abscondita et publica 356

§ I. De Christi conceptione 356
§ II. De Christi nativitate 358
§ III. De Christi infantia. 359
§ IV. De Christi pueritia et adolescentia 363
§ V. De Christi baptismo et tentatione. 364
§ VI. De vitae ratione Christi propria. 366
§ VII. De Christi transfiguratione 367
Articulus II. De Christi passione, morte, exaltatione. . . . . »
§ I. De passione ac morte Christi. . . . . »
A. De gravitate passionis. . . . . »
B. De tempore mortis Christi 371
C. De convenientia passionis et mortis Christi 373
D. De rebus mirabilibus tempore passionis et mortis Christi factis . 377
E. De iis, quae circa corpus Christi mortui facta sunt 378
§ II. De Christi exaltatione. 380
A. De descensu animae Christi ad inferos. . . . . »
B. De resurrectione Christi. 384
C. De apparitionibus Christi redivivi 392
D. De ascensione Christi 396
E. De sessione Christi ad dexteram Patris 398
Appendix: De vita Mariae, Christi Matris. 399
A. De vita Mariae in terris acta . . . . . »
B. De assumptione Mariae in coelum 402
C. De coelesti Mariae gloria. 407

CORRIGENDA.

(Prior numerus indicat paginam, alter lineam; i. significat: ab infra; del.: deleatur; l.: loco).

2, 19 *post* cognoscendi: Denique opponitur novatoribus saec. 16. (Luthero et Calvino) — 2, 3 i. *l.* Rom. 1, 10: Rom. 1, 20 — 4, 19 *l.* Numen supremum exsistere: Numinis supremi exsistentis — 8, 14 *l.* virtualiter seu eminenter: eminenter tantum seu virtualiter eminenter — 8, 9 i. *inter* et *et* analogicis: , in quantum aliquid positivi iis inest, — 12, 13 *del.* individua — 16, 9 *post* et Deus: vocatur caritas — 16, 11 *del.* vocatur caritas — 19, 6 *post* tu autem: idem — 29, 4 i. *l.* viae: vitae — 32, 2 *l.* cognito: cognitio — 36, 8 i. *post* Explicatur: et probatur — 42, 2 i. *l.* ut a Deo: quae a Deo — 43, 23 *l.* Voluntas conditionata efficax: Voluntas conditionata est ea, qua Deus aliquid vult sub conditione et simul abstrahendo a praevisione conditionis implendae. Voluntas absoluta ea est, qua Deus aliquid vult aut independenter a conditione (e. g. creationem mundi) aut dependenter a conditione sive iam impleta (ut gloriam beatorum) sive ut impleta praevisa (ut gloriam beandorum seu praedestinatorum) — 46, 12 i. *l.* consistit — absolutae: formaliter consistit in actu voluntatis et eius quidem absolutae, supponit tamen actum intellectus — 47, 15 *l* Praedestinationis: Praedestinatianis - 58, 2 i. *del.* Sola praedestinatio post praevisa merita potest seu — 59, 2 *post* homines: Ergo admittenda est praedestinatio post praevisa merita — 61, 13 *l.* promittere: permittere - 68, 2 *l.* infinite: infinita — 75, 9 *post* sunt: Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus et aqua et sanguis, et hi tres unum (εἰς τὸ ἕν) sunt. — Comma Ioanneum complectitur verba ab « in coelo » usque ad « in terra » inclusive, ita ut, si comma illud omittitur, sententia sit: « Quoniam tres sunt, qui testimonium dant: Spiritus et aqua et sanguis, et hi tres unum sunt ». — 75, 4 i. *del.* καὶ et praesertim — 76, 2 i. *l.* Saec. 1: Saec. 2 — 82, 6 *l.* quidem: quidam — 83, 11 i. *l* plurium personarum — specificae: unitatis plurium personarum divinarum numericae ex realitate unitatis plurium hominum specificae — 87, 8 i. *l.* eam: eram — 88, 4 *post* aliorum: obiectorum — 89, 8 *del.* seu ex scientia simplicis intelligentiae; *item* 5 i. *del.* seu ex earum scientia visionis — 92, 13 *l.* Spiritus = τὸ πνεῦμα: τὸ πνεῦμα = Spiritus — 96, 10 *l.* vel — spiratam: seu spiratum sanctum seu sanctitatem spiratam — 98, 1 i. *post* etc. Seu fusius sic: In Divinitate relationis subiectum (relatum: id, quod refertur, e. g. Pater) reale est, i. e. in illa hoc invenitur independenter a mentis nostrae consideratione; relationis terminus (correlatum: id, ad quod subiectum refertur, e. g. Filius) realis est; relationis fundamentum (ratio, cur subiectum ad terminum referatur, e. g productio Filii) reale est; distinctio inter subiectum et terminum (e. g. inter Patrem et Filium) realis est — 119, 11 *post* competere: Aut hac: Quo magis materia operis operi improportionata est, eo maior in operante requiritur virtus. Atqui in creatione materia operis nulla est, ergo operi improportionata est infinite. Ergo in creante requiritur virtus infinita. Sed virtus infi-

nita competit soli Deo Ergo solus Deus potest creare. — 126, 19 *l.* Quae quidem mala secum ferunt: Haec mala ferunt quidem secum — 133, 2 i. *l.* clibamum: clibanum — 140, 21 et 141, 1 et 143, 17 *l.* praederm.: praedeterm. — 141, 4 *l.* fruştandi: frustrandi — 162, 16 i. *l.* praesentia sibi: sibi — 170, 17 *post* Est certum: et quidem quoad angelos bonos — 179, 11 i. *post* ad homines: aut probandos — 181, 15 *l.* Act. 16-18: Act. 16, 16-18 — 190, 16 i. *post* dirimi: ex iure naturali — 191, 11 *l.* praedicta: praedita — 191, 12 i. *l.* orti: ortae — 196, 2 *l.* etnographos: ethnographos — 198, 14 i. *l.* Ioanni: Ioannis — 206, 10 i. *post* 40: theses — 211, 9 i. *post* quae: supponunt vel — 213, 14 i. *post* etc.: , in quantum appetitum sensitivum afficiunt — 226, 10 i. *l.* 2, 13: 2, 14 — 228, 8 i. *ante* donum; statim — 230, 17 i. *l.* Si: Sicut — 230, 15 i. *l.* constituenter: constituentur — 234, 7 *post* E Conciliis.: a — 236, 16 *l.* Ergo — sanctificantis: Ergo defectio seu aversio habitualis a Deo fine ultimo, seu carentia conversionis habitualis debitae ad eundem, est peccatum grave habituale. Sed, cum haec conversio sit effectus formalis gratiae sanctificantis, etiam carentia gratiae sanctificantis debitae, seu eius privatio, peccatum grave habituale recte potest vocari — 242, 7 i. *l* compative: comparative — 242 in Nota 2. *l.* carnibus: carminibus — 245, 16 *post* totam: vitam; *et* 17 *l.* paccata: peccata — 251, 11 i. *l.* υἱὸς: υἱὸς — 252, 6 i. *l.* λὸγος: λόγος — 254, 5 *l.* εὐλοληὸς: εὐλογητὸς — 254, 13 i. *l.* syricaca: syriaca; *et* 8 i. *l.* καὶ: καὶ; *et* 7 i. *l.* Ιησοῦ Ἰησοῦ — 255, 4 *del.* Col. 2, 2 — 262, 7 *l.* ὡς: ὡς — 271, 10 *post* terminatur.: Pro hac sententia haec affertur ratio: Unio humanae naturae cum Verbo fit per realem actionem. Sed omnis realis actio efficit in subiecto recipiente aliquid reale. Iam vero unione illa neque efficitur subsistentia Verbi, quae est increata et immutabilis, neque efficitur natura humana, quae ut subiectum recipiens iam supponitur. Ergo assignandum est aliquid aliud, quod efficiatur; et hoc nihil aliud esse potest nisi modus — 271, 14 i. *del.* seu substantiae suae immediate unitur — 272, 4 *l.* fundamentum — divino: fundamentum proximum est ipsa unio substantialis, quae nititur potentia obedientiali, qua natura humana evehi potest ad subsistendum in supposito divino — 273, 1 *l.* ea: ipsa; et 10 *l.* hoc: perfectus homo — 275, 2 *post* divina: et humana. Immo de Christo homine praedicantur divina — 282, 5 *l.* repugnat: est adversa — 285, 15 *l.* in abstracto: de abstracto i. e. si subiectum est terminus abstractus — 286, 19 *l.* praecexsistit: praecexstitit — 293, 9 *l.* synod. Pistor. n. 62: Summus Pontifex respectu n. 62. — 295, 11 *l.* Aphtardocetis: Aphthartodocetis — 297, 17 *del.* Gemüthsbewegungen — 298, 3 *l.* sit: esset — 300, 15 *l.* causa: causae; *et* 14 i. *post* anima: Christi; *et* 7 i. *del.* i. e. — futura *incl.* — 307, 7 i. *l.* ea: eam — 308, 2 *del.* Alteram — sunt — 317, 11 *l.* Requiri: Hoc requiri — 343, 19 *l.* exanimationis: exinanitionis — 360, 17 i. *l.* et cum invicem: cum se ipsis, cum aliis.

240.2
S573 Sievers, Iosepho

Enchiridion Theologiae

Vol. I. Dogmaticae Spec ialis.

DATE	ISSUED TO
NOV 22	Put.

240.2
S573

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

5045